Digitized by Google

INSTITUTIONES
CANONICAE

REMIGII MASCHAT A S. ERASMO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM,

NOVISSIMIS PONTIFICUM CONSTITUTIONIBUS,

SUMMARIIS DECRETALIUM OMNIUM

CORRETIONIBUS EX POSTERIORI JURE,

ET CONCILIO TRIDENTINO COLLECTIS,

Bullarum ad ejusdem Concilii Decreta spectantium Compendio Auctae, et illustratae

AB UBALDO GIRALDI A S. CAJETANO

EX IISDEM SCHOLIS PIIS

APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE, ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

VOLUMEN IV. PARS II.

COMPLECTENS LIBRUM V. DECRETALIUM.

EDITIO PRIMA FLORENTINA TUSCIAE EPISCOPIS DICATA

FLORENTIAE
APUD HIERONYMUM CONTI

MDCCCLV.

Digitized by Google

COI TIPI DEI FRATELLI MARTINI

Digitized by Google

LIBER QUINTUS

DECRETALIUM GREGORII IX.

DE CAUSIS CRIMINALIBUS.

Absolutis in Libro III. et IV. causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, aggredior causas criminales, seu varia delicta, eorumque poenas, quae sunt praecipuum objectum materiale praesentis Libri, ut in Prolegomenis n. 40. *praemisi.*

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, et Denuntiationibus.

Agitur de hac materia in Sexto *h. tit.* in Decreto 2. *q.* 7. 8. *et* 3. *q.* 4. *et seqq. et* 4. *q.* 1. *cum seqq. et* 15. *q.* 3. In Trid. S. 24. *c.* 5. 20. *et* S. 25. *c.* 14. *de refor. et* S. 13. *c.* 6. *de refor.* In Pandectis *lib.* 48. *tit.* 2. in Codice *lib.* 9. *tit.* 1. *et* 2.

1. *Nota* 1. Super delicto, v. g. furto, homicidio, dupliciter procedi posse: *civiliter* ad interesse, et commodum proprium actoris, et *criminaliter* ad vindictam publicam, seu ad bonum commune reipublicae, cujus interest crimina non manere impunita, sive reo infligatur poena corporalis, sive privativa dignitatis, sive pecuniaria fisco applicanda, *l.* 8. *et* 28. *ff. de poenis l.* 1. *pr. l.* 17. *ff. de jure Fisci.* Ex his patet potissima differentia inter judicium, seu processum civilem, et criminalem.

2. *Nota* 2. Processum criminalem esse duplicem: *Ordinarium* per viam accusationis, in quo persona legitimi accusatoris, lite contestata, probationes producit: et *Extraordinarium*, seu *Inquisitorium*, in quo ipse judex sine praevia accusatione inquirit in delicta, et delinquentes, sive id faciat ex mero officio suo, sive ad alicujus denuntiationem. Hodiernis moribus, quibus accusatio fere sublata est, processus inquisitorius transivit in ordinarium, vigetque in foro, tam saeculari, quam Ecclesiastico. Instituitur autem, vel *plenarie*, servato ad unguem ordine juris, vel *summarie*, sola rei veritate inspecta absque figura, et strepitu judiciali, *Clem.* 2. *de V. S.* De judicio summario Regularium vide meam *Epitomen. process. crimin.*

3. *Nota* 3. In praesenti rubrica tres proponi modos, quibus crimen in judicium deducitur: *accusationem*, dum

Digitized by Google

accusator crimen defert, et ad illud probandum se obligat: *inquisitionem*, dum crimen ex fama, notorietate facti, vel ex objecta exceptione innotescit, ita ut ad illud, ejusque auctorem inquirendum judex moveatur; *denuntiationem*, dum quis judici crimen alienum denuntiat, ut judex de illo inquirat: et licet denuntiator se non obliget ad crimen, tamen docet, seu informat judicem, unde legitimas illius probationes desumere possit. Ex quo patet, quae sit inter hos tres modos differentia principalis. Observa tamen duos posteriores modos pertinere ad processum inquisitorium, cum iste fiat non tantum ex mero officiò judicis, sed etiam ad denuntiationem sive privati hominis, sive publici officialis, *l.* 7. *C. h. t.*

§. I.

De processu ordinario per viam Accusationis.

4. Q. I. *Quid sit accusatio?* R. Est actus solemnis, quo quis criminosum defert in judicium publicae vindictae causa. Solemnitas autem ista a jure praescripta potissimum consistit in duobus: 1. Ut offeratur libellus querimonialis, in quo exprimatur nomen accusatoris, et accusati, judicis, species facti, seu delicti cum suis circumstantiis loci, anni, mensis, et dies institutae accusationis; attamen sine conclusione de poena, quia hanc lex ipsa dictat; quamvis talis conclusio non vitiaret libellum, v. g. *Quare peto ipsum puniri juxta formam juris, et statutorum.* 2. Ut accusator in eodem libello inscribat, seu subscribat se in crimen, seu in poenam talionis, si in probatione defecerit: ita haec omnia statuuntur *l.* 3. *pr. ff. et c.* 16. *h. t.* Haec tamen *inscriptio* sublata est, ne metu poenae talionis deterreantur probi a deferendis criminosis, eique successit satisdatio, seu cautio idonea per fidejussores, vel pignora, quibus querelans caveat de querela usque ad finem judicii persequenda, de solvendis expensis, et reparandis damnis *l.* 3. *C. de his, qui accusat.* Effectus libelli accusatorii, seu querelae propositae ex parte *judicis* est, quod accusatum citare possit etiam realiter per capturam: ex parte *accusati*, quod is referatur in numerum reorum: et ex parte *accusantis*, quod is obligetur probare delictum secundum formam juris.

5. Q. II. *Qui accusare possint?* R. 1. Omnes, qui specialiter non prohibentur: nam edictum de accusatoribus est prohibitorium in materia generaliter permissa, utpote tendente ad bonum reipublicae *l.* 8. *ff. h. t.* Prohibentur autem 1. Propter sexum *mulieres* 2. Propter aetatem pupillus, seu impubes. 3. Propter sacramentum milites, et magistratus majores praediti potestate, seu imperio mero, ne a suis muneribus avocentur. 4. *Infames* infamia juris *l.* 4. *ff. h. t.* et de jure Can. etiam infames infamia facti. *Can.* 18. *querendum:* 2. *q.* 7. quorum nomine continentur etiam viles personae. 5. Habentes duo judicia subscripta con-

tra duos reos, subornati, vel pecunia corrupti, servi, et alii enumerati in *l.* 4. 8. *et seqq. ff. h. t.* 6. Propter reverentiam accusare non possunt liberi parentes; liberti patronos: alumni educatorem: discipuli magistrum: fratres fratrem sub poena exilii, et alii, qui recensentur in *ff. h. t. et tit. C. de his, qui accusar. et Can.* 14. *prohibentur* 2. *q.* 1. Denique qui repelluntur a testimonio, etiam regulariter removentur ab accusatione, de quibus vide *l.* 3. *tit. de testib.* 7. Specialiter a jure Can. prohibentur clerici accusare laicos; et e contra *Can.* 6. *sicut* 2. *q.* 7. tum quia clerici remoti esse debent a negotiis saecularibus: tum quia periculum est irregularitatis, si accusatum sequeretur poena mortis, aut mutilationis. *Excipe*, nisi clerici, et religiosi civiliter delictum deferant in judicium, puta ad compensationem sibi faciendam pro damnis causatis ex furto, vel alio delicto: tunc enim facta protestatione, quod non agant criminaliter ad poenam sanguinis, aut mutilationis, sed praecise ad suum interesse, nullam irregularitatem incurrunt; licet deinde judex a judicio civili transeat ad criminale, et per viam inquisitionis malefactorem convictum condemnet ultimo supplicio: nam si clericis, et religiosis non liceret convenire fures, et alios malefactores, aperiretur lata via depraedandi bona Ecclesiarum, monasteriorum, et clericorum, eosque occidendi, et male tractandi: ita expresse declarat. Bonif. VIII. *c.* 2. *de homicid. in* 6. ut proinde sine metu irregularitatis praelatus, praemissa protestatione, deferre possit fures, et alios malefactores ad compensationem damnorum sibi faciendam.

6. R. 2. Accusatores de jure inhabiles admittuntur in certis casibus, ut si suam, suorumque injuriam persequantur, *l.* 12. *C. de his, qui accus.* in gravissimis, et exceptis criminibus, in quibus etiam testes alias minus idonei recipiuntur, ut in crimine laesae majestatis, haeresi, simonia, sacrilegio, latrocinio, assassinio, falsatione monetae, fraudatione annonae, census, et pecuniae publicae *l.* 7. 8. *ff. ad L. Jul. majest. l.* 53. *ff. de judic.* et in casu, quo agitur de publica utilitate Ecclesiae, vel monasterii, *arg. cap.* 3. 5. 11. *h. t.* et ideo clericus accusare potest praelatum, dummodo zelo bono ducatur.

7. Q. II. *Qui accusari possint?* R. Regulariter omnes delinquentes usu rationis praediti, nisi specialiter excipiantur: nam jus naturale exigit quemcumque malefactorem puniri. Excipiuntur. 1. Mortui *l.* 20. *ff. h. t.* nisi delicto annexa sit poena confiscationis bonorum, ut in crimine perduellionis, haeresis, repetundarum. 2. Supremi principes, legati eorum, et magistratus populi, durante eorum officio; nisi contra illud delinquant, *l.* 12. *ff. h. t.* ratione tamen peccati principes laici ad tribunal Papae deferri possunt, *c.* 13. *de judic.* 3. Pubertati proximi, et puberes minores accusari quidem possunt, sed pro defensione dandus est eis curator; secus judicium erit irritum, *l.* 4. *C. de auctorit. praestand.* 4. Absens in causa capitali, vel cui infli-

genda est poena major relegatione, accusari quidem potest, non tamen regulariter condemnari, sed annotanda sunt ejus bona *l. 1. ff. de requirend. vel absent. damn.* at poena pecuniaria infligi potest, si legitime citatus non compareat. 5. Idem reus a pluribus ejusdem delicti accusari in effectu nequit, sed gravior ex accusatoribus praeferendus est *l.* 16. *ff. h. t.* secus si diversa sint delicta, *l. 2. ff. de privat. delict.* 6. Si crimen sit extinctum via praescriptionis, transactionis, aut morte accusatoris: quod tamen non obstat inquisitioni, praesertim de hodierna consuetudine, quin judex ad vindictam publicam procedere possit. 7. Reus semel absolutus, non potest iterum de eodem crimine accusari, etiam ab alio accusatore, *c. 6. h. t. l. 7. 14. ff. et l. 9. C. eod.* nam reus per sententiam absolutus, restituitur suae innocentiae; et sententia lata contra unum accusatorem parit exceptionem rei judicatae contra omnes de populo; cum enim quilibet accusare potuerit, uno, qui praevenit, victo, censentur omnes victi; sicut victo uno procuratore, censentur victi omnes comprocuratores ejusdem litis *l. 31. ff. de procurat.* Excipe, nisi accusatio non fuisset legitime proposita, vel per collusionem partium elusa, vel nisi in eodem facto plura intervenerint delicta, vel reus absolutus sit tantum ab observatione judicii, non vero a delicto: vel nisi post judicium Ecclesiasticum, in quo poena sanguinis infligi nequit, causa devolvatur ad judicem laicum: ex quibus explicatur *l. 3. C. quibus res jud. l.* 3. §. 1. *ff. de praevaricat. l. 2. ff. de privat. delict. l. 3. §. si mater ff. de Carbonian. ediction. l. 3. 10. ff. ad SC. Turpill. l. 3. 30. §. in popularibus, ff. de jurejur. c. 5. §. per hoc de poenis in* 6. ibi: *per hoc quoque secularibus potestatibus etc.*

8. Q. III. *Quod sit officium judicis in casu accusationis?* R. 1. Si accusatio est legitima, tenetur eam judex admittere, etsi accusatus infamia delicti non laboret; ita com. cum S. D. 2. 2. q. 68. *a. 1. ad* 3. nam judex ex officio suo tenetur studere bono reipubl. sed accusatio legitima ordinatur ad bonum reipubl. ne crimina maneant impunita; neque ullo jure constat infamiam praerequiri ad accusationem criminosi: ergo. Interim si nullum timetur damnum reipublicae, vel tertii, lex charitatis dictat, ut quis, antequam deveniat ad accusationem, secreto fratrem moneat de emendatione. Accusare vero regulariter nemo obligatur, nisi delictum certum plene probari possit, et simul aliter consuli nequeat bono communi, nisi per accusationem, S. D. *loc. cit.*

9. R. 2. Si accusator est illegitimus, et inhabilis, tenetur eum judex ex officio suo repellere ab accusando, nec tali casu reus citatus tenetur comparere in judicio: ita c. 1. *h. t. si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus;* idem statuitur *c.* 13. 19. 20. *h. t. l. 8. ff. eod. l.* 9. 13. 19. *C. de his, qui accus.* nam sicut reipubl. interest crimina non manere impunita, ita ejusdem interest, ne per illegitimas accusationes subditi, saepe innocentes, fatigentur ex odio,

vel alia prava passione accusantis, atque ita quodammodo infamentur; ergo. Excipe, nisi judici publice non constaret de illegitimitate accusatoris; tunc enim reus citatus teneretur comparere, et opponere exceptionem illegitimitatis: quo sensu explicantur *c.* 4. 10. *ad fin. et* 15. *h. t. l.* 32. *ff. si quis in jus voc. l.* 5. *ff. de public. jud. l.* 33. *ff. ad-L. Jul. de adult. Dices:* Potest quis in judicium vocari, et condemnari sine accusatore, *l.* 3. §. *praeterea ff. de suspect. tutor. l.* 1. §. 6. *ff. ad L. Jul. de adult.* ergo multo magis cum accusatore illegitimo. R. Dist. ant. sine accusatore vero, conc. ant. ficto neg. ant. In his, et similibus casibus lex ipsa, et officium judicis supplet, et sustinet vices legitimi accusatoris.

§. II.

De processu inquistorio ex officio judicis.

10. Q. I. *Quid, et quotuplex sit Inquisitio?* R. 1. Est legitima indagatio criminis, et criminosi per judicem competentem facta vindictae publicae causa: ita in re com. Crimen autem istud debet esse magnum, et reipubl. noxium *c.* 21. *h. t. l.* 6. *ff. eod.* leviora vero delicta, quae modica poena pecuniaria, vel carceris coercentur, regulariter non tenetur judex inquirere; imo saepius praestat ea dissimulare.

11. R. 2. Inquisitio est duplex; *Generalis, et specialis,* quam utramque aliqui sine necessitate subdividunt in *generalem simpliciter, specialem simpliciter,* et *mixtam:* sed his ambagibus omissis: *inquisitio generalis* est illa, qua indeterminate quaeritur in delicta: vel si delictum certum sit, in personam delicti auctorem. *Specialis* est, qua determinate in hanc personam inquiritur, an patrati delicti sit auctor. Prior tendit ad reum investigandum; atque ita est praeparatoria ad inquisitionem specialem: ista posterior tendit ad examinandum, et condemnandum reum, si constiterit eum crimen patratum commisisse. Exquiritur autem a reo veritas primum per interrogatoria: seu simplex praeceptum judicis: et si hoc non proficit, devenitur ad quaestionem severam, seu torturam, ut per tormenta veritas eliciatur.

12. Q. II. *An processus inquisitorius sit licitus?* R. 1. Inquisitio generalis, quae plerumque fit in visitationibus canonicis a praelatis ecclesiasticis, et regularibus haberi solitis, est omnino licita; imo per se praecepta a Trid. S. 7. *c.* 8. S. 21. *c.* 8. *de refor.* S. 25. *c.* 20. *de Regular.* conformiter *can.* 28. *et seqq.* 18. *q.* 2. *c.* 7. *de statu monach. c.* 1. *de censib. in* 6. nam praelatis incumbit indagare, quomodo subditi vivant, an delicta aliqua perpetrentur? an disciplina ecclesiastica, et regularis observetur? et aliunde de nullo in particulari quaeritur, ut cons. nulli injuria fiat per inquisitionem generalem, ergo. Porro dum visitator proponit edictum, vel viva voce praecipit, ut subditi manifestent sibi delicta in tali loco commissa, praeceptum hoc non extenditur, nisi ad delicta notoria, vel diffamata, vel occulta quidem, sed noxia communitati; ita ut per priva-

tam admonitionem corrigi non possunt: alia vero delicta occulta mere personalia, quae soli delinquenti nocent, non tenentur subditi; imo regulariter nec possunt licite ea manifestare praelato visitanti, nisi, servato ordine correctionis fraternae: ita com. et tuta sententia com. S. D. 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. *ad* 5. Hinc etiam Innoc. IV. *c.* 1. §. *sane de censib. in* 6. super delictis occultis non diffamatis nullam in specie fieri praecipit inquisitionem.

Si agatur de haeresi, vel ejus suspicione, denuntiatio facienda est Inquisitoribus S. Officii, etiam nulla praemissa correctione fraterna, licet firma sit spes de emendatione ex Decreto Alexandr. VII. 8. *Jul.* 1660.

13. R. 2. Inquisitio specialis, suis instructa requisitis, est licita: ita communis omnium existimatio jure utroque subnixa: nam jure civili approbatur *l.* 13. *ff. de off. praesid. l.* 1. *C. de custod. reor. l.* 7. *C. h. t. Nov.* 128. *c.* 21. *Jubemus omnes judices tam militares quam civiles per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut foeminarum, aut alia quaelibet in provinciis illicita committunt, et supplicia eis legitima inferre* etc. jure autem can. expresse traditur *c.* 21. etc. *h. t.* nam ex una parte reipublicae interest delicta patrata non relinquere impunita: ex altera vero parte rari sunt accusatores in hoc genere odioso; ergo necesse est, ut judex potestatem habeat inquirendi eos, quos delictum perpetrasse publica fama clamat. *Dices:* jus naturale dictat, quod nullo urgente accusatore, nullus trahendus sit in judicium, ibi diffamandus, et puniendus *c.* 1. *h. t. l. Can.* 4. *nihil* 2. *q.* 1. *et c.* 4. *de cohabit. Cler. l.* 6. §. *si quis ff. de munerib. l.* 19. *C. ad L. Jul. de adult. l. fin. ff. de privat. delict.* 2. Actiones interrogatoriae generaliter sunt sublatae *l.* 1. §. 1. *ff. de interrog. in jure fac.* inquisitio autem est actio interrogatoria. 3. Ante litem contestatam, seu judicium constitutum, nemo cogitur de jure, aut facto proprio respondere, *l.* 11. *C. de petit. haered. c.* 1. *de prob.* sed inquisitio non habet litis contestationem, cum nullus sit adversarius, cum quo fiat litis contestatio. R. *ad* 1. In inquisitione est accusator fictus, ut supra dixi, qui sufficit ad judicium criminale, ut constat ex pluribus Canonibus *cit. causae* 2. *q.* 1. et hoc sensu jura in contrarium allegata explicantur. *Ad* 2. In causis civilibus sublatae sunt actiones interrogatoriae, non vero in inquisitione criminali recte instituta. *Ad* 3. Ipsum officium judicis est adversarius, cum quo lis ficte censetur contestata: neque reus per hoc diffamatur, sed potius diffamatio praevia est causa, cur ad inquisitionem trahatur.

14. R. 2. Ad legitimam inquisitionem specialem contra hanc personam requiruntur seqq. 1. Ut certo constet de corpore delicti, vel per ocularem inspectionem, si delictum in effectu permanet, sicut homicidium, incendium etc. vel per praesumptiones, si delictum est transiens, sicut magia, blasphemia etc. 2. Ut praecesserit infa-

mia, seu publica diffamatio rei, quod hujus delicti sit auctor; ut cons. contra reum non diffamatum judex specialiter procedere non possit, illum citando, capiendo, incarcerando: ita com. ex *c.* 19. 21. 24. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. et alibi passim: nam judex criminaliter nequit procedere contra reum, nisi ex scientia publica; sed talem non habet, nisi reus legitime deferatur judici, vel per famam publicam, seu clamorosam insinuationem, saepius aures judicis vellicantem, vel per aliam judicialem intimationem, uti est accusatio, aut denunciatio judicialis; ergo talis infamatio praevia, seu indicia ei aequivalentia, vim querelae habentia, praerequiruntur regulariter ad inquisitionem specialem: secus judex procedendo, peccat, et injuste reum diffamat: quod intellige de inquisitione, quam facit judex ex mero officio suo nobili; secus si inquirat ad instantiam denuntiatoris, infamia necessario non praerequiritur. *Excipe* 1. Crimina gravissima laesae majestatis divinae, vel humanae, latrocinii, falsatae monetae etc. in quibus sola confessio socii criminis sufficit ad inquistionem specialem, *l.* 5. *C. ad L. Jul. majest. l.* 6. *ff. de custod. reor.* 2. Si judex ex mandato principis, vel praesente reo, et non contradicente, procedat ad inquisitionem specialem, *c.* 1. 2. *h. t. in* 6. 3. Si crimen cum altero crimine est connexum; et ita adulter convictus de adulterio inquiri potest de caede mariti in camera adulterae reperti. Extra hos, et similes casus processus inquisitorius sine praevia infamia factus, est ipso jure nullus, sive sit plenarius, sive summarius, cum jura non distinguant, *c.* 21. §. 3. *h. t.* Illa autem censetur esse infamatio sufficiens, quae a personis honestis, et fide dignis orta in majori parte communitatis propagatur, *cit. c.* 21. *et* 24. *h. t.* His non obstat *l.* 7. *C. h. t.* nam officialis publicus denuntians reum, vicem famae supplet, modo non sit inimicus. Cetera in processu inquisitionis circa probationes, exceptiones, torturam, publicationem attestationum, sententiam, et executionem ejus servantur fere eodem modo, ac in processu ordinario: nisi quod in certis casibus nomina testium, praesertim apud Regulares, non soleant publicari.

15. Q. III. *Qui sint effectus inquisitionis specialis?* R. 1. Inquisitio ut suscepta, si praeter infamiam adsit probatio semiplena per unum testem integrum, vel indicia semiplenae probationi aequivalentia, parit in judice jus, et potestatem legitime interrogandi; in reo autem obligationem fatendi veritatem circa delictum infamatum: adeo ut etiam servatis servandis procedi possit ad quaestionem severam, seu torturam pro elicienda veritate. 2. Inquisitio absoluta trahit post se sententiam, vel condemnatoriam, si reus convictus, aut crimen confessus fuit; vel absolutoriam, si reus indicia contra se prolata plene diluit: plerumque tamen in subsidium innocentiae indicitur ei juramentum purgationis, quo infamia aboleatur, *l.* 2. §. 6. 7. *C. de jurej. propt. calum. cap.* 1. *et seq. de purgat.*

can. 3. Stante inquisitione, hodie non admittitur rei inquisiti accusatio, praesertim apud diversum judicem; quia hodiernis moribus inquisitio est judicium ordinarium, licet antiquis temporibus accusatio, tanquam remedium ordinarium praevaluerit inquisitioni, tanquam remedio extraordinario.

16. 4. Inquisitus, probato crimine, regulariter poena ordinaria puniendus est: ita Abb. Gonz. Schmier. et alii, quorum sententia praxi tribunalium firmatur. Prob. ex jure civ. *l.* 8. *ff. de publ. judic.* ubi Paulus docet durare poenam legum, cum extra ordinem crimina probantur, et *l.* 2. *C. de abolition.* ibi: *adversus nocentem reum, inquisitione facta, poena competens ingeratur,* qualis est jure ordinario statuta. Prob. ex jure Can. *c. fin. de celebr. missar.* ubi poena ordinaria privationis officii, et beneficii infligitur sacerdoti inquisito, qui in pane fermentato, et scypho ligneo sine lumine, et aqua celebravit: et *c.* 2. *de confess.* ubi Canonico ob simoniacam alterius electionem inquisito imponitur poena ordinaria privationis officii, et beneficii. Neque simonia in hoc casu est crimen exceptum; bene vero si committatur in ordinis, et proprii beneficii assecutione; quia inquisitio hodie est judicium ordinarium; ergo reus inquisitus, probato crimine, ordinaria poena est puniendus: licet olim, dum inquisitio fuit judicium extraordinarium, permissum fuerit judici arbitrari circa majorem, vel minorem poenam *l.* 12. §. 7. *ff. de his, qui not. infam.* In foro tamen Ecclesiastico, ex benignitate, et indulgentia, quandoque pro personis alias honestis temperatur poena, maxime si delictum non sit diffamatum, sed detectum solummodo per inquisitionem generalem: quo sensu explicatur *c.* 21. *h. t. c.* 30. *de simon.* In crimine tamen simoniae, et homicidii ordinaria poena infligenda est, *cit. c.* 21. *h. t.*

17. Q. IV. *An, si crimen incidenter deducatur in judicium, super eo inquiri, et poena ferri possit?* R. 1. Si reus adversario, vel testi via exceptionis crimen objiciat *civiliter*, ut cum repellat ab agendo, vel testificando, criminosus ita detectus non substat condemnationi, et poenae ordinariae, sed praecise juxta intentionem excipientis removetur a judicio, ut communiter accidit, *c.* 1. *de excetionib.* 2. Si objecto crimine, excipiatur *criminaliter*, ut criminosus, non tantum repellatur a judicio, sed etiam poena delicto commensa puniatur, exceptio ista vim habet accusationis; et cons. ita excipiens reus fit actor, seu accusator, et probare tenetur delictum, ut fit in judicio criminali. Si tamen in probatione defecerit, non ponitur poena calumniatoris, quia parcitur accusato se defendenti, cum provocatus sit, *arg. l.* 38. §. 8. *ff. ad L. Jul. de adult.* Huc referuntur etiam illa crimina, quae opponuntur electo, aut promoto ad praelaturam, ne possit confirmari, vel ordinari, consecrari, aut mitti in possessionem; quia talia delicta probanda sunt ab excipiente, tanquam accusatore. 3. Si crimine in-

Digitized by Google

cidenter per exceptionem, vel propriam confessionem rei detecto, judex rationabiliter motus super illo crimine instituat inquisitionem specialem, delictum legitime probatum substat condemnationi, et poenae ordinariae; nam licet tale delictum primitus incidenter venerit in judicium, tamen deinde instituto novo processu, est causa principalis criminalis: ergo si legitime probetur, principaliter ad poenam ordinariam deduci debet.

18. Q. V. *Quomodo judex procedat in notorio, vel flagranti crimine?* R. 1. In crimine notorio procedit absque ordine judiciario, dummodo notorietas delicti probetur per testes, quod scil. perpetratum sit in loco publico, praesente, et inspectante populo, comm. ex *Can.* 14. *et seqq.* 2. *q.* 1. *c.* 21. *de jurej c.* 3. *de testibus* ibi: *si factum est notorium, non eget testium depositionibus, cum talia probationem, et ordinem judiciarium non requirant:* unde talis sine ullis ambagibus condemnari potest, sicut ab Apostolo condemnatus est Corinthius incestuosus, qui novercam suam in uxorem duxit, 1. *Cor.* 5. Si tamen reo competit aliqua defensio, vel dubium est de illa, citari debet ad se defendendum, ne inauditus condemnetur, uti et ad sententiam audiendam; nisi periculum in mora, scandalum in Republ. et evidens notitia, quod reo nulla competat defensio, suaderet omissionem talis citationis.

19. R. 2. Si crimen flagrans commissum est coram judice pro tribunali sedente, vel alias jurisdictionem exercente, proceditur in eo sine ordine judiciario: nam aspectus judicis cum suo consilio facit evidentiam facti *l.* 2. *ff. de feriis.* Securius tamen erit, si judex statim interroget reum, an crimen coram se factum fateatur? si neget, illud per testes probatum reducat in acta; si fateatur, plerumque non est opus sententia, saltem solemni, sed sufficiet decretum de poenae executione, Clar. 2. Si reus a ministris, vel aliis deprehensus est in flagranti crimine, et ad judicem deductus, tota relatio ab adducentibus facta, per notarium refertur in acta; tum reus examinatur, et si quidem crimen fateatur, decernitur ei competens poena; si defendat se excipiendo, v. g. quod occiderit justae defensionis causa, datur ei terminus ad exceptionem probandam: si neget crimen, repetuntur testes super crimine, et deprehensione in flagranti, seu actuali perpetratione, quibus convictus condemnatur ad poenam; plene vero non convictus, trahitur ad torturam; quia deprehensio in flagranti, sine aliis adminiculis, est sufficiens ad torturam. Farin. Reiff. etc.

§. III.

De processu inquisitorio per viam denunciationis

20. Q. I. *Quid, et quotuplex sit denunciatio?* R. 1. Denunciatio est legitima delatio criminis, et criminosi apud Superiorem ut patrem, vel judicem: *legitima* erit, si fiat secun-

dum jura naturalia, divina, et humana. R. 2. Denunciatio immediata divisione dividitur in *Evangelicam, et judicialem*. Evangelica a Christo Domino tradita *Matth.* 18. *v.* 15. *Si peccaverit in te frater tuus* etc. est illa, per quam frater delinquens denunciatur Superiori ut patri, servato correctionis ordine, non ad vindictam publicam, sed ad propriam emendationem, et correctionem. Haec ad praesens institutum, ubi de judicio criminali agitur, non pertinet, vide S. D. 2. 2. *q.* 33. *per* 8. *articulos*, ubi materiam correctionis fraternae fuse persequitur. Vide etiam meam Epitom. judicii crim. ubi §. 3. *a num.* 13. plures difficiliores circa hanc materiam resolvi quaestiones, a quarum tractatione hic abstineo. *Judicialis* est delatio criminis apud Superiorem ut judicem. Haec subdividitur in *civilem, et Canonicam: civilis*, seu *judicialis specifice*, est delatio criminosi apud Superiorem ut judicem, vel ad vindictam publicam, vel ad privatum proprium interesse, et damni reparationem. Dicitur *civilis*, non quod coram judice Ecclesiastico proponi nequeat, cum frequentissime apud eum proponatur, sed quod originem suam ducat a jure civili: *Canonica* a Sac. Canonibus introducta, est delatio criminis apud Superiorem Ecclesiasticum, ut per eum crimen istud impediatur. Et haec vel est *generalis* omnibus permissa, sicut a quocumque denunciari possunt impedimenta matrimoniorum, electionum, ordinationum etc. vel *specialis* certis personis, quarum interest, permissa, ut malus, qui praeest, corrigatur, vel non resipiscens, a regimine amoveatur, *Can.* 49. *et seqq.* 2. *q.* 7.

21. Q. II. *Quae delicta subsint denunciationi judiciali?* R. 1. Delicta notoria: nam juxta *Can.* 19. *si peccaverit* 2. *q.* 1. *corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus*, ne scandalum in communitate oriatur. 2. Delicta occulta adversantia bono communi, vel tertii, S. D. 2. 2. *quaest.* 33. *art.* 7. quia bonum commune, et tertii innocentis praeponderat bono privato famae delinquentis, maxime si delicta sint atrocia, et in futurum pondeant; ut conjuratio, seditio, proditio patriae, machinatio contra praelatos, susurratio, turbatio pacis communis etc. *nisi sorte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala avertere*, S. D. *ibid.* E contra sub denunciationem judicialem non cadunt delicta mere personalia, quae nulli nocent, nisi delinquenti; ut ebrietas, omissio horarum Canonicarum, fractio jejunii etc. haec enim prius corrigenda sunt per secretam admonitionem, tum per adhibitionem duorum, vel trium testium; et tandem denuncianda Ecclesiae, seu Praelato ut judici, ut praescripsit Christus *loc. cit.* Similiter delicta occulta plene emendata non sunt denuncianda. Ceterum ex communi doctrina, arbitrio prudentis Superioris relinquitur, ut denunciationem judicialem flectere possit in charitativam, si praevidet delictum paterna secreta correctione sufficienter emendari posse: et e contra subditum paterne denuncian-

tem cogere, ut transeat ad denunciationem judicialem, si delictum efficaciter corrigi nequeat, nisi per inquisitionem criminalem.

22. Q. III. *Qua forma fieri debeat inquisitio per viam denunciationis?* R. 1. Si denunciatio tendit ad vindictam publicam, fere eadem forma observatur, quae in accusatione, cum denunciatio successerit in locum accusationis: unde fieri debet in scriptis, expresso denunciantis et denunciati nomine, et delicto cum suis circumstantiis: et quamvis denunciator per se non teneatur probare, more accusatoris, tenetur tamen judici nominare testes, suggerere probationes, et alia indicia criminis. Ipse vero denunciator, licet in causis levioribus testificari posset, non tamen in causis gravioribus, praesertim capitalibus, cum testimonium ejus suspectum videatur, et minus idoneum.

23. R. 2. Denunciatione legitime facta, judex tenetur instituere inquisitionem specialem contra denunciatum. Et quidem primo, si denunciatio fundatur super infamia delicti, et delinquentis, judex ante omnia recipit probationes super infamia, contra quas admittitur reo probatio bonae famae, ne ita malevolis detur occasio calumniandi innocentes, Gloss. in *c.* 24. *h. t. Nec obstat,* quod fama non probetur, dum judex ex mero officio inquirit: nam tunc fama supponitur esse nota, et probata judici: secus vero, quando inquirit ad denunciationem, et instantiam petentis inquisitionem: tum probata fama delicti, processus inquisitorius instituitur more solito; et si reus convictus est, condemnatur plerumque ad poenam ordinariam: si vero plene non est convictus, non statim absolvitur, sed regulariter tenetur praestare juramentum purgationis, ut supra dictum. Ceterum judex tenetur procedere ad inquisitionem specialem, sive denunciatio facta sit ab officialibus publicis ad hoc constitutis, sive ab aliquo privato: secus litem facit suam, et tenetur de syndicatu, seu de officio male administrato, Gaill. Et haec servantur in denunciatione publica, seu instituta ad vindictam publicam, quae necessario non debet esse conjuncta cum infamia delicti, vel monitione praevia delinquentis. At si denunciatio privata ad privatum interesse facienda sit, ei praemitti debet admonitio praevia ex lege charitatis, si damnum citra inquisitionem facile inter privatos reparari possit.

24. Q. IV. *Quomodo instituenda sit denunciatio Canonica?* R. 1. Generalis institui potest sine monitione praevia, et a quocumque, ex fine, ut praelatus impediat peccatum, vel aliud incommodum, v. g. ne cum impedimento nuptiae celebrentur, ne indignus eligatur, incapax ordinetur, ne laedens infra dimidium injustum lucrum detineat, ne clericus certum locum accedat, in quo scandalose vivit etc. Effectus ergo hujus denunciationis est, ut peccata, et alia incommoda secutura praepediantur.

25. R. 2. Specialis denunciatio Canonica, praemissa secreta admonitione, istituenda est ab illis tantum, quorum interest habere bonum praelatum, ad-

ministratorem, vel subditum, ut is in officio suo delinquens corrigatur; vel si bis, aut ter monitus non resipuerit, tanquam incorrigibilis a regimine, et officio suo amoveatur *Can.* 47. *quapropter* 2. *q.* 7. Est tamen notabile discrimen in amotione praelati secularis, et regularis; nam, ut amoveatur praelatus secularis, requiritur ad inquisitionem specialem non tantum infamia clamorosa, sed tanta, quae sine scandalo, et periculo tolerari non possit, utque delicta plene, servato juris ordine, probentur. E contra, ut amoveatur praelatus regularis, praesertim temporalis, sufficit ad inquisitionem sola clamorosa infamia, neque apices juris attenduntur, sed summarie; plene tamen probatis delictis, amotio illius fieri potest, *c.* 24. *hujus tituli.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

Agitur de hac materia in Decreto 2. *q.* 8. *et* 5. *q.* 5. in Pandectis *lib.* 47. *tit.* 15. *lib.* 48. *tit.* 16. in Codice *lib.* 9. *tit.* 42. *usque ad* 46.

1. Q. I. *Quis dicatur calumniator, et quae poena illius?* R. 1. Calumniator in criminalibus dicitur, qui falsum crimen in judicio scienter, et dolo malo alteri impingit. Quod si accusator in probatione deficiat, praesumitur esse calumniator; nisi praesumptio ista elidatur per contrarias probationes *c. fin. h. t.* ut si accusator justa causa inductus est ad accusandum, si semiplene probavit, si testes ante depositionem mortui sunt, si ex ore lethaliter vulnerati auctorem sceleris percepit, vel si minister publicus reum denunciavit, modo non sit suspectus, inimicus etc.

2. R. 2. Poena calumniatoris olim fuit inustio litterae *K.* in fronte ex lege Remnia, quam sustulit Constantinus *l.* 17. *C. de poen.* item poena *talionis*, seu ejusdem supplicii, quod reus, si convictus fuisset, sustinuisset: sed et haec poena abrogata est, et hodie calumniator non solet puniri ultimo supplicio, nisi reus ex calumniosa ejus accusatione morte punitus fuisset: ubi tamen recepta est Const. S. Pii *Cum primum* 6. *Kal. April.* 1566. verus calumniator puniendus est poena talionis, uti etiam in illis locis, et Ordinibus religiosis, in quibus poena talionis renovata est.

3. R. 3. Poena infamiae juris hodie perseverat, dummodo accusator per sententiam condemnatus sit de calumnia *l.* 1. §. 1. *ff. de his, qui not. infam. l.* 1. §. 4. *ff. ad SC. Turpill. Can.* 1. *siquis.* 2. *q.* 3. et cons. calumniator, tanquam infamis, fit inhabilis ad dignitates, et officia Ecclesiastica, aliosque actus, a quibus infames arcentur. Insuper clericus calumniator privatur beneficio, et officio Ecclesiastico, et verberibus castigatus deportatur *c.* 1. *h. t.* sed verberatio ista hodie non est in usu. 2. Calumniator condemnandus est ad expensas; quod et accidit fisco, vel judici, si iste per inquisitionem illegitimam, et ille per procuratores temere vexet reum.

Ex constit. Bened. XIV. Sacramentum Poenitentiae 1. *Jun.* 1741.

Digitized by Google

§. 3. *calumniose denunciantes vel per se, vel per alios innocentes confessarios de solicitatione ad turpia, privantur spe absolutionis sacramentalis, quam Pontifex, excepto mortis articulo, reservat Sedi Apostolicae, licet huic flagitio nulla sit annexa censura.*

4. Q. II. *Quis dicatur praevaricator, et quae poena illius?* R. 1. Praevaricator est ille, qui reo colludit, veras probationes dissimulando, et falsas exceptiones admittendo, ut reus absolvatur, *l.* 212. *ff. de V. S.*

R. 2. Judicium praevaricationis est duplex: *publicum*, dum accusator colludit reo criminis publici accusato, et tunc ponitur infamia juris, *l.* 4. §. *fin. ff. de his, qui not. inf. l.* 4. *ff. de praevaricatione*, eademque poena tenetur, acsi ipse in legem commisisset, *l. pen. eod. privatum*, seu moribus introductum contra advocatum, qui accusatori assistens, causam illius prodit, et reo colludit. Poena illius est extraordinaria *l.* 1. *in fin. d. t.* Porro *in omnibus causis praeterquam in sanguine, qui delatorem corrupit, ex SC.* puta Turpilliano, *pro victo habetur, l. fin. ff. de praevaricat.*

5. Q. III. *Quis dicatur tergiversator, et quae poena illius?* R. 1. Tergiversator, quasi tergum vertens, est ille, qui ab accusatione publici criminis semel coepta citra abolitionem desistit, *l.* 1. §. 7. *ff. ad SC. Turpillian.* Si autem negotium accusationis differat, non statim est desertor, seu tergiversator, nisi elapsus sit accusationis terminus *l.* 6. §. 2. *eod. destitisse videtur, qui intra praefinitum accusationis a praeside tempus reum suum non peregit*, hoc est, reum suis probationibus non condennavit. Poena tergiversatoris in hoc privato judicio est multa 5. librarum auri *l.* 3. §. *fin. ff. de praevaricat.* et jure Codicis quarta pars bonorum cum infamia *l.* 1. 2. *C. ut intra cert. temp.* Hodie poenae istae videntur sublatae, cum desistente accusatore, judex ex officio procedat, Clar. Pass. et alii. Cessat autem SCtum Turpillianum in muliere, et minori *l.* 1. §. 10. *ff. ad SCt. Turpill.* et in eo, qui statim a principio accusationis, praescriptione temporis exclusus est *l.* 11. *eod.* nisi omissa fuisset exceptio praescriptionis, *cit. l.* 1. §. 10. *eod.* denique in eo, qui impetravit abolitionem, hoc est absolutionem ab accusando, seu veniam omittendae accusationis, *l.* 13. *in fin. eod.*

6. R. 2. Abolitio est triplex: *Generalis*, seu *publica*: *specialis*, seu *privata*: *et legitima*, *l.* 8. 9. 10. *eod.* *Publica* est, quae competit ratione feriarum ordinariarum: sed haec non tam tollit, quam suspendit accusationem, cum finitis feriis, accusator repetere possit reum, *l.* 2. *C. de general. abolit.* Hodie vix est in usu, saltem quoad reum dimittendum e carcere. *Privata* est, quam petit accusator a judice ex justa causa, ut quia errore, juvenili calore, inconsulta facilitate ad accusandum provocavit, *l.* 2. *C. de obolit. Legitima* est, quam concedit ipsa lex sine decreto judicis; ut si accusator, vel reus moriatur, *l.* 10. et *l.* 15. §. 3. *ff. ad SC. Turpill.* nam accusationes non transeunt regulariter in, et ad haeredes, nisi crimen sit transito-

rium, ut laesae majestatis, repetundarum, haeresis, *cit. l.* 15. §. 3. 4.

7. Q. IV. *Qui dicti fuerint nuntiatores, quorum meminit l.* 6. §. *pen. ff. ad SC. Turpill.?* R. Erant illi, qui in brevi scriptura faciebant indicia, et relationes criminum; et bis pariter non licebat desistere a suis *notoriis*, seu annotationibus, secus incidebant in poenam SCti. His nuntiatoribus similes sunt procuratores generales in Curiis secularibus, et promotores in Ecclesiasticis, et alii officiales, quibus incumbit sincere adnotare defectus, et crimina aliorum.

Connexio praecedentium, et consequentium.

Posita sunt in prioribus duobus titulis praeliminaria judicii criminalis: in seqq. vero titulis affertur materia, seu varia delicta in specie, in judicium criminale deducibilia, quorum tractationem priusquam aggrediar, operae pretium duxi generalem notitiam, et seriem delictorum bic praemittere. Unde.

8. I. *Delictum* pro praesenti est factum exterius contra legem dolo, vel culpa admissum. Dicitur 1. *Factum*, sub quo etiam venit omissio peccaminosa: *exterius*, quia judex homo de internis non judicat, *c.* 34. *de Simon. et cogitationis poenam nemo patitur, Can.* 14. *de poenit. d.* 1. *Dicitur* 2. *dolo*, vel *culpa*, puta juridica, quia alterutrum sufficit, ut judex delinquentem condemnare possit. *Delictum*, et *crimen* promiscue in usu, et jure usurpantur, cum delictum non tantum *privatum*, sed et *publicum* dicatur.

9. II. Delictum varie dividitur. 1. In *verum*, quod ex vero dolo, aut vera culpa fit: et *quasi delictum*, quod ex praesumpta culpa fieri dicitur; ut male judicare per imprudentiam, delictum effusi, dejecti, suspensi: item exercitor navis, cauponae, stabuli ex quasi delicto tenetur, si ipsius ministri furtum, vel aliud damnum aliis faciant, cum uti debeat opera hominum fidelium, et proborum, *titul. Institution. de obligat. ex quasi delict.* 2. In *publicum*, quod ex aliqua lege publicorum judiciorum descendit, et punitur ad vindictam publicam; ut crimen laesae majestatis ex Julia majest. et alia enumerata libr. 48. *ff. tit.* 4. *et seqq. Privatum*, quod laedit privatam personam; cui proinde conceditur agere ad interesse, et poenam sibi applicandam, ut furtum, rapina etc. *cit. Inst. de oblig. ex delicto et l.* 47. *ff. fere per tot.* Haec divisio jure Rom. introducta non attenditur in foro Can. imo hodie nec in foro seculari, cum teste Claro, et aliis, de generali consuetudine omnia fere delicta facta sint publica, cum judex in omnibus procedere possit ad vindictam publicam. 3. In *Ordinarium*, quod certum nomen, et poenam a jure taxatam babet: et *extraordinarium*, quod nec certum nomen, nec certam poenam in jure habet, sed punitur arbitrio judicis; et ideo vocatur *Innominatum*, seu *stellionatus l.* 3. §. 1. 2. *ff. stellionat.* ibi; *ubicumque titulus criminis deficit, illis stellionatus obiiciatur;* ut si quis vendat aquam coloratam pro vino, vitrum pro gemma. Nomen hoc tractum est ab animalculo *Stellione* versutissi-

mo, pellem variis maculis, quasi stellulis refertam habente, hominique maxime insidiante. Omnis ergo fraus, et impostura, quae proprium nomen in jure non habet, venit nomine generali *Stellionatus*, eujus exempla complura referuntur *cit. tit. Stellion.* 4. In *exceptum, et non exceptum. Exceptum*, seu *irregulare* est, quod communem judiciorum regulam non sequitur, sed admittit accusatores, et testes alias de jure inhabiles; et contra illud judex speciali inquisitione procedere potest, licet infamia personae non praecesserit. Talia delicta sunt; crimen laesae majestatis, praesertim, perduellionis, proditionis patriae, seditionis: item haeresis, simonia, blasphemia, grave sacrilegium, dilapidatio bonorum Ecclesiae, aut monasterii, crimen fraudatae annonae, latrocinium, assassinium, crimen falsae monetae, privatorum carcerum; et hodie etiam furtum, adulterium, stuprum, sodomia, et alia gravissima delicta. *Non exceptum*, seu *regulare* est, in quo proceditur regulariter secundum jus ordinarium, servata forma accusationis, denuneiationis, et inquisitionis. 5. In *notorium, manifestum*, seu *diffamatum, et occultum. Notorium* est, quod ita patet, ut nulla tergiversatione celari possit: et quidem si pateat in jure, quia reus de illo convictus, vel confessus est, dicitur *notorium de jure*, seu *notorietate juris:* si vero patratum sit in loco publico in praesentia multorum, dicitur *notorium de facto*, seu *notorietate facti.* Quot autem homines adesse debeant, ad hoc, ut delictum dicatur notorium notorietate facti, jure definitum non est: adeoque id relinquitur arbitrio judicis. Ex communi sententia sufficiunt decem personae in magna communitate, ut civitate, in minori vero sex, aut quinque, coram quibus praesentibus delictum sit patratum. *Manifestum*, quod saepe confunditur cum notorio, proprie est illud, quod per famam manifestatur, seu divulgatur inter plures, seu potiorem partem communitatis; et ideo vocatur *diffamatum. Occultum* est, quod committitur clam, ut publice non innotescat. Et hoc, vel est *occultum absolute*, seu *improbabile*, quod vel a nullo scitur, vel tantum ab uno praeter delinquentem, ita ut in foro externo plene probari nequeat, vel est *occultum hic, et nunc*, attamen *de se probabile*, quod scitur saltem a duobus, ita ut in foro externo probari possit. 6. Delictum aliud est *noxium communitati*, quod vocari solet *publicum*, aliud *noxium tertio*, aliud *noxium soli delinquenti*, seu *mere personale*, quod directe nulli alteri nocet, nisi personae delinquentis. 7. Aliud est *reale*, quod transit ad haeredes delinquentis; non quidem quoad poenam corporalem, sed quoad compensationem damnorum a defuncto causatorum, v. g. per furtum, homicidium etc. aliud *personale:* cujus poena non transit ad haeredes, ut fornicatio, blasphemia, adulterium etc. Ceterae divisiones facile ex vocibus innotescunt.

10. III. De jure Civ. Romano inter delicta privata computantur: 1. Furtum. 2. Junctio tigni alieni, seu aedificatio ex materia aliena. 3. Surreptio.

vel corruptio alicujus rei haereditariae ante aditam haereditatem facta ab eo, qui testamento manumissus est. 4. Furtum a nautis, cauponibus, et stabulariis commissum. 5. Furtum a familia, seu servis commissum. 6. Caesio furtiva arborum. 7. Rapina, et damnum dolo malo in turba datum. 8. Rapina, vel aliud damnum in rebus tempore incendii, ruinae, naufragii, vel navis expugnatae factum. 9. Injuria, et famosus libellus. 10. Extraordinaria crimina, quorum plura enumerantur *tit. ff. de extraordinar. criminib.* ut sollicitatio alienarum nuptiarum, matrimoniorum interpellatio etc. 11. Crimen sepulchri violati, concussionis, abigeatus, praevaricationis, receptationis latronum, furtum balnearium, crimen effractionis, et expilationis, expilatae haereditatis, stellionatus, termini moti, collegii, seu corporis illiciti; ita haec delicta enumerantur *libr. 47. ff. a tit. 2. usque ad fin.* Inter delicta publica numerantur: 1. Crimen laesae majestatis ex L. Julia Maj. 2. Adulterium ex *L. Jul. de adulteriis coercendis.* 3. Vis publica ex *L. Jul. de vi publ.* 4. Vis privata ex *L. Jul. de vi privata.* 5. Homicidium, et veneficium ex *L. Cornelia de Sicariis.* 6. Parricidium ex *L. Pompeja de parricidiis.* 7. Crimen falsi ex *L. Cornelia de falsis.* 8. Crimen repetundarum ex *L. Julia repetundar.* 9. Crimen fraudatae annonae publicae ex *L. Julia de annona.* 10. Crimen peculatus, sacrilegii, et de residuis ex *L. Jul. peculatus.* 11. Crimen ambitus ex *L. Julia ambitus.* 12. Plagium ex *L. Fabia de plagiariis.* Habentur haec omnia *lib. 48. ff. tit. 4. et seqq.* eademque delicta privata, et publica enumerantur mixtim *lib. 9. C. per tot.* Ego suis locis in hoc libro ea inserere non omittam.

11. IV. De jur. Can. alia est partitio delictorum: nam 1. Agitur de delictis adversantibus religioni, et fidei catholicae, ut est simonia, haeresis, etc. 2. De delictis adversantibus justitiae, et proximo, uti est homicidium, adulterium etc. 3. De delictis propriis clericorum, uti sunt venatio, ministratio clerici excommunicati etc. 4. De poenis delictorum etc. Vide Synopsim in Proleg. n. 40. His de generalitate delictorum praemissis, transeamus ad delicta in specie.

TITULUS III.

De Simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

Agitur de hac materia in Extrav. com. *h. t.* in Decreto *causa prima* per tot. *et Can. 33. sancitum 7. q. 1. et Can. pen. 15. q. 3.* in Trid. *sess. 21. c. 1. 9. de ref. sess. 22. in decr. de observ. et evit. circa miss. S. 24. c. 14. 18. de ref.*

1. *Nota* 1. Simoniam nomen traxisse a celebri Mago Simone, qui pecunia emere voluit Spiritum Sanctum *Can. 8. Salvator. 1. q. 3.* ipsum vero delictum emendi spiritualia pro temporalibus, etiam anterioribus temporibus commissum fuisse, constat ex *Gen. 25.*

v. 33. ubi legitur Esau primogenita, quibus annexum fuit sacerdotium, vendidisse Fratri Jacobo, et *Num.* 22. ubi legitur Balaam prophetiam vendidisse, et 4. *Reg.* 5. ubi Giezi pretium accepit pro sanitate restituta Naaman Syro, etc. Quamvis autem simonia ex objecto suo non sit omnium delictorum gravissimum, tamen Compilator a simonia seriem delictorum inchoare voluit; quia ista est crimen maxime perniciosum, et a Sac. Canonibus vocatur turpissimum lucrum, vulnus cancrosum, flagitium horribile nimis, comparandum blasphemiae judaeorum, et peccato Judae proditoris, labes, et pestis tanta, ut sui gravitate, et magnitudine alios morbos, ipsamque haeresim vincat *Can.* **14.** *cum ordinaretur* 1. *q.* 1. *Can. fin.* 1. *q.* 7. *etc.*

2. *Nota* 2. Simoniam quoad rem definiri, quod sit *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum:* ita Com. cum S. D. 2. 2. *q.* 100. *ar.* 1. *dicitur* 1. *Studiosa voluntas*, hoc est, actus deliberatus voluntatis, seu pactum. Dicitur 2. *Emendi, aut vendendi*, quae verba late intelligenda sunt pro quovis contractu oneroso, quo res spiritualis datur pro temporali, ut emptio, venditio, locatio, permutatio, contractus innominatus, do, ut des etc. Et in tali pacto oneroso consistit forma simoniae: materia vero illius est res spiritualis, seu spirituali annexa, tanquam merx, et res temporalis tanquam pretium. Nec refert, quod in data definitione non exprimatur *temporale:* nam satis clare intelligitur in verbo *emendi,* aut *vendendi.* Et quamvis simonia completa afficiat duos contrahentes, committi tamen potest inchoative ab uno, sicut accidit in simonia mentali: sic solus Simon Magus simoniam commisit volendo emere Spiritum Sanctum ab Apostolis.

3. *Nota* 3. Simoniam non adversari fidei, aut justitiae, quia non continet errorem speculativum contra revelationem divinam, nec per se laedit jus alterius; licet quandoque per accidens, haeresis, vel injustitia misceatur simoniae; ut si quis pertinaciter judicet licere spirituale vendere pro temporali: vel vendat spirituale, ex quo nullum temporale commodum emptor habeat: quo sensu simonia dici solet haeresis, haeretica pravitas, sacrilegium Judae, *Can.* 3. *et seqq.* 1. *q.* 1. et alibi passim: unde in veriori sententia dicendum, simoniam per se adversari Religioni, et esse peccatum ex genere suo gravissimum, contentum tanquam speciem sub genere sacrilegii: nam sacrilegium est violatio rei sacrae; sed formalis malitia simoniae consistit in violatione rei sacrae: tum quia res spiritualis, excedens omne pretium temporale, indigne tractatur, dum deprimitur, et adaequatur temporali; tum quia Deo, et rebus divinis gravis irreverentia infertur, dum res istae, quas Deus voluit gratis dispensari, pretio et pecunia dispensantur, et ad commercia humana, longe inferiora trahuntur; ergo. Quae hic opponi possent, abunde solvuntur a S. D. *loc. cit.*

4. *Nota* 4. Simoniam dividi: 1. In *internam*, quae in solo animo consum-

matur: et *externam*, quae prorumpit in actum exteriorem: et haec subdividitur in *mentalem*, *conventionalem*, *et realem*. *Mentalis*, seu *inchoata* est, in qua datur temporale pro spirituali; attamen sine pacto expresso, vel tacito; licet dans mente, et animo suo intendat alterum obligare: ob quod simonia ista *mentalis* dicitur, non quasi mente retineatur, sed quod temporale ea mente detur, ut alter obligetur dare spirituale, vel e contra. Haec simonia *mentalis*, licet plerumque ab uno committatur, tamen inter duos fieri potest ex utraque parte, dum nullo pacto interveniente, unus dat rem spiritualem, et alter temporalem quasi ex justitia, v. g. Titius servit Episcopo ea intentione, ut pro mercede ab eo obtineat beneficium: vel Titius, vacante beneficio, offert patrono, aut electoribus pretiosa munera, volens hoc modo ex justitia obligare illum, vel istos ad faciendam sibi praesentationem, vel electionem, etc. *Conventionalis* est, in qua intervenit pactum, seu conventio expressa, aut tacita de dando spirituali pro temporali. Et quidem si conventio ex neutra parte completa sit per traditionem, est simonia *pure conventionalis*, v. g. da mihi 100. aureos, et dabo tibi beneficium: si vero ex una parte completa sit per traditionem, est *mixta conventionalis;* quia liquid ei admiscetur ex reali, v. g. do tibi beneficium, ut suo tempore mihi des centum aureos, vel certam pensionem etc. *Realis* est, in qua pactum completur mutua traditione rei spiritualis, et temporalis, sive totum pretium semel tradatur, sive pars illius; ut si unus det beneficium, et alter centum aureos, vel interim quinquaginta. 2. Dividitur simonia in *eam, quae est juris naturalis*, seu proprie dicta, dum temporale datur pro spirituali: et *eam, quae est juris Ecclesiastici*, seu improprie talis, dum contra prohibitionem Ecclesiae datur spirituale pro spirituali; ut in permutatione beneficii pro beneficio, vel qandoque temporale pro temporali; ut si quis emat officium thesaurarii, vel oeconomi etc. Haec divisio, quidquid aliqui dicant, sustinenda est in jure: nam simonia juris naturalis indicatur toto *h. t. et causa* 1. *per tot.* simoniae vero juris Ecclesiastici fit mentio *c.* 5. 7. *de rer. permutat.* et generaliter *c. fin. de pact.* ubi prohibetur omnis pactio super spiritualibus. De simonia confidentali dicam infra §. 4. His praenotatis, agendum hic erit: 1. De pacto simoniaco, ut forma. 2. De re temporali, ut pretio. 3. De re spirituali, ut merce: quae duo sunt materia simoniae; licet quandoque spirituale detur ut pretium pro temporali, ut merce. 4. De poenis simoniacorum.

§. I.

De pacto Simoniaco.

5. Q. I. *An pactum fictum sine intentione dandi temporale pro spirituali. constituat actum simoniacum?* R. Negative: nam simonia, ut pactum est, requirit consensum internum per *l.* 1. §. 3. *ff. de pactis:* ut vero est pactum

Digitized by Google

simoniacum, requirit studiosam voluntatem emendi, et vendendi spirituale, quorum neutrum est in ficte paciscente; ergo nec est simonia tali casu, bene vero sacrilegum, et scandalosum mendacium, quo alter inducitur ad peccatum simoniae, vel ficte paciscens eidem cooperatur. Haec de foro interno: at in foro externo praesumitur simoniacus qui opus externum simoniacum posuit; quia hoc praesumitur concordare cum actu interno, sicut accidit in aliis contractibus ficte initis. *Dices:* Facta promissio pecuniae, v. g. pro beneficio, operatur tantum, quantum vera promissio; imo res ficte promissa, est verum pretium, licet actu non numeretur: ergo. R. Dist. ant. operatur modo, et vitio simoniaco, neg. ant. modo, et vitio mendacii sacrilegi, conc. ant. res, seu pecunia promissa non est pretium, nisi ut determinatur a studiosa voluntate emendi, et vendendi spirituale; quae tamen voluntas non est in ficte paciscente.

6. Q. II. *Quae pacta habeantur pro simoniacis?* R. 1. Pacta expressa, quibus datur, vel promittitur temporale pro spirituali, sunt manifeste simoniaca: ut si detur pecunia pro donis Spiritus Sancti, pro collatione Ordinum, pro electione, nominatione, et praesentatione ad beneficium, pro ipso ingressu ad novitiatum, vel religionem, pro ipsis sacris Reliquiis etc. ita passim docent SS. Patres, et Sac. Canones toto *h. t.* et tota *causa* 1. *per* 7. *qq.* Quia vero docta iniquitas, et cupiditas execrabilis habendi, vim effugere non potuit Sac. Canonum, varios modos excogitavit, quibus turpitudo simoniae tegeretur: sed palliola ista facile removentur.

7. R. 2. Dare temporale pro spirituali, non ut pretium, sed ut motivum, conferendi spirituale, vel ut spirituale conferatur ex compensatione gratuita, est simoniacum: ita hodie certa sententia, cujus contrariam damnavit Innoc. XI. propos. 45. his verbis: *Dare temporale pro spirituali non est simoniacum, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. Prob.* 1. *pars ex c.* 34. *h. t.* ubi receptio clerici in Canonicum, dicitur esse simoniaca, si ille bona sua obtulit pro praebenda sua cum conditione, si illum reciperent in Canonicum: quae datio bonorum expresse non habet rationem pretii, sed motivi. Ratio est, quia in tali actu est palliatum pactum simoniacum: nam qui, v. g. vacante beneficio, dat pecuniam, ut collatorem moveat ad conferendum sibi beneficium, non alia intentione dat, quam ut efficaciter moveat, seu ex justitia obliget ad conferendum beneficium: quod reipsa nihil est aliud, quam emere collationem beneficii; ergo. Jam si alter cognoscit intentionem dantis, eique consentit, est simonia ex utraque parte; si vero non cognoscit, neque consentit, est simonia tantum ex parte dantis. *Prob.* 2. *pars.* Compensatio gratuita, seu obligatio antidoralis, qua cliens obligatur benefactori suo, si de-

Digitized by Google

ducatur in obligationem determinatam, v. g. ut detur spirituale pro temporali, vel e contra, non manet intra genus gratitudinis, sed alteratur, et transit ad genus justitiae: quia alter, qui ex gratitudine non tenebatur conferre spirituale, sed alio modo per preces, vel obsequia indeterminate gratus esse potuit suo benefactori, jam determinate obligatur ad conferendum spirituale; ergo obligatio ista, et compensatio est vere simoniaca, licet nomine, et pallio gratitudinis veletur: tum quia haec duo: do *tibi centum, ut mihi des beneficium: et do tibi centum, ut mihi gratus sis per collationem beneficii*, reipsa eundem contractum efficiunt, solo nomine, et lusione in vocibus excepta; ergo sicut prior actus est simoniacus, ita, et posterior. *Confir.* ab absurdo, quia ex opposita sententia sequitur facile eludi posse omnia jura simoniam prohibentia: nam quisque dicere posset, quod temporale non det, ut pretium, sed ut efficax motivum, neque velit alterum obligare ex justitia, sed tantum ex gratitudine determinata, quod est ludere in re tam gravi; ergo. *Dices:* Quod jure naturali inest actui, deduci potest in pactum; sed obligatio antidoralis, seu compensatio gratuita jure naturali inest actui liberalitatis, et beneficientiae; ergo. R. Dist. m. si tali pacto non alteretur natura obligationis conc. m. si alteretur, sicut in nostro casu, neg. maj. nam obligatio antidoralis est indeterminata, et arbitraria, ut hoc, vel illo modo gratitudo exhibeatur; ergo si obligatio ista determinetur ad unum, contra naturam suam alteratur, et transit in obligationem necessariam justitiae, et cons. est simoniaca. Ceterae rationes ex his, et ex dicendis solvuntur.

8. R. 3. Dare, vel facere spirituale ex principali motivo, seu fine acquirendi temporale, est simoniacum: ita certa sent. et oppositam damnavit Inn. XI. *prop.* 46. *Et id quoque locum habet*, puta quod non sit simoniacum. *etiamsi temporale sit motivum principale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis*, quia dans, vel faciens spirituale principaliter propter temporale, censetur dare, vel vendere spirituale pro temporali, tanquam pretio, quod est omnino simoniacum; cum res spiritualis vilipendatur, et minus aestimetur, quam temporalis. Exempla habes: in Canonico, qui vadit ad Ecclesiam, et psallit propter distributiones, ut finem principaliter intentum, S. D. *quodlib.* 8. *ar.* 11. in Clerico, qui suscipit beneficium primario propter fructus temporales, in dicente missam primario propter stipendium etc. hi enim, et similes ex hac inordinata intentione simoniam committunt. At contra, si actus isti spirituales exerceantur principaliter propter finem suum intrinsecum, scil. honorem Dei, et salutem animarum, nulla simonia erit secundario intendere commodum temporale annexum talibus functionibus: qualiter operari, quilibet in dubio praesumendus est.

9. R. 4. Emere preces, commendationes, vel operam a tertio, ut is apud patronum, vel collatorem persuadeat

collationem beneficii, est simoniacum: ita com. ex *Can.* 107. *statuimus* 1. *q.* 1. ubi Nicolaus II. tres ponit species simoniae: dum *simoniaci a simoniacis, et simoniaci a non simoniacis, et non simoniaci a simoniacis* ordinantur. Sed secunda species hujus simoniae non potest intelligi melius, nisi in casu, quo pecunia, seu aliud quid temporale datur, non ipsi Episcopo, sed alicui tertio, ut is per suas preces, vel operam impetret ab Episcopo collationem ordinis, aut beneficii; ergo. Idem habetur *Can. fin.* 1. *q.* 5. ubi Urbanus II. dispensat cum eo, pro cujus ordinatione pecunia data fuit, non Episcopo, sed alicui ex suis familiaricus. *Ratio* est, quia emens causam, virtualiter emit effectum; sed preces, et commendationes sunt causa obtenti beneficii; ergo qui illas emit, ipsum beneficium emere censetur. Et hoc vitium est valde subtile, quia foeminae, familiares, ministri, et officiales patronorum, et collatorum facile pecunia corrumpuntur, seque ad beneficia per interponendas commendationes impetranda simoniace obligant. *Dices* 1. Preces istae sunt quid temporale pretio aestimabile; imo saepius est labor in adeundo patrono: ergo emi possunt licite. 2. Ministris patroni dari aliquid solet pro impetranda audientia, vel pro informatione de qualitatibus, et meritis personae. 3. Cajus potest aliquid accipere a Titio rogante, ut ille det mutuum Sticho, dummodo ab hoc nihil petatur supra sortem; ergo a pari. R. *Ad* 1. Dist. ant. preces secundum se, conc. ant. secundum connexionem, et influxum moralem respectu effectus spiritualis, neg. ant. Pro labore, qui subitur in aditu patroni, vel reditu, si notabilis est, potest aliquid accipi, cum labor iste sit extrinsecus precibus, neque per se influat in collationem beneficii; licet consultius sit jam beneficio obtento, aliquid ex gratitudine offerre intercessori, Reiff. etc. *Ad* 2. Impetratio audientiae non influit in collationem beneficii, uti nec simplex relatio meritorum, quae pure applicat merita, quibus patronus movetur ad dandam praesentationem. In praxi tamen relatio ista meritorum pecuniis empta, vix fieri potest sine labe simoniae. *Ad* 3. Neg. ant. quia modus, quo reipsa aliquid ultra sortem accipitur a tertio, omnem usuram excusare posset, si semel esset licitus, quod tamen est contra *reg.* 84. *in* 6.

10. R. 5. Conventio, qua duo beneficiati sine consensu Superioris permutant inter se beneficia, est simonia simplex juris communis Ecclesiastici: nam hoc jure prohibetur *c.* 5. *et* 7. *de rer. permutat.* quasi continens labem simoniae, puta improprie talis: at non est simonia juris naturalis, quia non datur temporale, sed spirituale pro spirituali, nisi permutationi pecunia intermisceretur.

11. R. 6. Conventio, qua quis alteri procurat beneficium cum pacto expresso, vel tacito, ut beneficium istud ad se, vel ad tertium revertatur, est *simonia qualificata juris Ecclesiastici*, seu *confidentialis:* ita dicta quod unus, seu dans, constituat fiduciam in altero, in quem beneficium transfert, quod idem beneficium ad se, vel ad

tertium revertetur. Damnatur haec simonia a Pio IV. Const. *Romanum* 7. *Kal. Nov.* 1564. a. S. Pio V. Const. *Intolerabilis Kal. Jun.* 1569. Species, seu modi, quibus committitur, praecipui sunt tres: collatio, seu resignatio beneficii *cum reservatione accessus,* ut beneficium restituatur alteri, qui nunc ob defectum aetatis non est capax illud obtinendi. *Cum reservatione ingressus,* ut beneficium restituatur illi, qui illud obtentum, et nondum possessum in favorem alterius resignavit. *Cum reservatione regressus,* ut mortuo beneficiario, vel alio modo per renuntiationem, aut professionem religiosam, idem beneficium revertatur ad priorem possessorem, v. g. Titius Canonicus Canonicatum suum resignavit in favorem Caii nepotis; eo tamen pacto, ut si Cajus citius moreretur, vel alio modo dimitteret Canonicatum, Titius ad eundem regredi posset. Vide dicta *lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 2. *et* 7. *Vide etiam Elencho VI. n. CX. par.* 1.

Dicitur autem haec simonia *juris Ecclesiastici,* et non *naturalis;* quia in illa non datur temporale, sed spirituale pro spirituali; si vero fieret cum datione, seu *reservatione pensionis temporalis,* esset omnino vera simonia juris naturalis, ut de se patet. Dicitur *qualificata,* quia fit cum speciali qualitate, et pacto mox insinuato; et insuper specialem habet qualitatem poenarum §. 4. referendarum. Porro dum Const. Piana dicit, eam committi *sola intentione* dimittentis beneficium, id non intelligitur de intentione in mente retenta, sed de intentione externa, seu voluntate, et pacto saltem tacito alterum obligandi ad restitutionem ejusdem beneficii.

12. R. 7. Conventio pretio facta, ut alter omittat actum spiritualem, est simonia, et omissio talis est simoniaca; ut si quis pecunia corruptus omitteret aliquem absolvere, vel eum ordinare, vel jurisdictionem spiritualem concedere etc. ita *c.* 14. *h. t.* ubi simoniacus dicitur, qui xenium temporale a peccatore accipit, *ut Episcopo, vel ministris ejus peccatum illius celet:* nam juxta *l.* 121. *ff. de R. J. Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quae non facit,* et cons. non faciendo, facit simoniam. Ad haec reduci possunt cetera omnia pacta simoniaca.

13. Q. III. *Quae pacta sint libera a labe simoniae? et qui actus non reputentur simoniaci?* R. 1. Pactum, quod facit Clericus ante susceptionem sacrii ministerii super congrua substentatione, aut stipendio, non est simoniacum: ita com. nam pactum super eo, quod ex justitia debetur, est licitum, ut scilicet quantitas, si non est lege, aut consuetudine determinata, pacto determinetur; sed congrua sustentatio, aut stipendium jure naturali debetur Clerico ministranti spiritualia: quia dignus est operarius mercede sua *Matt.* 10. *v.* 10. ergo. Illa autem determinatio mercedis non est commensuranda operi spirituali, sed conditioni personae congruenter sustentandae. Ab his tamen pactis abesse debet turpitudo, et avaritia: secus non carebunt affectu simoniaco: quo sensu intelli-

Digitized by Google

guntur *Can.* 2. *et seqq.* 1. *q.* 2. *et c.* 36. 41. *h. t.*

14. R. 2. Pactum, quod praelatus facit cum professuro, vel parentibus ejus, ut aliquid detur titulo donationis propter nuptias, vel titulo dotis, item titulo legitimae, et si monasterium sit inops, titulo sustentationis, non est per se simoniacum: ita com. ex ratione generali; quia, stantibus his titulis, temporale datur pro temporali, non pro spirituali, seu pro ipso ingressu religionis. Prob. specialiter 2. *pars* ex speciali indulto Innoc. VIII. a Tamburino *de jur. Abbatiss. d.* 5. *q.* 2. *et* 3. relato, quo Pontifex iste concedit Monialibus, ut ab ingressuris dotem congruam petere possint: nam in matrimonio carnali licite petitur dos, et donatio propter nuptias, sive sponsi sint divites sive pauperes *l.* 19. *ff. de rit. nupt. l.* 7. *C. de dotis promiss.* etc. ergo etiam in matrimonio spirituali, quod anima per professionum religiosam init cum Christo, licite petitur dos, vel donatio propter nuptias, cum a matrimonio carnali bene ducatur argumentum ad spirituale *c.* 2. *et fin. de translat.*

Prob. 2. *pars* Dum aliquid petitur titulo legitimae, seu juris ad legitimam, petitur temporale pro temporali; ergo nulla est simonia. *Nec obstat l.* 5. *ff. de acq. haered.* nam licet liberis non debeatur legitima ante mortem parentum, tamen jus radicale ad eam debetur, et hoc jus devolvitur ad religionem; ergo, cum religio non teneatur hoc jus gratis remittere, poterit super eo pacisci, et transigere, ita ut deinde nullum jus habeat ad portionem haereditariam.

Prob. 3. *pars arg. Trid. S.* 25. *c.* 16. *de Regul.* ubi permittitur religioni aliquid petere, et accipere pro victu, et vestitu novitii; ergo etiam si monasterium sit inops, aliquid exigi potest pro victu, et vestitu professi, cum ita temporale detur pro sustentatione temporali; ita docet S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. At si monasterium sit dives, ab ingressuro nihil peti potest titulo sustentationis; quia tunc non est necessaria sustentatio, sed fingitur praetextus paupertatis, et sustentationis: quo sensu procedit *cap.* 40. *hoc tit.* Imo in tali casu committi simoniam juris naturalis, fuse probat Reiff. verius tamen videtur oppositum, quod solum sit simonia juris Ecclesiastici; quia re vera in tali casu adhuc temporale datur pro temporali, scil. pro sustentatione, ita ut redditus monasterii in alium usum bonum applicari possint. Sic etiam parochus dives exigere potest redditus stolae, licet sine his congruam habeat sustentationem.

15. Obj. 1. Jus commune prohibendo aliquid exigi, vel accipi pro ingressu Religionis, prohibet omnem titulum accipiendi, et oppositum damnat simoniacae pravitatis, ut patet *ex Can.* 2. *et seq.* 1. *q.* 2. *et cap.* 8. 19. 25. 30. 40. *h. tit.* ubi generaliter prohibetur aliquid ex pacto accipi a professuro, etiam pro pastu, seu victu, sub titulo, aut praetextu paupertatis. Idem repetitur *Extrav.* 1. *h. t. int. com.* 2. Hodie titulus *sustentationis* allegari non potest; quia, ut inquit Van-Espen,

Digitized by Google

tot solum suscipi possunt, quot commode ali ex proventibus monasterii juxta Decret. Clem. VIII. incip. *Nullus omnino*, conformiter Trident. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* R. *Ad* 1. Jure communi prohiberi, ne quid ex pacto in monasteriis opulentis accipiatur pro pastu, et sustentatione, et jure naturali prohiberi, ne quid ex pacto pro ipso ingressu recipiatur: priori modo fit simonia saltem juris Ecclesiastici; posteriori modo juris naturalis: nulla autem simonia erit, si quid monasterium pauper exigat ad sustentandum religiosum: ita communis horum jurium interpretatio circumfertur, et fundatur in S. Th. *loc. cit.* Licet autem doctrina S. Th. vera sit, non tamen puto illam debite applicari ad citata jura interpretanda, quae generaliter excludunt omne pactum circa temporalia, et solam gratuitam oblationem permittunt *cap.* 30. *h. tit.* ubi in fin. subditur: *illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Existimo igitur jure antiquo ob justas causas statutum fuisse, ut absolute nihil ex pacto, quocumque titulo quaesito, exigi, vel recipi posset ab ingressuris religionem; sicut clerici nihil recipere poterant ratione baptismi, sepulturae, et aliarum functionum spiritualim *cap.* 9. *h. t.* quia temporibus illis expediebat, imo necessarium erat clericos, et religiosos ab omni temporalium cupiditate alienos esse. Sed mutatis temporibus, jura ista, partim constitutionibus, et declarationibus pontificiis, partim generali consuetudine, et opinione fidelium relaxata sunt, ut hodie liceat et clericis redditus stolae, et religiosis temporalia exigere; dummodo pro ipsis functionibus spiritualibus, vel pro ipso ingressu monasterii, quod jus naturale vetat, nihil ex pacto exigatur. *Ad* 2. Pecunia titulo dotis, vel legitimae, vel sustentationis data, habet rationem vel eleemosynae, vel obventionis in commune conferendae; adeoque non excluditur, sed comprehenditur in *cit. decreto.* Hic tamen attendendum est, ne dos, vel sustentatio indiscriminatim petatur; secus multis pauperibus magis idoneis praecluderetur via ad statum religiosum; item ne inhabilis suscipiatur propter pecuniam, quia tunc pecunia esset finis principalis, et susceptio simoniaca.

16. R. 3. Pensiones, quas clerici etiam divites a fidelibus exigunt ratione ministeriorum spiritualium, ut funerum, copulationum, baptismatum etc. non sunt simoniacae: nam *cap.* 42. *h. tit.* et Trident. *Sess.* 24. *c.* 14. *de reform.* approbantur, et servari praecipiuntur consuetudines piae, et laudabiles in receptione sacramentorum, aliorumque spiritualium administratione fieri solitae; sed solvere funeralia, baptismalia, et alia hujusmodi pertinet ad pias, et laudabiles consuetudines; ergo. Ratio est, quia pensiones istae non exiguntur, ut pretium pro ipso sacro ministerio, sed alio titulo per consuetudinem approbato. Et quidem clerici pauperes exigunt pensiones istas titulo sustentationis, et stipendii: clerici vero divites titulo oblationum ex consuetudine debitarum, et titulo decimarum personalium; in quarum locum videntur successisse illae

pensiones, quae etiam, si clerico diviti dentur, habent rationem justi stipendii, ut ille ex temporalibus eorum vivat, quibus ministrat spiritualia. Favet huic sententiae S. D. *quodlib.* 6. *a.* 10. *et* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 4. *Excipe* 1. Si clericus ex justitia tenetur certum ministerium praestare, pro eo non potest pecuniam accipere: sicut parochus, quia saltem dominicis, et festivis diebus tenetur pro ovibus suis missam offerre, non potest aliud stipendium pro eadem missa accipere citra injustitiam, et simoniam. *Excipe* 2. Si exactio sit violenta, immoderata, excedens summam lege, aut consuetudine taxatam; vel si fiat cum potestatione non faciendi spirituale, nisi numeretur pecunia, vel pignora, aut fidejussores dentur: tunc enim exactio non careret vitio simoniae; quia tunc ministerium spirituale praestaretur propter pecuniam, ut finem principalem, S. D. *loc. cit. a.* 3. *in corp.* Ex his explicantur *Can.* 1. *et seqq.* 1. *q.* 2. *Can.* 8. *d.* 18. *et Can.* 100. *nullus* 1. *q.* 1. *et c.* 8. 9. *h. t. Dices:* pensiones istae exigi non possunt pro ministerio, ut spirituale est, neque pro ministerio, ut quidam labor corporeus est, v. g. concionando, baptizando, funus comitando etc. nam labor iste est intrinsecus, et inseparabilis a sacro ministerio; ergo si quid exigatur, est simonia juris naturalis. R. Conc. ant. et neg. cons. nam adsunt tituli alii, ut labor extrinsecus, et obligatio adeundi certum locum, expectandi horam, et nutum alterius, neglectio proprii negotii, aliique tituli ante relati.

17. R. 4. Conventio conditionalis, qua aliquid datur, vel legatur sub conditione, aut modo, ut quid ponatur spirituale, non est simoniaca: ita com. praxis a sac. Canonibus approbata *c. fin. de testam. cap.* 12. *de restit. spoliat. Clem.* 2. *de sepultur. etc.* nam id quod datur, vel promittitur sub conditione, non est absolute obligatorium, sed praecise incitat, et invitat ad faciendum spirituale, quo posito, temporale datur ex mera liberalitate, aut gratitudine; ergo nihil simoniae continet: unde citra simoniam potest. 1. Testator relinquere certam summam, ut pro se anniversarium celebretur, vel altare, aut Ecclesia aedificetur. 2. Princeps, vel alius promittere officium, vel relaxationem poenae infideli, si ad fidem conversus fuerit. 3. Parentes promittere liberis munuscula, si missam audierint, vel communionem perceperint. 4. Benefactor offerre pauperibus pecuniam, si litanias, vel alias preces recitaverint etc. hoc enim modo non emuntur spiritualia, sed tantum incitantur, et provocantur animi per gratuitam beneficentiam, ut gratis spiritualia praestentur, S. D. *l. c. a.* 3. *ad* 2. *Dices:* Illicitum est statutum in aliqua Ecclesia, ut non fiat alicui processio funebris, nisi solvat certam pecuniam; ergo conventiones istae conditionales sunt simoniacae. 2. Bonifac. Papa *Can.* 2. *quam pio* 1. *q.* 2. ait: ***nunquam legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse.*** R. *Ad* 1. Conc. ant. et neg. cons. nam per simile statutum principaliter intenditur pecunia,

et praecluditur via gratis exhibendi alicui officium pietatis, quod illicitum est; e contra in conventione conditionali incitativa ad opus spirituale, non praecluditur via gratis faciendi spiritualia, sed solum ad ea facienda animi per munificentiam provocantur. Unde licitum esset statutum: *quicumque certam summam deposuerit? ei fiat processio funebris*, quia per hoc statutum non prohibetur gratis fieri opus pietatis, sed pecunia permodum invitationis praerequiritur. *Ad* 2. Apostolis conveniebat, non per munera, sed per praedicationem, et miracula invitare ad fidem; ex quo tamen non sequitur, quod provocatio per gratuita munera sit illicita. Secus esset, si per munera imponeretur absoluta obligatio faciendi spiritualia; ut si quis per pecuniam absolute obligaretur ad ingressum monasterii; tunc enim ingressus iste pecunia emeretur.

18. R. 5. Donatio gratuita absque voluntate alterum obligandi ex justitia ad dandum spirituale, per se non est simoniaca, licet fiat sub spe, et cum intentione conciliandi animum, v. g. patroni ad dandam praesentationem: nam *grataner recipi poterit, quod fuerit sine taxatione*, seu pacto *gratis oblatum*, *c.* 30. *h. tit.* cum hoc modo non ematur spirituale, sed provocetur animus, v. g. patroni, ut gratis det spirituale, sicut *num. praeced.* dictum. Sed licet doctrina ista speculative sit vera, in praxi tamen est valde periculosa, praesertim si munera donentur in notabili quantitate ante collationem beneficii: siquidem talia munera potenter inclinant, et excaecant animos, et vix unquam dantur sine simonia saltem mentali: imo in foro externo praesumitur simonia ex pacto, ut notat Fagnan. *in cap.* 1. *hoc. tit. num.* 27. Reiff. et alii. Similiter ista promissio gratitudinis: *procura mihi Canonicatum, et ero tibi gratus*, licet de se, et theorice non sit simoniaca, tamen si ex circumstantiis colligatur obligatio justitiae, et non pure antidoralis, et gratitudinis indeterminate, est omnino simoniaca; quia promittens, re ipsa obligat se ad aliquod temporale praestandum. *Excipe* a data responsione illa dona, quae etiam gratis oblata jus prohibet accipere; ut in ordinationibns, examinibus, in concursu pro parochia, expeditionibus litterarum Indulgentiarum etc.

19. R. 6. Conferre spirituale ex obligatione pure antidorali, seu gratitudinis, non est simonia; ut si praelatus suscipiat ad religionem filium, quia hoc modo vult exhibere gratitudinem pro beneficiis a patre illius acceptis: vel si Episcopus conferat alicui beneficium, quia vult ei esse gratus pro obsequiis, vel gratiis temporalibus ab eo acceptis: ita com. nam gratitudo, cum non habeat debitum, et opus determinatum, exhiberi potest per quodcumque opus, etiam nobilius re ipsa accepta: siquidem gratitudo non respicit aequalitatem cum re accepta, sed effectum gratificantis, qui superare potest gratias, et obsequia ab altero praestita, secluso omni pacto, et pretio, S. D. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 3. *et q.* 106. *a.* 1. *ad* 1. ergo etiam gratitudo exhiberi potest per exhibitionem rei spiritualis; ut si praelatus pro benefactore

monasterii jubeat a religiosis preces fundi, missas celebrari etc. et similiter si Episcopus, ut se gratum exhibeat, seclusa obligatione justitiae, confera alicui beneficium, nullam simoniam committit. *Dices:* 1. Gratiae, vel obsequia praestita Episcopo sunt *munus a manu, et obsequio*, quod constituit pretium simoniacum. 2. Compensatio gratuita inducit simoniam, ut dictum *num.* 7. alioquin facile simonia excusari posset, dicendo, quod, v. g. Episcopus det beneficium, ut offerenti pecuniam se gratum exhibeat. R. *Ad* 1. Dist. ant. si obsequia ista praestentur ex pacto expresso, aut tacito, seu titulo justitiae, ut pro eis detur spirituale, v. g. beneficium, conc. ant. si praestentur gratis, vel pro alia mercede conventa, ita ut nulla sit obligatio justitiae pro eis dandi beneficium, neg. ant. hic autem supponitur, quod nulla sit obligatio justitiae ad compensanda haec obsequia. *Ad* 2. Compensatio gratuita deducta in pactum, ut spirituale detur pro temporali, omnino inducit simoniam, ut ibi dictum; quia tali casu non est actus gratitudinis, nisi nominetenus; re ipsa autem est actus justitiae: at in nostro casu nullum supponitur adesse pactum, nullaque obligatio justitiae; ergo sicut Episcopus pro arbitrio suo posset fidelia obsequia remunerari per officium temporale, ita etiam potest per beneficium ecclesiasticum, vel alterius rei spiritualis exhibitionem. Ex datis resolutionibus innumeri solvuntur casus particulares, in quibus facile deprehendes simoniam, si modo attendas, tunc eam committi, dum temporale datur pro spirituali ex pacto, seu contracto oneroso, ita ut dans velit ex justitia alterum obligare ad dandum spirituale pro temporali, vel e contra; secluso autem tali pacto, et obligatione, dare spirituale pro temporali non est simonia.

§. II.

De merce simoniae.

20. *Nota* 1. Materiam adaequatam simoniae esse *rem spiritualem;* permodum *mercis* venalis, et *rem temporalem* permodum *pretii* late sumpti pro omni eo, quod est pecunia aestimabile, licet quandoque res spiritualis habeat rationem pretii, et res temporalis rationem mercis, prout subjecta materia patitur; ut si per collationem beneficii emas ab altero preces, vel operas temporales.

21. *Nota* 2. Nomine *rei spiritualis* hic non intelligi creaturas naturales entitative spirituales, ut sunt Angeli, animae rationales, actus naturales intellectus, et voluntatis, sed res aliquo modo supernaturales, a Deo, vel Ecclesia ordinatas ad cultum divinum, et salutem animarum. Res spirituales hoc secundo sensu acceptae sunt in quadruplici genere: nam 1. Aliquae sunt *spirituales formaliter*, ut habitus supernaturales gratiae, fidei, spei etc. 2. Aliquae sunt *spirituales causaliter*, ut sacramenta, sacramentalia, officia ecclesiastica ad animarum salutem ordinata. 3. Aliquae sunt *spirituales effective* permodum operationis, ut baptizare.

absolvere a censuris, et peccatis, judicare in causis spiritualibus etc. 4. Aliquae sunt *spirituales connexive*, quae licet in se sint temporales, tamen propter connexionem cum spirituali evadunt spirituales, et ad finem supernaturalem ordinantur. Triplici autem modo conjungi possunt spiritualibus; *antecedenter*, quia ordinem dicunt ad spirituale, sicut calices, vestes sacrae, missalia, juspatronatus etc. *concomitanter*, uti labor corporeus in concionando, sacrificando, sepeliendo etc. *consequenter*, quatenus ad jus spirituale sequitur aliquid temporale, tanquam accessorium: quo modo jus praebendae, et decimarum annectitur officio spirituali. Jam certum est, quod omnes res istae suo modo possint esse materia simoniae, si dentur pro aliquo temporali. Sed pro claritate specialiter de singulis hic aliquid dicendum erit.

22. Q. I. *An res formaliter, vel causaliter spirituales sint materia simoniae?* R. 1. Res formaliter spirituales sunt materia simoniae, sive emantur in abstracto, sicut Simon magus voluit emere Spiritum Sanctum: seu gratias gratis datas, sive in concreto; ut si servus carius venderetur, quia christianus, sacerdos, vel thaumaturgus est: nam gravis irreverentia infertur, dum res istae tam sanctae, et excelsae pretio temporali aestimantur. R. 2. Res causaliter spirituales, ut sacramenta, sacramentalia, sive transeuntia, ut variae benedictiones, et exorcismi Ecclesiae, sive permanentia, ut res consecratae, et benedictae: item officia ecclesiastica, ut officium Episcopi, parochi, abbatis etc. sunt materiae simoniae, saltem prout accipiuntur cum suo spirituali: ita constat fere ex tota *causa* 1. *q.* 1. *c.* 9. *h. t.* et alibi passim: nam hacc gratis dari Christus voluit *Matth.* 10. *v.* 8. *gratis*, inquiens, *accepistis, gratis date.* Excipe materias remotas sacramentorum, et sacramentalium, quae praevie emi possunt, ut panis, et vinum pro Eucharistia, oleum, balsamum, calices, vestes, et alia utensilia cultui divino applicanda. An vero, dum connexive sunt spiritualia, vendi possint, infra dicetur, nunc.

23. Q. II. *An res spirituales effective per modum actionis sint materia simoniae?* R. 1 Affirmative: nam actiones istae ordinantur ad salutem animarum, adeoque excedunt omne pretium temporale. Hujusmodi sunt: 1. Actus a gratiis gratis datis proficiscentes, ut prophetia, patratio miraculorum etc. 2. Actus ordinum clericalium, ut consecrare, ordinare, sacrificare, baptizare etc. *cap.* 1. 8. 9. *etc. hoc. tit.* 3. Actus officii, seu jurisdictionis spiritualis, ut conferre beneficia ecclesiastica, approbare ad curam animarum, concedere jurisdictionem pro foro interno, absolvere a censuris, dispensare in sac. Canonibus, votis, juramentis, impedimentis matrimoniorum, et ordinum, admittere ad novitiatum, et professionem religiosam, ceterique actus jurisdictionis ecclesiasticae sive voluntariae, sive contentiosae in judiciis ecclesiasticis, sive fiant super causis pure spiritualibus, sive profanis, seu civilibus clericorum *Can.* 10. *vendentes* 1. *q.* 3. Si vero praelatus habeat in suo

territorio jurisdictionem temporalem, pro actu illius accipiens pecuniam, illicite, quidem, sordide, et plerumque injuste agit, non tamen simoniam committit, cum actus iste non procedat ex potestate spirituali.

24. R. 2. Actus ordinum minorum etiam ut a laicis exercentur, sunt materia simoniae: ita Laym. Scamb. et alii: nam actus isti licet in laicis non procedant ex potestate spirituali, tamen ex fine suo sunt spirituales; ergo gratis exerceri debent: pretium vero petendum est ex alio titulo, ut sustentationis, laboris extrinseci, et obligationis ad nutum alterius.

25. R. 3. Pro collatione quorumcumque ordinum, etiam primae tonsurae: item pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, Episcopi, et eorum ministri: praecedente pacto, aut exactione, nihil recipere possunt, citra vitium simoniae, *cap. 1. h. tit.* imo nec sponte oblatum: ita jure novo Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* et Bened. XIII. Constit. incip. *Commissi* 1725. *pridie non. Maj.* ubi severe prohibet, ne illi, qui abbates benedicunt, ante, vel post benedictionem munera etiam modica recipiant. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum *Can. 1. sicut. 1. q. 2. et cap.* 18. *h. t.* ubi post ordinationem, vel confirmationem Episcoporum permittitur aliquid modicum, sponte oblatum accipi: item in *Trid. cit.* excipiuntur notarii in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, ut decimam aurei partem accipere possint pro dimissoriis, aut testimonialibus; dummodo nullum salarium sit eis constitutum, nec Episcopus inde aliquid accipiat directe, vel indirecte.

26. R. 4. Pro dispensationibus in legibus, et impedimentis Canonicis nihil accipi potest: ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* et *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* nam dispensationes istae ordinantur ad bonum spirituale fidelium, et procedunt a potestate spirituali: ergo pretio non sunt solubiles.

27. *Obj. contra istas respon.* 1. In curia apostolica statutae sunt certae taxae pro confirmatione Episcoporum, pro dispensationibus, et aliis expeditionibus spiritualibus. 2. In curiis episcopalibus, non tantum sponte oblata recipiuntur, sed etiam taxae praescriptae sunt, et novae inducuntur pro investituris, dispensationibus, et judiciis, aliisque negotiis spiritualibus; et tamen taxas istas quis simoniae condemnet? Videntur ergo jura Can. non esse ubique recepta, sicut Lessius ait Constit. *cit. Trid. sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* non ubique praxi receptam esse. 3. Cancellariae saecularium patronorum taxas determinatas habent; et vix expediunt litteras praesentationis, nisi prius taxa solvatur, vel praesentatus ad eam solvendam se obliget; et tamen patronos istos, eorumque officiales nemo condemnat simoniae.

R. *Ad* 1. In Curia apostolica actus spirituales gratis expediuntur: taxae vero cohonestantur ex pluribus titulis; ut *ex titulo commutationis*, dum votum commutatur in opus pium, et eleemosynam: *ex titulo coercitionis* per modum poenitentiae, dum ob praece-

dens delictum petitur dispensatio: *ex titulo cohibitionis* a petitione dispensationum, ut dispensationes sint onerosae: *ex titulo sustentationis* pro officialibus Papae, qui plurimi sunt, et pro tota Ecclesia laborant etc. *Ad* 2. Trident. *loc. cit. ejusmodi taxas, ac statuta, et consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quae potius abusus, et corruptelae, simoniacae pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassat, et interdicit.* Et juxta hoc Decretum judicat sac. Congr. ut fusius ostendit Fagn. *cap.* 1. *in ordinando h. tit.* Quod vero Decretum Triden. dicatur a Lessio, et aliis non esse ubique usu receptum, id quidem experientia probat: an vero adsit titulus, et causa sufficiens cohonestans ejusmodi taxas, praesertim excessivas, juri scripto tam antiquo, quam novo adversantes, est quaestio facti, utique pro foro conscientiae decidenda ab his, quorum interest. Haec consuetudo taxas exigendi solet justificari ex praesumptione: quia praesumitur incepisse ex legitima causa, et titulo, v. g. sustentationis ministrorum Curiae, vel ex privilegio apostolico: quia vero praesumptio ista est facti, quo deficiente, sicut lex, ita et consuetudo deficit; ne alioquin ad illicitum obliget, ideo durum videtur ex praesumptione ista conscientiam justificare. Hinc, ut ait P. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ult.* §. 4. *num.* 40. *consultum valde esset tales consuetudines, speciem mali praeseferentes, tollere, siquidem Episcopi, qui sufficientes redditus habent,* (secus in pauperibus) *ex lege justitiae obligati sunt ad stipendia justa officialibus suis solvenda, ne pro spiritualibus functionibus aliquid loco stipendii exigere cogantur ab his, quibus administrant:* qui sensus est etiam ceteris Doctoribus, qui hanc materiam periculosam mente pacata considerant. Hoc certum est ex supra dictis, quod si Ordinarius, vel ejus officiales nolint ordinationes celebrare, stante justa causa, dispensare, litteras testimoniales dare, in beneficiis instituere, nisi pecunia numeretur, omnino committi simoniam; quia actus isti spirituales principaliter exercentur propter pecuniam, S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *in corpor. et ad* 5. Item certum est plerumque injustitiam committi, si taxae indiscriminatim, et aequaliter petantur a divitibus, et pauperibus clericis, religiosis, aliisque fidelibus: cum enim taxae istae non dentur pro actu spiritualis jurisdictionis, sed *titulo sustentationis*, ratio habenda est facultatum, ut proportione servata, concurratur ad hanc sustentationem. *Ad* 3. Cancellariae saeculares a simonia excusari solent *titulo privilegii apostolici*, quo Papa principibus, aliisque patronis indulgere solet, ut certos redditus, vel pensiones in mutatione Episcoporum, et aliorum praelatorum percipere possint: *titulo reservationis*, dum patronus transferens bona sua in Ecclesiam, reservavit sibi certam pensionem a quolibet novo beneficiato praestandam: vel si bona data sint Ecclesiae in feudum cum conditione, ut novus beneficiatus in recognitionem dominii directi praestet certam pensionem per modum *relevii.*

Digitized by Google

Ceteri tituli plerumque non excusant ab injustitia, et simonia: non *titulus sustentationis* officialium, qui a domino suo competens salarium non habent, sed hoc resarciri debet ex consuetis taxis pro litteris praesentationum ad beneficia datis: nam beneficiati non tenentur concurrere ad sustentandos officiales patroni; imo aperta est simonia; dum praesentatio datur, ut clericus praesentatus aliquid contribuat pro sustentandis officialibus cancellariae patroni: non *titulus gratitudinis*, quia haec alio modo exerceri potest; si vero sit determinata ad certam taxam, et pecuniam, non liberat a simonia, ut supra dictum *num.* 7.: non *titulus stipendii, et mercedis*, quia ex hoc titulo, licet aliquid moderatum, et labori scriptionis adaequatum accipi posset, tamen excessiva taxa peti non potest: imo patronus vi juris patronatus, sicut obligatur gratis praesentare, ita quoque obligatur gratis dare litteras praesentationis. Alium titulum non reperio, nisi *gratiae*, ut, quod sponte sine taxatione offertur post expeditam praesentationem, gratanter a patrono, vel ejus cancellaria recipiatur, conformiter *c.* 30. *in fin. h. t.* Quo titulo parochi recipiant redditus stolae, dixi supra.

28. Q. III. *An res spirituales connexive sint materia simoniae?* R. 1. Calices consecrati, paramenta sacra, loca auctoritate ecclesiastica deputata ad cultum divinum, ut Ecclesiae, coemeteria, et alia hujusmodi, ut accipiuntur adaequate cum sua benedictione, et ordine ad finem supernaturalem, sunt materia simoniae; ita com. nam res istae hoc modo acceptae sunt omnino sacrae, et nullo temporali pretio adaequabiles.

29. R. 2. Calices, et aliae res sacrae habentes materiam pretio aestimabilem, secundum illam vendi possunt absque ulla simonia: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. 2. et 3. contra Abbatem, et quosdam veteres negantes vasa sacra vendi posse, nisi prius per confractionem execrentur. *Prob.* ex *Can.* 2. *ca.* 10. *q.* 2. ibi: *vel distrahantur integra, vel aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur*, et *Can.* 70. *aurum* 12. *q.* 2. ubi pro necessitatibus pauperum permittitur vasa sacra divendi. *Ratio est*, quia res sacrae per consecrationem, et ordinationem ad cultum divinum, non amiserunt suum valorem naturalem; ergo secundum materiam vendi possunt: integrae quidem pro alia Ecclesia; confractae vero, si ad usum profanum adhiberi debeant, ut insinuant *citt.* jura, et *l.* 21. cum *auth. praeterea C. de sacr. Eccl.* Ab hac resolutione excipiunt quidam Ecclesiam, et coemeterium; quia haec duo non solent esse in commercio humano: nihilominus probabile est, quod proprietas materialis Ecclesiae, et sepulchri propriis, vel majorum sumptibus aedificati per venditionem transferri possit in alium, cum consecratio, vel deputatio ad finem spiritualem non tollat materialem valorem loci, aedificii, et sumptuum in eo impensorum: quamvis sine necessitate, et debitis solemnitatibus venditiones tales non sint faciendae.

Digitized by Google

30. Obj. 1. Ecclesiam non posse vendi probat *Can.* 7. *si quis* 1. *q.* 3. *et cap.* 15. *h. tit.* 2. Sepulchrum vendi prohibetur *Can.* 12. *cum seqq.* 13. *q.* 2. *cap.* 9. 11. *h. tit. et cap.* 13. *de sepultur.* 3. Venditio olei benedicti, et Chrismatis dicitur simoniaca *Can.* 105. *dictum* 1. *q.* 3. *et cap.* 8. *h. tit.* 4. Sacra vasa posse vendi, sed non nisi execrata, docet S. D. *loc. cit. ad* 2. 5. Licet praebenda, ut est jus exigendi fructus temporales, sit pretio aestimabilis, tamen, quamdiu est annexa juri, et officio spirituali, citra simoniam vendi non potest, *cit. Can.* 7. *si quis* 1. *quaest.* 3. ergo a pari.

R. *Ad* 1. *in cit. Can.* 7. sermo est de Ecclesia, non materiali, sed obtenta in titulum, seu de beneficio, ut patet ex verbis: *Nullus igitur emat Ecclesiam, aut praebendam* etc. In *cap.* 15. *h. tit.* agitur de Ecclesia non locanda, et non vendenda sine consensu capituli. *Ad* 2. Citata jura procedunt de coemeterio communi, in quo fideles gratis sepeliri debent, licet ex aliis titulis aliquid accipi possit, v. g. pro conservatione illius, pro loco digniori, pro sustentatione ministrorum, etc. At si est sepulchrum proprium secundum materiam suam vendi potest: quo casu jus sepulturae accessorie transferetur in emptorem. Sic etiam servatis servandis, Ecclesia fundum coemeterii cedere potest, v. g. Regularibus pro alio fundo commodiori ad sepeliendos fideles. *Ad* 3. Oleum, et Chrisma prohibentur vendi, quia, cum materia sit exigui pretii, benedictio potius, quam materia censeretur vendi. *Ad* 4. S. D. loquitur pro casu, quo vasa sacra vendenda sunt ad usum profanum *pro necessitate Ecclesiae, et pauperum:* et tunc omnino confringenda sunt. *Ad* 5. Neg. cons. nam praebenda, ut quid accessorium, auctoritate papali annectitur officio spirituali, ut principali, ejusque conditionem sequitur, ut nisi per Papam separetur ab officio spirituali, citra simoniam vendi non possit; e contra materia calicis, et similium rerum, est quid principale, cui consecratio, vel benedictio accessorie supervenit; et cons. materia vendi potest, quam accessorie sequetur benedictio, sicut venditionem castri accessorie sequitur jus patronatus ei annexum.

31. R. 3. Jus patronatus seorsim, et per se vendi non potest citra simoniam juris naturalis: ita com. contra Sot. Sylv. Navar. docentes esse simoniam juris ecclesiastici; nam jus patronatus, vel est spirituale formaliter, vel saltem connexive antecedenter, quatenus ordinatur ad collationem officii spiritualis, neque per se aliquam materiam habet pretio aestimabilem; ergo si vendatur, venditur quid spirituale, et hoc irreverenter tractatur, seu violatur, in quo consistit simonia juris naturalis. *Dices:* 1. Jus patronatus est inventum Ecclesiae, et sequitur naturam patrimonii profani, transeundo ad haeredes, et emptores. 2. Ex jure patr. non fluit actio spiritualis, neque praesentato tribuit aliquod jus spirituale. R. *Ad* 1. Dist. ant. est inventum sacrum, sicut novitiatus, prima tonsura etc. conc. ant. profanum, neg. ant.

Digitized by Google

Quod jus patronatus transmittatur ad haeredes, et emptores loci, cui simile jus est annexum, id oritur ex generali privilegio juris habilitantis laicos ad possidendum hoc jus spirituale. *Ad* 2. Praesentatio est actio spiritualis connexive, et tribuit jus saltem remotum, ut praesentatus, si idoneus est, necessario institui debeat.

32. R. 4. Praebenda, seu beneficium, ut est jus percipiendi fructus temporales, non potest vendi citra simoniam juris naturalis: ita Abb. Covar. Gonz. Schmier. Schmalz, contra Gloss. *cap.* 12. *de off. Deleg. v. dimittere*, Nav. Clar. Zoes, et alios, volentes esse simoniam tantum juris ecclesiastici. Prob. ex Canonibus *causae* 1. *q.* 3. ubi clare colligitur simoniam istam esse juris naturalis: nam *Can.* 8. *ibid.* Urbanus II. eam damnat his verbis: *pecunia tua tecum sit in perditionem, ex Actor.* 8. *v.* 19. item *seq. Can.* 9. venditores praebendarum tanquam nummularii comparantur venditoribus columbarum, *qui sacram manus impositionem vendere conantur;* et infra dicuntur esse *divinorum praeceptorum immemores*, et Can. 14. *ibid.* Paschalis II. ait: *Altare, et decimas per pecuniam dare, et Spiritum Sanctum vendere, simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat*, ubi nomine *altaris* venit praebenda ex doctrina *Can.* 4. *ibid.* imo, si decimas vendere est simoniaca haeresis, multo magis vendere praebendam erit haeresis simoniaca. Huc faciunt plurimi textus, *cap.* 6. et *fin. de pact. cap.* 4. 7. *de transact. cap.* 15. 34. *h. tit.* ex quibus sane plus colligitur, quam simonia juris ecclesiastici. *Ratio est*, quia simonia juris naturalis est violatio rei sacrae per venditionem, sed praebenda, quatenus auctoritate papali annexa juri, seu officio spirituali, est res sacra, saltem connexive, et tanquam accessorium sequitur naturam officii spiritualis; ergo si vendatur, violatur res sacra, et cons. fit simonia juris naturalis: unde *Can.* 7. *si quis* 1. *q.* 3. de tali venditione dicitur: *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Idem dic de cappellaniis, commendis, pensionibus auctoritate Episcopi constitutis, et officio spirituali annexis. Si tamen a principali Rectore pensiones annuatim sint solvendae pensionario, ad munus spirituale obligato, probabile est, eas redimi posse per anticipatam solutionem; cum hic detur temporale pro temporali, seu pro immunitate a solvendis annuis pensionibus: licet tutius sit, ut redemptio ista fiat cum licentia Papae.

Vide addit. hac part. II. post. num 3.

Dices: Papa vendere potest praebendam sine simonia; ergo haec non est juris naturalis. 2. Creatio, et annexio praebendarum facta est jure Can. ergo venditio illarum est tantum contra jus Can. 3. Sic se habet praebenda ad officium spirituale, sicut villa, vel castrum ad jus patronatus: nam utrobique unum est annexum alteri; sed vendi potest villa sine simonia juris naturalis, ergo et praebenda. R. *Ad* 1. Si Papa jus praebendae separet ab officio spirituali, jus istud, utpote mere

temporale, vendi potest absque ulla simonia: nullus autem Papa inferior haec duo jura separare potest. *Ad* 2. Conc. ant. saltem quoad formam, et determinationem, et neg. cons. nam supposita institutione, et annexione praebendae, venditio illius contrariatur juri naturali, sicut supposita institutione novitiatus, vel primae tonsurae, jam venditio similium juri naturali est adversa. *Ad* 3. Est disparitas: nam villa est quid principale, cui accessorie unitur jus patr. et cons. manet venalis: e contra praebenda est quid accessorium officii, ejusque naturam sequitur; ergo sicut officium vendi nequit, ita nec praebenda, ut dixi *n*. 29.

Ex his facile resolves particulares quaestiones de aliis rebus, et actionibus spiritualibus, de quibus consule Laym. *l*. 4. *tr*. 10. *c*. *fin*. §. 4. *et* 5. et prae ceteris S. D. 2. 2. *q*. 100. *a*. 2. 3. 4.

§. III.

De Pretio simoniaco.

33. *Nota munus* hic non accipi pro dono liberali, sed pro aliquo ex justitia commutativa debito; qualiter etiam onera ex justitia debita dicuntur *munera tit. ff. de munerib.* Hoc sensu *munus* est triplex: 1. *Munus a manu*, per quod intelligitur pecunia late sumpta pro omni re mobili, vel immobili in alterum transferibili. 2. *Munus ab obsequio*, quod est servitium temporale ex justitia praestandum, ut famulari, negotia gerere, scribere etc. 3. *Munus a lingua*, quod est omne genus precum temporalium, laudum, commendationum, quatenus haec ex obligatione fiunt ad obtinendum spirituale, vel ad compensandum pro illo obtento. Insinuatur haec divisio *Can*. 113. *ordinationes*. 1. *q*. 1. *et Can*. 8. *Salvator*. 1. *q*. 3. ibi: *ideo* etc. et traditur a S. D. 2. 2. *q*. 100. *art*. 6. *in corp*.

34. Q. 1. *An munus ab obsequio, et lingua constituat materiam, seu pretium simoniae?* R. 1. Affirmative; dummodo munus istud praestetur ex debito, seu ex obligatione justitiae, ut intuitu illius detur spirituale, vel quia datum est spirituale pro tali munere praestito vi pacti expressi, aut taciti: nam sicut munus a manu, ita quoque munus ab obsequio, et lingua est temporale, et pretio aestimabile; ergo si fiat ex pacto, et obligatione justitiae pro aliquo spirituali, vim habet pretii simoniaci, quo spirituale emitur. Unde 1. Simonia est servire Episcopo sine salario, vel cum modico salario, cum expresso, vel tacito pacto, ut loco salarii beneficium servienti conferatur. At, si serviat gratis, vel sub spe obtinendi beneficium, nolendo tamen ex justitia Episcopum, vel patronum obligare, per se loquendo non est simonia, cum non praestetur munus ab obsequio, ut intuitu illius ex justitia detur beneficium: est tamen hoc periculosum, praesertim ante collationem beneficii: tum quia in foro externo speciem simoniae praesefert, et scan-

Digitized by Google

dalum generat; tum quia inducit in peccatum acceptionis personarum; tum quia servitia gratuita, sicut munera, plerumque excoecant, et degenerando in obligationem justitiae, simoniam secum trahunt. 2. Simonia est offerre preces, vel commendationes, v. g. laudabo, vel commendabo te apud principem, si mihi, vel huic meo clienti beneficium, vel in electione suffragium dederis: vel contra, do tibi beneficium, et suffragium, ut me apud principem commendes, vel pro me preces interponas: et sic de aliis in particulari.

35. R. 2. Dare spirituale propter causam temporalem, nulla intercedente obligatione justitiae, non est simonia: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 2. nam simonia fundatur in contractu emptionis, et venditionis, seu ut spirituale pro temporali, vel e contra, detur per modum commutativae compensationis ex justitia; ergo. Unde 1. non est simonia, si quis alicui conferat beneficium intuitu consanguinitatis, amicitiae, familiaritatis; quia confert gratis, nec aliquam compensationem petit ex parte collatarii. Ex alio tamen capite, si consanguineus sit indignus, reprobatur talis collatio, *cap. unic. ut Eccl. benefic.* At *si aliquis dat beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia*, S. D. *loc. cit.* nam sic dando, imponit collatario obligationem justitiae compensativam collationis. 2. Qui pro se interponit preces, commendationes, adulationes, ut obtineat beneficium, et collator, vel patronus ad has preces confert illud, neuter simoniam committit: ita com. nam collatio est gratuita, non vero ex justitia compensativa precum, vel adulationum. Nec obstat *Can.* 113. *ordinationes* 1. *quaest.* 1. siquidem collatio ad preces facta tunc est simoniaca, quando preces per illam emuntur, modo ante dicto; secus si preces sint tantum causa impulsiva ad collationem *c.* 34. *h. t. Can.* 121. *et seqq.* 1. *q.* 1. At si collator daret beneficium, ut collatarius obligaretur ei facere jocos, vel comparere ad colludendum, aperta foret simonia. 3. Qui propter preces armatas, seu metum injuste incussum dat beneficium, non est simoniacus: nam beneficium gratis datur, tanquam medium ad tollendam vexationem. At si collator metum incutienti imponeret novam obligationem justitiae, v. g. ut in posterum semper cesset ab injusta vexatione, collatio foret simoniaca. 4. Qui dat beneficium debitori, metu amittendi debitum, non est simoniacus, quia illud gratis dat: at si apponat pactum securitatis, seu conditionem, ut beneficiatus debitum solvat, simoniaca est collatio, propter novam obligationem. 5. Qui dat temporale gratis, attamen sub conditione contractum reciprocum non inferente, non est simoniacus; ut si puellae promittat dotem sub conditione, si religionem professa fuerit, vel si legentur centum, ut anniversarium celebretur etc.

36. Q. II. *An, et quando spirituale datum pro spirituali habeat rationem pretii simoniaci?* R. 1. Regulariter loquendo, non habet, nisi bene-

ficium commutetur pro beneficio absque consensu legitimi superioris: quo casu est simonia juris ecclesiastici, *cap.* 5. 7. *de rer. permut.* 2. Si imponatur onus, quod de jure inest, non est simonia, v. g. confero tibi beneficium, ut alterum incompatibile resignes, vel ut solvas debita ratione pvaclaturae, seu Ecclesiae contracta: at si imponatur onus, quod de jure non inest, est simonia propter novam obligationem pretio aestimabilem, v. g. confero tibi beneficium, ut alterum resignes compatibile, ut solvas expensas, quas ratione personae suae, vel litis, fecit prior beneficiatus. At si collato beneficio, Papa gravet beneficiatum ad solvendo debita priora, non est simpnia; quia gravamen istud non descendit ex contractu, sed ex voluntate, et jurisdictione Papae.

37. Q. III. *An redemptio injustae vexae per dationem temporalis sit simoniaca?* R. 1. Si vexatio superveniat juri jam plene quaesito in praelatura, aut beneficio, non est simonia vexationem istam pecunia redimere, *Can.* 4. *quaesitum* 1. *q.* 3. *et cap.* 28. *h. tit.* nam tali casu non datur temporale pro spirituali, sed pro temporali; cum cessatio, seu omissio injustae vexationis sit mere quid temporale; ut si quis Episcopum confirmatum injuste vellet vexare, poterit ei dari pecunia, ut removeatur impedimentum injustae vexationis. Quod procedit etiam in casu, quo Episcopus confirmatus necdum adeptus est possessionem; quia possessio ista est tantum facti; adeoque si quis ab ea impediatur injuste, poterit impedimentum pecunia removere. At si vexatio est justa, v. g. propter dubium legitimao electionis, vel si jus in praelatura necdum sit plene quaesitum, non licet eam pecunia redimere; quia hoc modo per pecuniam deveniretur ad praelaturam: imo si fieri potest, vexationes injustae semper officio judicis elidendae sunt.

38. R. 2. Si vexatio antecedat electionem, seu acquisitionem praelaturae, aut beneficii, regulariter non licet cam pecunia redimere, S. D. 2. 2. *q.* 100. *a* 2. *ad* 5. ubi rationem reddit; quia talem vexationem removens, *per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam:* sic enim dans pecuniam Canonico electori, ne eum vexet, virtualiter, et primario intendit electionem sui, *cap.* 23. *h. tit.* 2. Si vexatio immincat ab extraneo, ut quia is vult tibi nocere per sinistras relationes, discommendationes, et persuasiones malignas, redimendo talem vexam pecunia, non committis simoniam; etsi vexator esset capitularis, volens te apud alios coelectores denigrare, et discommendare: nam quisque jus quaesitum habet, ne sinistre apud alios discommondetur: quo casu redimendo vexam, non facit sibi viam expeditiorem ad electionem, sed praecise impedit viam duriorem injuste causandam. 3. Si detur pecunia electoribus, ne eligant indignum, determinando personam dignioris eligendi, committitur simonia, quia obligatio hujus pecuniae re ipsa influit in electionem dignoris. at si persona dignor nulla

determinetur, speculative loquendo, nulla est simonia, quia pecunia datur pro temporali, seu pro remotione indigni. Sed quia modus iste periculotus est, et plerumque palliatam habet simoniam, ideo ab illo abstinendum, et electio indigni alio modo impedienda est; puta per recursum ad superiorem.

39. Q. IV. *An sub materia simoniae contineantur annatae? Nota annatas* esse certas pensiones, quae ex episcopatuum, aliorumque beneficiorum fructibus primi anni solvuntur Camerae apostolicae. Harum 4. sunt species: 1. *Annatae* specifice, quae sunt dimidia pars fructuum primi anni, obveniens soli Papae ex beneficiis inferioribus, et regularibus, non consistorialibus, hoc est, quae in Consistorio Papae non conferuntur; dummodo redditus anni excedant 24. aureos. In Germania, Gallia, et Hispania ex Canonicatibus, et beneficiis aliis nullae annatae solvuntur; quia et moderamine Sedis apostolicae taxantur ad 24. aureos, licet re ipsa mille, vel plura millia aureorum inferant. 2. *Communia servitia*, quae communiter obveniunt Papae, et Cardinalibus, his dimidium, et illi dimidium, et dantur ex praelaturis consistorialibus, seu collatis in Consistorio Papae, rogatis Cardinalium suffragiis. Tales in Germania sunt Archiepiscopatus, Episcopatus, praelaturae tam saeculares, quam regulares immediate Sedi apostolicae subjectae. Et quamvis integri fructus primi anni solvi deberent, fit tamen moderamen, ut vix quinta pars solvatur, dato termino duorum annorum: et si praelatura bis, vel pluries eodem anno vacet, non solvitur, nisi una annata ex concord. Germ. §. *placet similiter*. 3. *Servitia minuta*, quae sunt minutae partes annatae, seu certae portiones dividendae inter ministros minores Papae, secundum proportionem taxae. 4. *Quindennia*, quae sunt dimidia pars fructuum unius anni singulis quindecim annis Camerae apostolicae solvenda ex beneficiis quibusdam unitis, vel specialiter exemptis a communi reservatione beneficiorium: sicut est praepositura Augustana, ex privilegio Alexandri VI. facta electiva. Vide de his Fagn. *c.* 1. *praeterea. Ne praelati vic. suas.*

40. R. Exactio, et solutio annatatarum non est simoniaca, sed licita, justa, et necessaria: ita Cathol. contra Haeret. quamvis in Concil. Basileens. etiam nonnulli Catholici de honestate harum annatarum disputaverint: nam beneficia conferuntur a Papa gratis; pensiones vero istae ex multis causis justificantur; et quidem 1. Annatae exiguntur in signum subjectionis erga romanam Ecclesiam, a qua omnes Ecclesiae, et institutae sunt, et dependent, *Can.* 1. *d.* 22. 2. Exiguntur in subsidium Sedis apostolicae, ut haec pro toto orbe laborans, facilius sustentare possit Cardinales, et plurimos alios officiales, quibus indiget ad regimen totius Ecclesiae; atque ut bene meritos praemiare, et pauperes clericos ad se confluentes sublevare valeat. 3. Exiguntur ad publicas Ecclesiae necessitates, ut ad bellum contra infideles etc. Vide *cit. Fagn.*

§. IV.

De poenis, restitutione, et judice simoniacorum.

De poena aeterna, quam meretur gravissimum delictum simoniae, etiam internae, hic non agimus: neque de poena arbitraria, quam judex imponere potest, ubi juro non est expressa; sed de poenis a jure latis contra simoniam commissam in *ingressu religionis*, *in collatione Ordinum*, *et provisione beneficiorum*.

41. Q. I. *Quae simonia habeat poenas a jure statutas?* R. 1. Sola simonia realis, et confidentialis: ita com. Prima pars prob. ex canonibus *causae* 1. *quaest.* 3. *cap.* 8. 34. 40. *etc. h. t. Extrav.* 1. *et* 2. *eod. int. com.* ubi poenae illae statuuntur contra simoniam datione spiritualis pro temporali completam; ergo cum poenae sint odiosae, extendi non debent ad aliam simoniam: *mentalem cap. fin. h. tit.* pro qua sufficit suo satisfacere Creatori: mere *conventionalem*; quia non est perfecta in qualitate traditionis ad poenas requisitae; nec ad *conventionalem mixtam* traditione solius pretii temporalis perfectam; quia in ea res spiritualis necdum reipsa irreverenter profanatur: et probabilius neque ad conventionalem mixtam traditione solius rei spiritualis completam, quia nisi simonia completa sit traditione utriusque rei temporalis, et spiritualis, non reperitur habere poenam a jure dictatam. 2. *Pars* patebit ex Const. Piana allegandâ *num.* 45. Hic excipe simoniam conventionalem in electione Papae commissam ex *Const.* 3. *Julii II.* ubi etiam promissiones poenis simoniae subjiciuntur.

42. R. 2. Poenae simoniacorum in ingressu religionis sunt: 1. Dantes. et recipientes, si personae sunt singulares, excommunicantur; si capitulum, suspenditur ab officio; non tamen ab Ordine: et utraque haec poena reservata est Papae, *cit. Extrav.* 1. *h. tit.* 2. Incurrunt infamiam juris, saltem in crimine notorio notorietate juris, aut facti, *ibid.* §. *ceterum*, et cons. fiunt irregulares. 3. Simoniace professus detrudendus est in arctius monasterium, nisi cum illo Episcopus dispenset, *ibid.* et *cap.* 25. 40. *h. tit.* Hae poenae raro locum habent, quia pro ipso ingressu non solet aliquid peti.

43. R. 3. Poenae in collatione Ordinum sunt. 1. Ordinans, vel ad Ordines praesentans, excommunicatur ipso facto, *cap.* 2. *h. tit. et cit. Extrav.* licet delictum sit occultum ex Const. Sixti V. incipit. *Sanctum*, quae quoad poenas confirmata est per Constitut. Clem. VIII. *Romanum prid. Cal. Martii* 1595. 2. Suspenditur a collatione Ordinum, et exercitio pontificalium *ibid. et. c.* 45. *h. tit.* 3. Interdicitur ab ingressu Ecclesiae; quod interdictum violando, fit irregularis; et a regimine suae Ecclesiae, et fructuum perceptione suspenditur, cit. Constit. Sixti V. Easdem proportionaliter poenas incurrit simoniace ordinatus, scil. excommunitionem, suspensionem ab executione Ordinum, saltem simoniace suscepto-

rum: et si saecularis est, privatur officiis, et beneficiis: regularis vero voce activa, et passiva; cum inhabilitato ad illam, *cit. Constit.* Excusantur a poenis, qui ignari per simoniam ordinati sunt *cap.* 22. *h. tit. Can.* 3. *praesentium* 1. *q.* 5. Neque poenae istae extendendae sunt ad notarios. Excusatur etiam Episcopus ab excommunicatione, si quid sponte oblatum suscepit, quia hanc poenam non exprimit Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de refor.*

44. R. 4. Poenae simoniacorum in provisione beneficiorum sunt: 1. Obtinentes, dantes, et cooperantes ipso facto incurrunt excommunicationem Papae reservatam, *Extrav.* 2. *h. tit. int. com.* S. Pius Constitut. *Quam primum*, 2. Provisio, electio, confirmatio, institutio ipso jure est nulla, ita ut nullum jus, neque titulus coloratus proviso acquiratur, *ibid.* 3. Ita provisus tenetur omnes fructus ex beneficio perceptos restituere *sub animae suae periculo*, adeoque ante ullam sententiam judicis, *ibid* 4. Ita provisus fit inhabilis ad idem beneficium pro hac vice, etiamsi, eo ignorante, simonia commissa sit *cap.* 17. *h. tit. cap.* 59. *de elect.* donec per intermediam personam vitium simoniae purgetur. Si tamen est beneficium simplex, poterit cum illo Episcopus dispensare, dummodo ipse ignarus fuerit simoniae, *cit. cap.* 59. *de elect.* prioribus tamen beneficiis non privatur ipso jure, quamvis per sententiam privari possit *cap.* 21. *de accus.* 5. In virtute S. Obedientiae praecipitur omnibus, quibus constat, simoniam commissam fuisse in provisionibus, ut eam revelent Papae, vel ab eo deputato; qui si complices fuerint, veniam criminis, et gratiam obtinebunt; secus nolentes revelare, non sunt absolvendi, *cit. Extrav.* 2. Hic tamen observa, quod simonia, ignorante proviso commissa in fraudem ejus, ut scil. provisio ejus cassetur, ei non obsit: imo si bona fide obtinuit beneficium, fructus facit suos, sicut alius bonae fidei possessor, donec bona fides resolvatur per notitiam simoniae: tunc enim fructus saltem extantes restituere tenetur, nisi per triennalem possessionem beneficium praescripsisset ex regula 36. Cancellariae de trienn. poss. Reiff. *h. tit.* §. 11. *num.* 278.

45. R. 5. Poenae simoniae confidentialis sunt: 1. Excommunicatio latae sententiae reservata Papae. 2. Interdictum ab ingressu Ecclesiae, quo tantum praelati stringuntur. 3. Nullitas resignationis, et collationis per eam factae. 4. Privatio omnium beneficiorum prius obtentorum. 5. Inhabilitas ad idem, et alia beneficia. 6. Beneficium ita simoniace resignatum reservatur Sedi apostolicae, et fructus male percepti applicantur ejus Camerae: quae poenae incurruntur ipso facto, Pius IV. Constit. *Romanum* 17. *Cal. Novemb.* 1564. et S. Pius V. Const. *Intolerabilis Cal. Jun.* 1569. Privatio tamen aliorum beneficiorum, cum sit propria poena vindicativa, requirit sententiam declaratoriam criminis. Ceterum mediatores, seu procuratores simoniae confidentialis, cum non exprimantur, non incurrunt excommunicationem reserva-

tam, nisi simul concurrat simonia realis dato, et accepto completa per *cit. Extrav.* 2. *h. t.*

46. R. 6. Poenas simoniae in provisione beneficii commissae probabilius incurrunt etiam illi, qui in permutatione beneficii committunt simoniam juris ecclesiastici: nam jura non distinguunt, nec excipiunt, sed volunt poenis ligari omnes, qui *quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniam commiserint, c.* 11. *h. t. et cit. Extrav.* 2. *eod.*

47. Q. II. *Quomodo per simoniam accepta restituenda sint?* R. 1. In materia beneficiali datum, et acceptum restitui debet ante omnem sententiam, cum jus impediat translationem juris *cap.* 11. *h. tit.* In materia extrabeneficiali spirituali non est restituendum per se, quia licet peccetur contra Religionem, non tamen contra justitiam commutativam. Pretium temporale de jure naturali restitui debet, quia id exigit justitia commutativa; ut si accepisti pecuniam pro re mere spirituali, nullum temporale commodum habente; vel si Episcopus, aut parochus aliquid accepit pro iis, quae aliunde ex justitia facere debuit. At si res spiritualis habeat commodum temporale adaequans datum pretium, hoc non est restituendum de jure naturali; ut si vendidisti calicem, vel jus patronatus suis commodis instructum, dummodo ratione spiritualitatis non sit plus acceptum: nam hoc casu non laeditur justitia commutativa: vel si pro ingressu religionis aliquid accipiatur, dummodo acceptum convertatur in bonum communitatis, *Extrav.* 1. *h. t. int. com.*

48. R. 2. Attento jure naturali, acceptum simoniace restitui debet parti laesae, cum haec damnificetur, nisi per sententiam judicis adjudicetur Ecclesiae, *c.* 11. *h. tit.* siquidem emptor rei spiritualis ob tam grave scelus meretur privari pretio dato; ergo judex potest illud adjudicare Ecclesiae per hoc delictum laesae, vel etiam pauperibus, ut docet S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. Et haec procedunt etiam in simonia mentali, si quid injuste acceptum sit: secus, si nulla injustitia commissa sit in facto simoniaco, nihil erit restituendum: quo sensu procedit *c. fin. h. t.*

49. Q. III. *Quis sit judex in crimine simoniae?* R. 1. Solus ecclesiasticus privative, etsi simonia commissa sit a laico: nam simoniaca haeresis, sicut vera haeresis, est crimen mere ecclesiasticum: non ex jure civili, sed ex jure div. et Can. judicandum, etiam in quaestione facti, quae vix unquam separatur a quaestione juris: executio tamen punitiva fieri potest a judice laico. 2. Quilibet accusare, et testem agere in hoc delicto potest, etsi alias sit inhabilis *cap.* 3. *et* 7. *h. tit.* nisi capitalis esset inimicus *cap.* 31. *h. tit.* vel paganus, aut haereticus. Et quia crimen hoc plerumque fit occulte, estque difficilis probationis, sufficiunt probationes per signa, conjecturas, et alia indicia, praesumptionem vehementem facientia; dummodo indicia ista plene probentur. Porro hujus criminis postulari potest dans, et recipiens, et

is, pro quo sciente, et non contradicente, alius dedit, *c.* 8. 23. *h. t.* etc. non vero is, pro quo ignorante datum est, *c.* 27. *eod.*

50. Q. IV. *An fieri possit dispensatio in simonia?* R. 1. In simonia juris naturalis quoad peccatum nulla valet dispensatio; et ideo etiam Papa, licet poenas non incurrat, tamen peccatum simoniae committere potest: nam simonia est intrinsece mala, stans sub praecepto negativo, cujus materia in nullis circumstantiis cohonestari potest.

51. R. 2. Si Papa dispenset, separando jus temporale, v. g. praebendae, aut decimarum, a jure spirituali, dispensatio excusat a peccato; quia tali separatione facta, remanet purum temporale pretio aestimabile: secus ante separationem res annexae spirituali sunt de jure naturali invendibiles. 2. Dispensatio, et consuetudo in his solum, quae jus ecclesiasticum prohibet dare vel accipere, v. g. gratis oblatum post ordinationem, redditus stolae etc. excusat a poenis, et a peccato: cum dispensatio, et legitima consuetudo relaxare possit jus humanum.

52. R. 3. In poenis simoniae non dispensat Papa, nisi ex causis gravissimis, quia Ecclesia semper detestata est hoc crimen, utpote maxime noxium reipubl. christianae, ejusque spirituali regimini. Causa dispensandi esse potest gravissimum scandalum, perturbatio reipubl. et paupertas supplicantis, ut is non tantum absolvatur a censuris, sed etiam dispensetur in inhabilitate ad idem, vel alia beneficia. 2. Si simonia est publica, recurritur ad Datariam cum expressione fructuum perceptorum, quo quibus hodie plerumque fit transactio, ut tertia, vel major pars supplicanti remittatur. Si vero est simonia occulta, recurritur ad sac. Poenitentiariam, quae ex Const. S. Pii V. *In sublimi*, dispensat etiam cum scienter simoniacis; dummodo prius beneficium dimittant, et fructus inde perceptos Ecclesiae sui beneficii restituant, aut cum Datario componant. Si autem neutrum se facere posse allegent, dispensat cum eis, addita clausula, ut fructus restituant Ecclesiae, cum primum poterunt.

Hodie attendenda est Const. Ben. XIV. Pastor bonus *Idib. April.* 1744.

3. In executione litterarum observandus est earum tenor: et quidem si dentur pro foro interno, audita prius sacramentali confessione, absolutio dabitur a censuris, peccatis, et poenis ecclesiasticis, injuncta poenitentia salutari, additoque praecepto, ut poenitens moneat correos, ut et ipsi consulant saluti animarum suarum, petendo dispensationem apostolicam. Vide Corrad. in Prax. Dispens. *lib.* 5. *cap.* 9. *et seqq.* Reiff. et alios.

TITULUS IV.

Ne Praelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

Agitur de hac materia in Decreto *dist.* 89. *et* 1. *q.* 3. *et Can. fin.* 21. *q.* 2. in Trid. *sess.* 25. *cap.* 11. *v. non liceat de reform.* et continuatur

hic, et in *seq. tit.* materia simoniae committi solitae in concessione jurisdict. et licentiae docendi.

1. Q. I. ***An simonia sit sub annuo censu, seu pretio concedere jurisdictionem spiritualem, dignitatibus, officiis, et beneficiis annexam?*** R. Affirmative ex praesenti *Rubr. et cap.* 1. 2. 3. *h. tit.* Trid. *loc. cit.* nam tali casu venditur spirituale pro pretio temporali locationis. Porro poena hujus delicti est, quod concedens jurisdictionem, pro qualitate delicti, vel suspendatur ab officio, vel deponatur; dans vero pecuniam pro jurisdictione, amittat illam, et a Clero amoveatur, *cap.* 1. 2. *h. tit.* et uterque excludatur ab Ecclesia, ***in cujus contumeliam dare pecuniam, et accipere voluerunt***, *cap.* 38. ***de simon. Dices:*** 1. Concessio, et remissio jurisdictionis sub annuo censu approbatur, *cap.* 30. ***§. qui vero, de Praeb. et cap.*** 6. ***de Religios. domib. et cap. fin. h. tit. et cap.*** 21. ***de Censib.*** 2. Clerici Camerae Apostolicae, et Auditores Rotae solent vendere suum officium. R. *Ad* 1. Neg. antec. nam ***cit. cap.*** 30. agitur de justo stipendio Vicariis debito: ***cit. cap.*** 6. Monachi solvunt annuum censum in recognitionem prioris subjectionis, et in signum gratiosae exemptionis: ***cap. fin.*** agitur de locatione ipsorum fructuum materialium: ***cap.*** 21. ***cit.*** cereus trium librarum petitur loco aliorum servitiorum temporalium. Ad 2. Dum Papa separat jus ad emolumenta temporalia, hoc licite venditur, non vero ipsum jus spirituale.

2. Q. II. ***An jurisdictio temporalis ab Episcopis, et aliis Praelatis locari possit?*** R. Si jurisdictio ista ab Ecclesia habetur, tanquam jus annexum officio spirituali, licite non locatur; quia per connexionem evadit spiritualis; si vero aliunde habetur, locari potest citra simoniam, cum temporale non detur pro spirituali, sed temporali. Verum locatio ista plerumque est turpis, et illicita, Ecclesiaeque noxia, cum conductor lucris inhians, minus recte in judiciis, et aliis actibus jurisdictionem administret. Ceterum fructus praelaturae, vel parochiae ex causa licite locantur, servatis servandis, ut alias dictum *tit. de reb. eccl. et tit. de locat.* et decisum est *c. fin. h. t.*

3. Q. III. ***An rector principalis Ecclesiae possit Vicario omnes fructus cedere, et nomine eorum, seu ut vocant, titulo absentiae, annuam pensionem petere?*** R. Affirmative: nam pensio ista non datur pro ipso officio vicariatus, sed pro fructibus Vicario cessis, qui temporali pretio sunt aestimabiles, et locabiles.

TITULUS V.

De Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Agitur de hac materia in Clem. *h. tit.* in Decreto *dist.* 37. *et Can.* 8. *d.* 61. *et dist.* 86. *fere per tot. et Can.* 12. *opertet* 8. *q.* 1. De Magistris constituendis, qui Clericos, et rudes infideles instruant agit Trid. ***sess.*** 5. ***cap.*** 1. ***sess.*** 24. ***cap.*** 4. 5. ***sess.*** 25. ***c.*** 6. ***et*** 9. ***et sess.*** 7. ***c.*** 13. ***sess.***

23. *c.* 18. *de refor. etc.* In Codice *lib.* 10. *tit.* 52.

1. Q. I. *Quis possit creare magistros, et doctores?* R. 1. Summus princeps: et quidem Papa ex theologia: principes vero politici ex scientiis naturalibus, et jure civili, philosophia, medicina, doctores creare possunt. 2. Universitates studiorum generalium, quae auctoritate principum, et plerumque privilegiis Pontificum jus istud exercent. Actus vero promotionis annexus est certo officio: sic enim Bononiae Archidiaconus, Parisiis cancellarius, Salmanticae scholasticus, alibi decanus doctores creat. Neque requiritur, ut promotor eodem gradu polleat, quia doctores in theologia quoscumque gradus conferre possunt, nisi aliud habeat consuetudo. 3. Ex privilegio speciali Comites Palatini, Rectores certorum Collegiorum, Generalis Ordinis Praedicatorum magistros, seu doctores creare possunt etc.

Quod privilegium ex Constit. Clem. XII. Verbo Dei-*ne dum est pro creandis in magistros, et doctores in sac. theologia regularibus, sed etiam pro secularibus adolescentibus, theologiae facultati in ejusdem Ordinis studiis, ac scholis ubique locorum existentibus triennalem operam dantibus.*

Forma promotionis servatur secundum consuetudinem locorum, ut, praemisso rigoroso examine, et professione fidei, insignia doctoralia promovendo tradantur: expensae vero non excedant summam trium millium turonensium argenteorum, seu 250. aureorum *Clem.* 2. *h. t.* ne doctores promoti suis vacui facultatibus remaneant. Haec tamen *Clementina* non est ubique usu recepta.

2. Q. II. *Qui doctores creari possint?* R. Omnes, qui specialiter non prohibentur. Prohibentur autem foeminae ex *reg.* 1. *ff. Can.* 17. *mulierem* 33. *q.* 5. *Judaei*, et alii infideles, criminosi, et infames, quibus portae dignitatum patere non debent; scientia sufficienti destituti, et illegitimi; nisi cum illis dispensetur.

3. Q. III. *Quot sint ordines graduatorum?* R. 1. Tres: in infimo sunt *baccalaurei*, dicti a bacca lauri, ob spem fructuum in scientiis afferendorum. Ab aliis dicuntur *baculari*, ob licitum usum baculi; baccalarii, seu milites tirones: *battalarii*, seu praeliantes. Gradus iste confertur ex philosophia, et theologia: in ceteris facultatibus non usurpatur. Medio ordine sunt *licentiati*, quia licet eis, quandocumque voluerint, in doctores promoveri. In supremo ordine sunt *magistri*, seu *doctores*, qui ab universitate publicum scientiae testimonium habent, quod apti sint ad docendum; uti sunt doctores sac. theologiae, juris utriusque, medicinae, et philosophiae. Quis autem ordo inter doctores diversarum facultatum observandus sit, locorum consuetudo docebit. Plerumque primus locus debetur theologo, secundus Canonistae, tertius Civilistae, quartus medico, quintus philosopho, sumpta praecedentia ex objecto, et fine scientiarum.

4. Q. IV. *Quae sint privilegia doctorum?* R. 1. Dignitas late sumpta *c.* 3. *h. t.* et nobilitas *l.* 2. §. *fin. l.*

Digitized by Google

4. §. 1. *ff. de excus. tutor.* ubi Ulpianus dicitur nobilissimus; et ideo deferunt insignia nobilium. 2. Praelatio ad officia, et dignitates; et ideo graduati in pari *data* praeferuntur non graduatis per *reg.* 17. *Cancell.* 3. Stat pro illis praesumptio virtutis, eisque honor, et reverentia debetur *argum. lib.* 2. 3. *C. de offic. divers. judic.* et ideo non mittuntur in carcerem propter aes alienum, mitiori poena in delictis puniuntur, a tortura, poena triennium, fustigationis, laquei, et aliis ignominiosis eximuntur, licet in his omnibus consuetudo, et placitum principis observanda sint. Haec privilegia non competunt doctoribus, qui per Bullas solum creantur, ex Constit. S. Pii. V. *Quamvis* 1568. conformiter Trident. *Sess.* 22. *c.* 2. *de reform.* nisi praevio examine Academiarum approbati sint.

5. R. 2. Privilegia, et praerogativae professorum sunt: 1. Praesumptio singularis peritiae. 2. Exemptio a muneribus tam realibus, quam personalibus *lib.* 6. *et fin. C. de medic. et profess.* 3. jus civitatis in loco, in quo profitentur. 4. Praecedentia, vi cujus doctores professores praeferuntur aliis doctoribus, etiam senioribus non professoribus *argum. libr.* 1. *C. de consulib.* 5. Jus solidi salarii, si professor intra annum moriatur. Sed circa haec consuetudo locorum observanda est. 6. Lectores sac. theologiae, quamdiu docent, integros fructus suae praebendae percipiunt; imo, et distributiones quotidianas pro illis diebus, quibus legunt, sicubi viget privilegium Gregorii XIII. a P. Wiestner allegatum. Porro nomine doctorum saltem in favorabilibus veniunt etiam licentiati, non tamen in odiosis, Alciat. et alii.

6. Q. V. *An religiosi, qui a religione sua doctrinae theologicae, et Canonicae testimonium habent, aequiparentur doctoribus graduatis?* R. Æquiparari in ordine ad dignitates ecclesiasticas, ut episcopatum, et alia officia qualitatem doctoratus in subjecto requirentia: ita Trid. *Sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* ibi: *quod si regularis fuerit, a superioribus suae religionis similem fidem habeat*, puta de doctrina sacrae theologiae, vel juris Canonici: nam ad dignitates ecclesiasticas non gradus, sed doctrina est necessaria, qualem utique religiosi extra publicas academias plene haurire possunt; ergo sicut universitas studiorum per collationem gradus dare potest testimonium doctrinae, ita quoque praelati regulares de doctrina sui religiosi plenam fidem dare possunt. Unde etiam confessarii regg. in privilegiis communicantes, cetroqui idonei, aequiparantur doctoribus in sac. theologia, et jure Can. in ordine ad exequendum litteras sac. Poenitentiariae, prout etiam Gregorii XIII. Constit. 74. *Exponi* 3. *April.* 1582. concessit Societati Jesu, quia ejus religiosi *ad hujusmodi gradus, nisi pro necessitate scholarum suarum promoveri non solent.*

7. Q. VI. *An pro gradu litterario, vel licentia docendi licite aliquod pretium exigi possit?* R. Negative ex *cap.* 1. *h. tit.* non obstante contraria consuetudine, quae reprobatur *cap.* 3.

h. lit. nam turpe est, ut a viris doctis aliquod pretium exigatur, sive pro publico scientiae testimonio, quod datur per graduationem, sive pro facultate docendi scientias, et artes reipubl. christianae necessarias, cum potius viri docti premiis allici deberent ad docendum: unde ex hoc titulo acceptum restituendum est, ot accipiens privandus dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis, *cap.* 1. 2. *h. l.* notat tamen Gonzal, Zoes, et alii cum praxi, quod pro labore, qui subitur in candidatis examinandis, approbandis, et inaugurandis in doctores, aliquid per modum stipendii peti possit.

8. R. 2. In accipiendo pecuniam pro licentia data ad docendum, regulariter non committitur simonia: nam licentia ista, sicut et gradus litterarii, sunt mere quid temporale. Excipe, nisi licentia ista descendat ex jurisdictione spirituali: tunc enim pretio illam vendere est simoniacum, ut si praelatus ex officio suo teneatur conferre cathedram, seu professuram cum beneficio ecclesiastico. *Dices:* 1. In *cap.* 1. *h. tit.* poena accipientis pecuniam pro licentia docendi est privatio beneficii, quae est propria simoniae. 2. In *cap.* 2. *h. tit.* apponitur ratio generalis remotiva simoniae: *gratis accepistis, gratis date.* R. *Ad* 1. Poena ista, licet simoniae infligatur, tamen etiam infligi potest alteri delicto, puta injustitiae, dum pecunia pro licentia docendi accipitur. *Ad* 2. Ratio ista a contrario non infert simoniam, cum ad hanc requiratur, ut temporale detur pro spirituali.

9. Q. VII. *An pro actu docendi pecunia dari, et recipi possit citra simoniam?* R. 1. Pro doctura scientiarum naturalium, ut philosophiae, juris civ. etc. dare, et accipere pecuniam non est simonia: non datur temporale pro temporali, cum actus talium scientiarum, licet spirituales sint naturaliter, non tamen supernaturaliter cum ordine ad cultum divinum, et salutem animarum.

10. R. 2. Pro doctura theologiae, sive *per se infusae*, quae dicitur *Interpretatio sermonum*, sive ordinariae acquisitae, dum ordinatur ad finem supernaturalem, v. g. ad infideles, et haereticos convertendos, ad fideles excitandos ad amorem Dei, virtutum exercitium, et vitiorum extirpationem, nihil temporale citra simoniam accipi potest: nam tali casu venderetur actus ex fine suo supernaturalis, S. D. 2. 2. *quaest.* 10. *a.* 3. *in corp.* Cum ergo talem theologiam potissimum tradant catechistae, concionatores, et confessarii, nihil pro illa accipere possunt, nisi titulo sustentationis, et stipendii; quia dignus est operarius mercede sua. Item concionator gratis aliquod munusculum oblatum grataner accipere potest, uti et titulo laboris extrinseci, et obligationis ad nutum alterius.

11. R. 3. Si professio theologiae, responsum theologicum, aut Canonicum ordinetur praecise ad illustrandum intellectum audientium, sicut communiter fit in scholis, pecuniam pro illis accipere non est simonia, S. D. *loc. cit. ad* 3. nam, cum traditio ista doctrinae theologicae non ordinetur per se ad salutem animarum, est quidem

Digitized by Google

labor naturalis, seu opera locata pretio aestimabilis: imo si clericus acciperet praebendam, cui annexum est onus cathedrae, seu obligatio docendi, accipiendo pecuniam a discipulis, non esset simoniacus, sed tantum injuste ageret: nam obligatio docendi, licet praebendae sit annexa, manet semper temporalis; ergo. Quia vero talis clericus ex praebenda stipendium habet, aliud a discipulis accipiendo, illicite, et injuste agit, quasi vendendo ipsam veritatem, et scientiam, *c. 4. h. t.* S. D. *loc. c. ad 3. Dices:* 1. Discursus theologici in probabili sententia sunt entitative supernaturales; ergo pretio communicari non possunt. 2. Casus conscientiae ex natura sua ordinantur ad dirigendam conscientiam; ergo simoniace traduntur pro pecunia. R. *Ad* 1. Trans. ant. et neg. cons. nam modo supernaturali, et ad finem supernaturalem non traduntur in scholis, sed modo naturali ad illustrandum intellectum; qualiter etiam haereticus, et apostata a fide theologiam tradere potest. Sic licet sac. Scriptura sit supernaturalis, potest tamen quis eam describere, vel imprimere pro pretio temporali; ergo et docere, seu explicare praecise ad illuminandos auditores. *Ad* 2. Si confessarius resolvat casus ad dirigendam conscientiam poenitentium, omnino simoniace pro hac resolutione pecuniam acciperet, cum doctrina ista respiciat finem supernaturalem: secus est in scholis, ubi doctrina ordinatur pure ad illustrandum intellectum, licet per accidens aliquis ea utatur ad dirigendam conscientiam; alioquin simoniacus etiam foret professor juris civilis, explicans, an contractus aliquis sit licitus, vel illicitus.

12. Q. VIII. *An in Ecclesis constituendi sint magistri pro clericis, et aliis juvenibus instruendis?* R. 1. In Ecclesia metropolitana praeter grammaticum, constitui etiam debet theologus ad clericos in sacra pagina docendos: in Ecclesis vero collegiatis, et cathedralibus inferioribus, si propter tenues redditus sustentari nequeat theologus, saltem magister grammaticae alendus est, *c. 1. 4. h. t.* Trid. *sess.* 5. *c. 1. de refor.* Hodie huic obligationi satisfit per academias, et gymnasia in multis locis erecta.

Inter haec enumerantur illa Scholarum Piarum Ordinis, cujus magistri ad juventutem pietate, et litteris erudiendam quarto solemni voto, et quidem speciali prae ceteris regularibus Ordinibus, obstricti sunt. Quas autem facultates, cujusque conditionis pueros in suis Scholis edocere possint, constat ex Constit. Clem. XII. relata lib. 3. *n.* 11.

13. R. 2. Jure antiquo, *c. 4. v. assignetur h. tit.* magistro assignandi erant redditus unius praebendae, jure novo Trid. *sess.* 5. *c. 1. de refor.* grammatico assignandi sunt fructus simplicis beneficii, vel alia congrua merces: theologo vero praebenda, alio onere incompatibili non gravata, qui propterea evadit verus Canonicus, dici solitus *scolasticus*, seu *magister scholae.* Porro praebenda theologalis etiam conferri potest magistro sac. Canonum, ut saepius declaravit sac. Congr. teste

Digitized by Google

Pignatell. nam jus Canonicum est portio theologiae moralis, et magister explanans sac. Canones instinctu divino conditos, censetur sac. Scripturam explanare

TITULUS VI.

De Judaeis, Saracenis, eorumque Servis.

Agitur de hac materia in Clem. Extrav. Joann. XXII. et Extrav. com. *h. t.* in Decreto 28. *q.* 1. *et* 2. in Codice *lib.* 1. *tit.* 7. 9. 10. 11. 12.

1. *Nota* Infidelitatem, de qua hic agitur, magis contrariari religioni verae, quam simoniam, cum illa tollat fidem, quae est radix verae religionis; licet simonia veneno suo plures fideles inficiat, quam infidelitas. Dividitur autem infidelitas ex modo, quo adversatur fidei, trifariam: 1. in ***Paganismum***, qui utrumque testamentum negat: ***judaismum***, qui vetus testamentum admittit, et novum negat: et ***haeresim***, quae utrumque testamentum admittit, sed quibusdam articulis contradicit, S. D. 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. Si quis inculpabiliter ignorat fidem nostram, dicitur ***infidelis negative***, quia fides ei nunquam annunciata fuit. Si vero culpabiliter ignorat, vel malitiose, et pertinaciter contradicit fidei, est ***infidelis privative***, aut ***contrarie***, et hoc modo infidelitas imputatur ei in peccatum, ut fusius docent TT.

2. Q. I. ***An judaei licite tolerentur inter christianos?*** R. Affirmative ex *c.* 9. §. *nullum h. t. l.* 14. *C. eod.* conformiter Apostolo *ad Rom.* 11. *v.* 25. ubi docet judaeos ante finem mundi ad Christum convertendos: nam judaeorum toleratio, eorumque ritus perpetuum dant fidei christianae testimonium, ut ex figura videamus figuratum. E contra, quia pagani, et haeretici nullam specialem utilitatem afferunt Ecclesiae Christi, sed potius perniciem, et periculum perversionis; ideo minime tolerandi sunt, nisi dira necessitas aliud exposcat. Porro circa judaeos aliqua observanda sunt: 1. Ut non facile recipiantur ad loca, ubi antea non erant: et ideo jus recipiendi judaeos Imperatori reservatum est in Imperio, deinde porrectum ad Electores, Principes, et Status, *Ord. Polit. tit.* 27. *an.* 1530. 2. Ut novae synagogae non erigantur, neque antiquae, jam collapsae, et funditus eversae excitentur, vel ruinosae in nobiliorem formam restaurentur, *c.* 3. 7. *h. t.* et *l. fin.* §. 1. *C. eod.* 3. Ne fabri christiani aedificent, vel restaurent judaeis synagogas; nam istae per se ordinantur ad ritus illicitos; ergo sicut citra peccatum non possunt fabricari idola, ita neque synagogae; S. D. 2. 2. *q.* 169. *art. ad.* 4.

3. Q. II. ***An, et quae communicatio prohibeatur fidelibus cum judaeis, et paganis?*** R. 1. Prohibetur communicatio religiosa, v. g. in Sacramentis, Sacrificio Missae, in ritibus orationum etc. unde Christiani non possunt vesci azymis judaeorum, etiam separatim ab iis *Can.* 13. *nullus* 28. *q.* 1. nec judaeorum, aut paganorum templa ingredi eo tempore, quo suos su-

Digitized by Google

perstitiosos ritus exercent; idque ob causam scandali, et perversionis, qua causa cessante, talis ingressus ex vana curiositate factus, non videtur excedere veniale.

4. R. 2. Prohibetur cum judaeis communicatio politica in seqq. casibus: 1. Non debent Christiani cohabitare judaeis, nec eodem balneo, vel convivio cum eis uti; atque ita familiaritatem cum eis contrahere *Can.* 13. *nullus* 28. *q.* 1. *c.* 5. *h. t.* 2. Non debent uti medico judaeo, vel medicinis a judaeo confectis, nisi necessitas aliud suadeat, *ibid.* et Const. Greg. XIII. incip. *Alias piae.* 1581. 3. Non debent eis famulari, maxime intra domos eorum, vel in synagoga. *c.* 5. 8. *h. t.* eis tamen possunt locare operas, v. g. ad colendos agros, domum extruendam etc. *c.* 2. *h. t.* 4. Christiani non debent habere judaeum famulum, qui sit domesticus familiaris *Can.* 12. *et seqq.* 28. *q.* 1. Secus si non fiat domesticus *c.* 13. *h. t.* quia judaei dolosi sunt, et periculum perversionis afferunt: quae ratio cum non procedat in saracenis, potest christianus habere servum saracenum. 5. Mulieres christianae non debent nutrire, et lactare liberos judaeorum, nisi in gravi casu necessitatis; ut si infans parentibus destitutus vitae periculum subiret; secus mulieres excommunicandae sunt, *c.* 5. 8. *h. t.* Const. Pauli IV. incip. *Cum enim.*

5. R. 3. Christiani non possunt paganis cohabitare, et conviviis cum eis uti *c.* 5. *h. t.* ubi hi duo casus exprimuntur: ac proinde alia communicatio politica non videtur cum eis prohibita, nisi subsit periculum perversionis. 2. Non debent eis arma, et alia instrumenta bellica subministrare sub poena excommunicationis latae in *casu* 7. *Bullae Coenae, et c.* 6. 11. 17. *h. t. Extrav. un. Joan. XXII. eod.* et de jure civ. sub poena capitis, et confiscationis bonorum *l. fin. C. quae res export.* Eandem excommunicationem incurrunt, qui secreta christianorum infidelibus revelant, etiam effectu non secuto, vel qui tempore belli alias merces ad eos deferunt *c.* 12. *h. t.* quia periculum est proditionis de arcanis christianorum. 3. Princeps christianus regulariter illicite agit, ineundo foedus cum infidelibus auxilii causa contra fideles: nam talia foedera, de se impia, christianis exitiosa, et periculosa severe prohibentur *Exod.* 23. *in fin. et* 34. *v.* 12. *Deut.* 7. *v.* 2. *et* 2. *Cor.* 6. *v.* 14. Si tamen fideles non possent haberi in bello justo defensivo, licebit opere auxiliari infidelium uti, ex *reg.* 4. *in antiq. quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Hoc, et non plus probant exempla Abrahami cum Aner, David, et Salomon cum Hiram, Machabaeorum cum Romanis.

6. Q. III. *Quae judaeis inter Christianos sint concessa, et prohibita?* R. 1. Concessa sunt seqq. 1. Jus civitatis quoad dominia rerum, ultimas voluntates, et contractus. 2. Publica protectio, ne turbentur in suis festivitatibus, et ritibus, ne coemeteria eorum violentur sub poena excommunicationis; ne eis noceatur in vita, membris, et fortunis. *c.* 9. *h. t.* Si vero delinquant, regulariter, puniendi sunt a

magistratu politico, nisi delicta redundaret in contemptum religionis christianae: tunc enim ab Inquisitoribus, et Episcopis contra eos procedi potest usque ad eorum extirpationem, ex Const. Greg. XIII. incip. *Antiqua*. 3. Judaei, vel saraceni conversi ad fidem, rebus suis non sunt spoliandi *c.* 5. *h. t.* si tamen revertantur ad vomitum, vel si christiani apostatent a fide, substant inquisitioni: nisi forsan baptismus fuisset invalide eis collatus.

Vide notata post c. 5. *h. tit. in summariis p. I.*

7. R. 2. Prohibita sunt seqq. 1. Ne judaei fungantur aliquo officio publico *c.* 16. *h. t. l. fin. pr. C. eod.* et ideo christianus non sequitur forum judaei rei, sed eum convenit coram magistratu christiano, ut lis decidatur secundum jura civilia *l.* 8. *C. h. t.* 2. Ne a clericis, vel laicis instituantur haeredes *Can.* 6. *sane* 24. *q.* 2. idque generalis consuetudo observat. 3. Ne hebdomade majori in publicum prodeant, et in die Parasceves ostia, vel fenestras apertas habeant, *c.* 4. *h. t.* quod decretum strictius in Italia, quam Germania observatur. 4. Ne habeant nutrices, obstetrices, et famulos christianos, ut ante dictum. 5. Ne habeant servos, seu mancipia christiana; alioquin teneantur ea justo pretio distrahere, scil. 12. solidis, *c.* 1. *h. t.* Si tamen glebam, seu fundos comparaverint, quibus annexi sunt servi adscriptitii, vel originarii, eos habere judaei non prohibentur, *c.* 2. *h. t.* *

8. Q. IV. *An judaei, et pagani directe cogi possint ad suscipiendum baptismum, et fidem christianam?* R. Negative ex *Can.* 3. *et* 5. *d.* 45. *et c.* 9. *h. t. et c.* 3. §. *item de baptism.* continua praxi, et usu Ecclesiae, nobis declarantibus, voluntatem Christi esse, ut cuique libera sit conversio ad fidem, juxta illud: *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit Marc. ult. v.* 16. Ratio ex parte *fidei* est: quia credere est liberae voluntatis S. D. 2. 2. *q.* 10. *a.* 8. ad actum vero liberum voluntas cogi non potest. Ratio ex parte *jurisdictionis* est, quia princeps vi jurisdictionis temporalis non potest cogere ad spiritualia, quae non cadunt sub potestatem temporalem; Papae vero jurisdictio spiritualis non se extendit extra Ecclesiam ad eos, qui non sunt baptizati, ut indicat Apostolus 1. *Cor.* 5. *v.* 12. *quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* ergo. Unde infideles subditi ex hoc solo, quod ad fidem non convertantur, non possunt puniri, vel bello impeti, nisi laedant jus Ecclesiae, v. g. prohibendo liberam praedicationem fidei christianae, non permittendo ejus professionem, torquendo ad fidem conversos. At Indirecte invitari possunt ad fidem, propositis praemiis temporalibus, honoribus, relaxatione tributorum, et poenarum juste eis pro criminibus debitarum, prohibitione cultus superstitiosi, compulsione ad audiendas conciones de rebus fidei, sicut in *Const.* 92. Greg. XIII. statuitur, ut certo die concio ad judaeos pro eorum conversione habeatur, cui saltem tertia pars judaeorum interesse debeat.

Dices: 1. Infideles cogi possunt ad

servandum jus naturale, et divinum, quale etiam est de suscipiendo baptismo: et ideo Christus jussit compelli intrare ex vicis, et plateis. 2. In Conc. Tolet. IV. laudatur Sisebutus Rex Gothorum, quod judaeos baptizari renuentes, turpiter decalvatos exulare jusserit, quod et fecit Ferdinandus et Isabella Reges Hispaniae 4С00. judaeorum proscribentes. 3. Ad fidem cogi posse insinuant jura *Can.* 4. *jam vero, et v. his ita* 23. *q.* 6. *l.* 12. *C. h. t. l. fin. C. de paganis.* R. *ad* 1. Cum Christus Dominus liberam esse fidem voluerit, nec alicui in terris potestatem cogendi dederit, ad illam nemo cogi potest defectu potestatis; licet infideles cogi possint ad observantiam juris naturalis, uti et coerceri, si contrarientur Praedicatoribus Evangelii. Textus; *compelle intrare* intelligitur secundum S. Chrys. de compulsione in fine mundi, non violenta, nisi indirecte, ratione poenarum, et malorum, quae extremum diem judicii praecedent. *Ad* 2. laudatur zelus Regis, non factum *Can.* 56. *d.* 45. nisi exilium istud judaei fuissent promeriti ob sua delicta, et conversationem Christianis perniciosam, atque hostilem, sicut tempore Ferdinandi, et Isabellae. *Ad* 3. Ex his, et similibus juribus plus non colligitur, nisi compulsio indirecta quatenus infideles, propositis bonis conferendis, et malis promeritis relaxandis invitantur ad fidem *Can.* 3. *et* 5. *dist.* 45.

Hic referre juvat, quae notatu digna leguntur in epistola Benedicti XIV. ad Archiepiscopum Tarsensem, Vicesgerentem urbis, *Postremo mense* 28. Feb. 1747. in ejus Bullar. tom. 2. circa Judaeorum, et Infidelium Baptismum.

Licite baptizari possunt filii infantes, et impuberes Judaeorum, et infidelium, invitis parentibus, in sequentibus casibus.

1. Si sint in extremo mortis discrimine ex Decretis S. Cong. Inquisit. 2. Novemb. 1678. et 18. Febr. 1706. ibid. relatis §. 8.

2. Si sint a parentibus projecti, atque derelicti; cum tunc statim subducti dicantur a patria potestate, c. 1. de Infant. et Languid. espositis. Tales autem intelliguntur, non qui sine patre, sine matre, vel nullo comite, aut per urbem, aut extra Hebraeorum vicum temere vagantur, sed qui in loco publico soli, abjecti, atque omni cura, et spe destituti inveniuntur, ibidem §. 9. et 10. Item baptizari posse censet Reiff. l. V. Decret. tit. 6. de Judaeis n. 52. si ita sint a parentibus jam separati, ut iis amplius non debeant, aut nequeant restitui, v. g. si parentes essent mortui. Crederem tamen hanc sententiam corrigendam esse, quoad secundam partem, si adessent vel avus, vel tutores, utpote succedentes in jura patris; tunc enim his restitui deberent. Item baptizari posse credunt Auctores relati a Lucio Ferraris Prompta Biblioteca, verbo *Babptismus* art. 5. num. 22. amentes, quando nulla est spes ad rationis usum eos pervenire posse.

3. Si offerantur ad baptismum a patre converso, etiam invita matre, c. *Ex litteris* de convers. Infid. vel a matre, invito patre, ob favorem fidei, qui juxta magis receptam opinionem locum habet,

etiam in casu matris conversae, ibidem §. 15. et 16.

4. Si offerantur ab avo paterno, pariter converso, etiam utroque genitore invito, ex Decret. Greg. XIII. aliisque juribus ibidem allatis §. 17.

5. Si offerantur ab avia paterna conversa nepotes ex filio defuncto, etiam contradicente matre, ut decrevit in hac eadem facti specie, quod Romae accidit anno 1751. idem Bened. XIV. ut in altera ejusdem epistola ad Petrum Hieronymum Guglielmi sac. Inquisitionis Assessorem. *Probe te* 15. Decemb. 1751. impressa in cit. Bullar. tom. 3.

Hic quaeri posset, an et id aviae maternae liceret: et quamvis ex paritate rationis, in favorem nempe religionis, primo intuitu videatur licere, non tamen crederem, hoc tuto asserendum; nedum, quia hic casus nullibi reperitur decisus, et in jure positivo de casu ad casum non valet illatio, sed maxime quia in avia materna non ea potest considerari qualitas, quae in paterna: pro hac enim praeter favorem religionis, militat etiam legis dispositio, cum et ipse veniat sub appellatione parentum *L'appellatione ff. de verb. signific.* et quod pertinet ad curam nepotum, pari jure censeri debet avus, et avia paterna ex benigna concessione *auth. matri, et aviae eod. tit.* ex quo fit, quod non sit persona poenitus extranea, sed a familia sua per matrimonium in filii familiam translata, naturali quadam connexione primas in hac eadem familia partes una cum ipso obtineat: quod dici nequit de avia materna: et ceteroquin solus religiosus favor non satis sit, ut reluctantibus parentibus, eorum filii licite offerri possint: alias unicuique personae, quamvis extraneae, id liceret, ut doctissime in cit. epist. ratiocinatur idem Pontifex.

6. Si parentibus orbi, offerantur a tutoribus juxta receptam sententiam ibidem relatam §. 13. et in cit. epist. ad Archiepiscopum Tarsensem §. 14.

7. Si filii servorum poenalium offerantur ab eorum dominis, filii scilicet Turcarum bello capti, sicuti, et nati ab ipsis in captivitate, non autem filii christianorum capti in bello inter eosdem christianos gesto; cum hi sint servi servitute tantum civili, ut ex rationibus allegatis in cit. epist. ad Petrum Guglielmi §. 15. et 26.

8. Si offerantur Infantes Hebraeorum a parentibus, qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, licet postea a proposito recedant ex Decr. sac. Inquisitionis sub die 24. Septemb. 1699. relat. §. 18. cit. epist. ad Archiep. Tarsen.

9. Si offerantur nedum a parentibus neophitis, sed etiam ab Ethnicis, et Judaeis in infidelitate, et judaismo remanentibus; dummodo fide bona ab eis id fiat, et infantes baptizati apud christianos remaneant, ut §. 10. epist. ad Petrum Guglielmi: et in eo etiam casu, quo unus consentiret, et alter non, ut sentit cum Bartholomaeo ab Angelo Passarin. Reiff. Lucius Ferraris loc. cit. n. 20.

10. Si Ipsimet Judaeorum, et infidelium filii statim ac ad usum rationis pervenerint, baptismum ultro po-

stulaverint §. 36. et seqq. epist. ad Archiep. Tarsen.

Notandum etiam est ex hac eadem epistola.

1. Rationis usum regulariter ab anno septimo completo inchoari, ex Decreto Cong. Conc. 16. Julii 1639. ibidem relato §. 32.

2. In dubio de perfecto rationis usu baptismum esse protrahendum, et interim puerum illum petentem non remittendum ad parentes, sed ab eis procul retinendum, donec constet de ejusdem perfecto rationis usu, ibidem §. 33. et seqq.

3. Si post adhibitam diligentiam reperiatur vere rationis usu carere, restituendum esse parentibus, ibidem §. 4.

4. Illicite baptizatos, idest neque a parentibus, neque ab aliis jus in eos habentibus ad baptismum oblatos, non esse restituendos parentibus, etiamsi hi cautione, aut fidejussione data, ingenue spondeant, eos, vix dum ad convenientem aetatem pervenerint, Christifidelibus restituendos, nec quid quam contra fidem catholicam edocendos, ibidem §. 28. et seqq. Contra autem sic baptzatos, si postquam adoleverint, parentum ritibus adhaeserint, et fuerint de hoc confessi, aut convicti, procedendum esse tanquam contra haereticos.

TITULUS VII.

De Haereticis.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, et Extrav. com. *h. t.* In Decreto 1. *q.* 7. *et* 23. *q.* 7. *et* 24. *q.* 1. In Trident. fere per omnes Sess. quoad materias particulares. In Codice *lib.* 1. *tit.* 5. *Nov.* 132.

1. Hic recolenda est doctrina theologica, quae de haeresi traditur ad 2. 2. *q.* 1. Et quidem 1. *Haeresis* quoad nomen est *electio*, et ex usu Ecclesiae accipitur pro electione mala sententiae erroneae in rebus fidei: quoad rem *Haeresis* est voluntarius et pertinax error contra aliquem articulum fidei elicitus ab eo, qui fidem Christi suscepit. 2. Ignorans mysteria fidei, vel ignoranter aliquid contrarium fidei docens, si ignorantia est crassa, et vincilibilis, peccat quidem contra praeceptum diligentiae necessariae in rebus fidei: proprie tamen Haereticus non est; quia in illo deficit pertinacia, nisi diversam profiteretur fidem ab ea, quam tenet catholica romana Ecclesia; ut si teneret fidem lutheranam, calvinianam etc. tunc enim ignorantia crassa non excusaret illum ab haeresi formali, et poenis Haereticorum. 3. Dubitans de aliquo articulo fidei ab Ecclesia definito, videtur esse haereticus, et infidelis *c.* 1. *h. t.* cum certissimam veritatem non amplectatur: quamvis aliis non videatur haereticus, cum non eligat sententiam fidei contrariam, sed dubitando, suspendat suum assensum. Quidquid sit de nomine, sic dubitando, graviter peccat contra fidem, et in foro externo praesumitur esse haereticus, ut contra illum inquiri possit. 4. Error pertinax in fide a catechumeno elicitus, licet theologice, et quoad substantiam sit haeresis; tamen in foro

externo, et quoad poenas non habetur pro haeresi, cum soli baptizati in fide dissentientes proprie, et in rigore dicantur haeretici, poenis obnoxii. Jam in ordine ad nostrum institutum Canonicum.

2. *Nota* 1. Haeresim dividi 1. in *internam*, quae in sola mente consummatur, et solius Dei judicio subest; ac proinde poena, et absolutio ei datur in foro sacramentali poenitentiae: et *externam*, quae prorumpit in actum exteriorem, sive verbo, sive facto, indicante internam haeresim; et haec judicio, et poenis Ecclesiae subest, sive sit *publica*, sive *occulta*. 2. In *formalem*, dum quis scienter, et pertinaciter aliquid contrarium tenet articulis fidei: et *materialem*, dum quis ex simplicitate vel mala instructione errat in aliquo articulo fidei: cujusmodi materiales haeretici dantur non tantum inter aliquos rudes, et simplices catholicos, sed etiam inter Lutheranos, Calvinianos, et alios Sectarios, si eis nullus omnino scrupulus occurrat, quod errent in rebus fidei, aut falsam sectam sectentur.

3. *Nota* 2. Ad Haereticum in foro externo requiri: 1. Ut ponat actum externum de se mortaliter peccaminosum. 2. Ut actus ille, consideratis circumstantiis, procedat ex intentione profitendi haeresim, et determinate significet latentem in animo haeresim. Unde non statim judicandus est haereticus, qui die veneris carnes comedit, vel praecise narrat, vel instruendo, manifestat suum errorem, nisi etiam constet, illum carnes comedere ex intentione profitendi haeresim, vel tali errori adhaerere.

4. *Nota* 3. cum haeresis sit crimen non tantum gravissimum, sed etiam Ecclesiae, et saluti animarum perniciosissimum, varia contra illud inventa esse remedia; uti est professio fidei de qua *lib.* 1. *tit.* 1. dixi: vigilantia Episcoporum, ut hi per se, vel suos Vicarios, non obiter, sed serio, et cum zelo visitent singulis annis suas dioeceses, et suspectos de fide perquirant, *c.* 13. §. *adjicimus h. t.* Item prohibitio conventiculorum, promiscuae praedicationis, et disputationis, lectionis librorum haereticorum, communicationis cum haereticis, et poenae in eos statutae.

5. Q. I. *An Haeretici tolerandi sint in terris Catholicorum?* R. Regulariter negative: ita *c.* 9. *v. statuimus insuper h. t. et c.* 11. §. *fin. v. statuimus eod. in* 6. et fere toto *h. t. et l.* 2. *et seqq. C. h. t.* nam jus naturale dictat, ut noxii Reipublicae, et civitati removeantur ab ea; sed haeretici maxime sunt noxii Reipublicae christianae, cum manifestum perversionis, et aeternae damnationis periculum fidelibus afferant; ergo removendi, et non tolerandi sunt in terris Catholicorum. *Excipe*, nisi justa causa majoris mali vitandi, aut boni promovendi, vel pacta publica subsint, ratione quorum tolerandi sint Haeretici. In imperio tolerantur Lutherani ex pacificatione Passaviensi, seu pace religiosa inita *an.* 1552. et confirmata *an.* 1555. item Calvinistae per pacificationem Osnabrugensem *an.* 1648. alii vero non tole-

rantur, ut Zwingliani, Wicleffistae, Anabaptistae, Hussitae etc. In Italia, Hispania, et pluribus aliis regionibus nullis Haereticis liberum suae sectae exercitium permittitur.

6. Q. II. *An Haeretici vitandi sint a Catholicis?* R. Affirmative de jure antiquo ex communi praecepto Ecclesiae, quo fidelibus prohibetur communicatio cum excommunicatis. At de jure recentiori Const. Martini V. incip. *Ad evitanda* in Conc. Constantiens. edita favor fidelibus concessus est, ut non teneantur vitare Haereticos, et excommunicatos, etiam notorios, nisi sint expresse, et specialiter denuntiati, vel notorii clericorum percussores. Unde in Germania licet commercia civilia cum Haereticis iniri, eis conversari, eos etiam adultos, et erroribus imbutos ad scholas Catholicorum recipere etc. Quia vero communicatio in divinis vix fieri potest sine scandalo, et periculo perversionis, contemptuque catholicae religionis; ideo regulariter non licet catholicis communicare in divinis cum Haereticis, v. g. Sacramenta ab eis recipere, templa eorum frequentare, conciones audire, vel lectiones in scholis, praesertim theologicas etc. Cessante causa scandali, et perversionis, praesertim si adsit justa causa, licet ex baptismo filios Haereticorum levare, in eorum templis more catholico orare, conciones audire: et si urgeat gravis necessitas, baptismum ab eis recipere, vel Sacramentum poenitentiae, dummodo Presbyter haereticus sit rite ordinatus.

Advertendum tamen est cum Bened. XIV. lib. VI. de synod. dioec. c. 5. n. 2. quod vix umquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia Catholicorum cum Haereticis communicatio in divinis.

7. Q. III. *An catholico liceat cum Haereticis disputare de fide?* R. 1. Publicae disputationes regulariter sunt prohibitae, ne pax, et tranquillitas publica turbetur. 2. Clericis regulariter non licet de fide disputare cum Haereticis *Can.* 36. *cum quibus* 24. *q.* 3. nam clerici, si indocti sint, exponunt se periculo errandi, et alios scandalizandi: si vero docti sint, parum disputando proficiunt, cum Haeretici plerumque sint pertinaces, obstinati, et in sensu suo nulli legi adstricto abundantes. 3. Laicis ejusmodi disputatio prohibetur sub poena excommunicationis ferendae sententiae, *c.* 1. §. 2. *h. t. in* 6. ubi jus non distinguit inter laicos doctos, et indoctos. Neque tamen poena ista excommunicationis extendenda est ad clericos, cum versemur in materia poenali. Similiter prohibetur laicis, ne verbum divinum praedicent *Can.* 29. *d.* 23. imo nec clerici sine auctoritate Episcopi praedicare audent verbum divinum, *c.* 13. §. 6. *h. t.* nam Christus praedicationis officium non quibusvis, sed Apostolis, et Discipulis suis, ad hoc specialiter missis, commisit: tum quia perturbatio, scandala, et varii errores ex promiscua praedicatione sequerentur. In Germania laicis doctis videtur permissum cum haereticis privatim disputare, quia ibi constitutio *c.* 2. *h. t. in* 6. non est in usu: imo si haereticus vellet simpli-

cem catholicum pervertere, debet ei praesens clericus, vel laicus doctus contradicendo resistere.

8. Q. IV. *An liceat catholico legere libros Haereticorum? Ante resp. nota* Indicem librorum prohibitorum, qui babetur ad calcem Trid. editum fuisse a Pio IV. deinde a Sixto V. aliisque Pontificibus auctum, uti est novus index jussu Alexandri VII. editus. In hoc Indice duae ponuntur classes librorum: in 1. *classe* ponuntur haeresiarchae in quacumque materia etiam profana scribentes, ut Lutherus, Calvinus, Zwinglius etc. quia damnato auctore, damnantur omnia ejus scripta, *cap. 4. h. t.* Item libri auctorum haereticorum haeresim continentes, vel de religione tractantes, etsi haeresim non contineant. In 2. *classe* ponuntur libri, non propter auctorem, sed propter malam doctrinam prohibiti; uti sunt illi, qui artem magicam, astrologiam judiciariam, res obscoenas, et lascivas, vel doctrinam suspectam, et rectae theologiae dissonantem continent. Libri 3. *classis* non habent certos auctores: si tamen de religione, tractent vel haeresim contineant, sitque suspicio, quod ab haeretico sint compositi, reducuntur ad classem primam; secus ad secundam. In Indice Alexandrino omnes libri, quibus nota primae classis non apponitur, referendi sunt ad classem secundam.

9. R. 1. Libri Haereticorum primae classis prohibentur sub excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae reservata: ita ex perpetuo usu Ecclesiae statutum est in Conc. Constantiensi *sess.* 8. Lateran sub Leone X. *Sess.* 10. in Trid. *sess.* 4. et praesertim in *casu* 1. *Bullae Coenae*. Hujusmodi sunt: 1. Haeresiarchae in quacumque materia scribentes. 2. Libri Haereticorum profani, ut medici, historici, Juridici, et alii haeresim continentes; et quamvis aliqui velint id intelligi de libris, qui incidenter continent haeresim studiose, et plene probatam, atque defensam; tamen attento rigore Bullae Coenae, videntur comprehendi etiam illi libri, qui haeresim continent obiter relatam, et perfunctorie tantum assertam, atque probatam; quia jam verum est, quod haeresim contineant. 3. Libri Haereticorum de Religione tractantes, etsi nullam haeresim contineant; quia in detestationem auctoris tales libri damnantur. Parum autem refert, an libri isti sint impressi, an scripti: cum etiam scripta nomine librorum veniant sicut olim, antequam typographia inventa fuisset. 4. Probabilior, et tutior est sententia, quam tenet Suarius, Farinac. Reiff. contra Sanch. Laym. Sehm. et alios, sub nomine *libri* venire scripta breviora, quae decem minora folia non attingunt; uti est epistola, concio, disputatio haereticorum, in quibus haeresis continetur; ideoque secum trahere excommunicationem Bullae Coenae: nam etiam in paucis foliis concionem, vel disputationem haereticam continentibus, multiplex virus latere potest, et nocere fidelibus: ob quod etiam ex magno libro non licet legere epistolam dedicatoriam, vel summaria capitum. Pro hac sententia dicitur stare daclaratio sac. Congr.

Digitized by Google

10. R. 2. Dicta excommunicatione ligantur. 1. Qui legunt praefatos auctores sive per se, sive per alios, per quos jubent sibi illos praelegi; quia moraliter, et in effectu ipsi legere censentur; nisi per accidens, et sine suo jussu audirent alium legentem. Requiritur autem, ut quis legat haereticum *scienter;* quia ignorans excusatur a censura: *formaliter*, seu ut intelligat; et in *notabili quantitate:* quae cum jure determinata non sit, prudentis arbitrio determinanda erit: Toletus dicit unam, vel alteram lineam sufficere, Sanchez vero docet unum folium ex magno volumine non sufficere ad excommunicationem. Prior opinio nimis rigorosa est, posterior nimis laxa, media praevalebit, docens aliquid minus folio sufficere ad incurrendam censuram. 2. Eadem excommunicatione tenentur imprimentes, vel imprimi facientes, retinentes domi suae, vel alibi, vel scripto, aut verbo defendentes libros haereticos, uti et occultantes illos, ne deveniant in notitiam Inquisitorum.

11. R. 3. Libri secundae classis ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati, prohibentur legi, aut retineri sub poena excommunicationis non reservatae: ceteri vero ex alia causa damnati, sub peccato mortali, et poena arbitraria ex *reg.* 10. *Indic.* §. *Quodsi quis* (qui in casu 1. Bullae Coenae prohibentur sub excommunicatione reservata) *vel cujusvis Auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.* Eadem verba reperiuntur in Bulla Pii IV. *Dominici gregis* praefixa Indic. Ex his textibus limitanda est doctrina auctorum, qui indistincte asserunt libros secundae classis prohiberi sub excommuncatione non reservata: nam illi solum sub hac poena prohibentur, qui ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati sunt: ceteri vero v. g. libri magici, res obscaenas, et moribus fidelium adversas continentes, vel habentes doctrinam non satis consonam Constitutionibus Apostolicis, prohibentur legi sub peccato mortali, et poena arbitraria pro qualitate delicti. Regul. Indicis habentur ad calcem Trident.

12. R. 4. Libri Haereticorum sub poena excommunicationis, aliisque poenis contra haereticos latis extradi debent Inquisitoribus, vel, ubi hi non sunt, Episcopis, neque sufficit privata auctoritate eos comburere, nisi actor jam aliunde notus esset Inquisitoribus ex Constit. Julii III. *Cum meditatio.* Excipe ab his resolutionibus libros Origenis, et Tertulliani, quorum lectio ob utilitatem permittitur, cum errores illorum jam extincti sint, nullumque perversionis periculum afferant.

13. R. 5. In bibliothecis monasteriorum, loco separato, et clauso, licite asservantur libri prohibiti, Reiff. a *n.* 129. nam prohibitio Bullae Coenae non extenditur ad hunc casum retentionis: tum quia Papa solet Regularibus con-

Digitized by Google

cedere licentiam legendi libros haereticos; quae licentia fere inutilis esset, si retentio talium librorum eis non esset licita: tum quia expedit tales libros prae manibus haberi, ut obtenta legendi licentia, facilius haeretici possint confutari: tum denique quia consuetudo ita interpretatur Bullam Coenae.

14. Q. V. *An Bulla Coenae quoad prohibitionem librorum, et Index librorum prohibitorum recepta sint in Germania?* Negant nonnulli, qui facile legis jugum excutere solent; sed contra sentiunt viri alii docti, et timorati, cum quibus: R. Affirmative, licet rigor Bullae, et Indicis in quibusdam temperatus sit: nam non satis ostenditur, Bullam Coenae singulis annis renovari solitam, ad Germaniam non extendi. Quare, quae veriora, et tutioria in Doctoribus Germanis reperi, ea sequentibus punctis comprehendo: 1. Germanis non licet legere haeresiarchas, nec haereticos ex professo haeresiam tractantes, vel de religione scribentes, ut disponitur in *casu* 1. *Bullae Coenae:* nam talis lectio est valde periculosa, et fidei cristianae noxia, praesertim in libris vernacula conscriptis, Reiff. et alii. An vero catholici permisti haereticis, qui sine scrupulo passim legunt libellos controversisticos ab haereticis editos, peccent, et excommunicationem incurrant, durum est definire. Affirmantium sententia est juri omnino consona: pro negativa stat vigens consuetudo, tacita permissio Papae scientis, et non contradicentis, neque executionem poenarum urgentis, praesertim cum observantia legis ecclesiasticae in his circumstantiis non spectetur: ita Pehl. hic *n.* 8. *in respons. ad* 5. cujus doctrina pro illis locis est favorabilis pro confessariis, et poenitentibus. Hoc tamen addo, quod consuetudo ista legendi opuscula controversistica pro possibili extirpanda sit ab Episcopis, et nullo modo ad alia loca extendenda. Germani licite legere possunt libros profanos haereticorum, qui incidenter, et obiter aliqua haeresi inspersi sunt; uti multa lexica, libri juridici, medici, historici etc. nam consuetudo Germaniae interpretatur nobis Bullam Coenae non extendi ad hos libros: et ideo viri docti, et timorati absque ullo scrupulo tales libros legunt. *Excipe* libros profanos talium haereticorum, qui quasi ex instituto scribunt multa in contemptum religionis catholicae, et Ecclesiae romanae, contra statum monachorum, et clericorum: uti sunt historiae Joan. Sleidan, Munsteri, Aventini etc. hos enim legere non licet sub poena excommunicationis. 3. Libri in secunda classe prohibiti, plerique licite leguntur a Germanis: nam, ut inquit Laym. Index romanus quoad prohibitionem librorum secundae classis apud nos in Germania receptus non est: quia nemo est, qui prohibitionem istam auctoritative in observationem deducat. Tales sunt libri damnati catholicorum, qui unam, vel plures doctrinas, cum theologia, et apostolicis Constitutionibus minus consonas habent; uti manuale Francisci Pellizarii, Collectanea Barbosae in Tridentinum, Privilegia Regul. Brunonis Chassacini etc. *Excipe* libros prohibitos in *reg.* 7. *et*

Digitized by Google

8. *Indicis* scil. *libros obscoenos*, qui sine peccato raro leguntur, praesertim a proclivibus ad peccandum: *magicos*, qui de magia, et astrologia judiciaria tractant. Limitatio tamen additur in *cit. reg.* 7. his verbis: *antiqui vero ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam, et proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt.* Ceterum quod in *reg.* 8. statuitur, ut libri, quorum principale argumentum bonum est, ab erroribus expurgentur, et non nisi emendati excudantur, in executionem, et observantiam deduci deberet: sed emendatio ista segnius in Germania exercetur. 4. Biblia sacra in linguam vernaculam versa, licite absque speciali licentia Episcopi leguntur a Germanis, modo versio sit ab auctore catholico probe facta, et ab Episcopo probata: nam ut experientia probat, *reg.* 5. *Indicis* non est usu recepta in Germania. Id tamen summopere curabunt Episcopi, et parochi, ne versiones ab haereticis factae in manus fidelium perveniant, ut versio germanica Lutheri, Munsteri, Tremelli etc. quorum Biblia, sive vernacula, sive latina prorsus interdicta sunt. 5. Si alicui ex lectione libror. ab haereticis compositorum, qui alioquin secundum mox dicta tolerantur legi in Germania, imminet periculum perversionis, et depravationis morum, de jure naturali tenetur ab eorum lectione abstinere; nam jus naturale dictat periculum peccandi vitandum esse. Utinam jus hoc attenderent hodie multi juvenes, viri, et foeminae, praesertim nobiles, sane cum tanto animarum suarum periculo tam avide non legerent libros haereticorum; cum plerumque ex illis condiscant Vicarium Christi, patrem omnium fidelium contemnere; Concilia rejicere, auctoritatem ecclesiasticam diminuere, liberius secundum saeculum vivere, ipsam religionem catholicam, ejusque sacra instituta vilipendere, ut in eis fere non sit aliud, quam inane nomen catholici. Piehl. a *n.* 7. *usque ad* 11.

15. Q. VI. *Quae sint poenae spirituales latae in haereticos, et eorum credentes, receptores, fautores, et defensores? Ante resp. nota, credentes* dici illos, qui licet actu nihil credant contra fidem, tamen in verbis, et factis exterioribus profitentur sectam haereticorum, v. g. communiter frequentando eorum templa, conciones audiendo, eisque volendo adhaerere, saltem si motiva sufficientia proposita fuerint. *Receptores*, seu *receptatores*, qui haereticis hospitium praebent, ne veniant in manus judicum. *Defensores*, qui tuentur, vel personas haereticorum: vel errores eorum *fautores*, qui haereticis qua talibus favorem praestant, vel positive, eos laudando, vel negative, ut omittendo denunciationem, capturam, custodiam.

16. R. Seqq. 1. *Excommunicatio* latae sententiae Papae reservata, in 1. *Casu Bullae Coenae.* 2. *Privatio sacrae sepulturae*, ut dixi *lib.* 3. *tit. de sepult.* 3. *Privatio jurisdictionis* ecclesiasticae, dignitatum, et beneficiorum, et inhabilitas ad illa obtinenda; licet talis privatio in effectu non sequatur, nisi post sententiam declarato-

Digitized by Google

riam criminis. 4. Irregularitas ratione infamiae orta probabilius etiam ex haeresi occulta, cum jura non distinguant: ita haec omnia statuuntur *c.* 7. 8. 9. 13. 15. *h. t.* et expressus *c.* 2. *cod. in* 6. *et in casu* 1. *Bull. Coenae.* Ista irregularitas ligat etiam filios usque ad secundam generationem, *c.* 2. §. *Haeretici h. t. in* 6. Si tamen occulta est, dispensari potest ab Episcopo ex Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de refor.* Porro poenae istae Canonicae afficiunt etiam haereticos Germaniae, cum hi nullibi excipiantur, neque eis prosint pacta politica Osnabrugensia, utpote irritata ab Innoc. X. Constit. *Zelo Domus Dei.* Quia vero Haeretici tolerati in Germania non sunt infames, sequitur quod nec fiant irregulares, cum irregularitas ista oriatur ex infamia. Unde absoluti ab haeresi, si alias digni sunt, promoveri possunt ad Ordines absque ulla dispensatione, Navarr. Laym. Pirh. et alii.

17. Q. VII. *Quae sint poenae temporales haereticorum?* R. 1. *Infamia* non tantum *facti*, sed etiam *juris*, ipso jure incurrenda, licet effectum non pareat, nisi post sententiam declaratoriam criminis, *Can.* 17. *infames* 6. *q.* 1. *et c.* 13. §. 5. *h. t.* infamia ista non transfunditur in filios, et nepotes, ne hi sine claro textu alieno delicto praegraventur. Neque extensio est facienda ab infamia, quam contrahunt filii ob paternum crimen laesae majestatis, quia in hac materia poenali extensio poenarum non est facienda. Neque paritas est ab irregularitate: hanc enim contrahere possunt filii ob delictum paternum, quin sint infames. 2. Amissio patriae potestatis in liberos, uti et aliorum privilegiorum a jure concessorum, *c.* 2. §. *fin. h. t. in* 6. Haec poena extendi non debet ad receptores, fautores, et defensores haereticorum. 3. Privatio dignitatum, et honorum, actuumque legitimorum, et inhabilitas ad officia publica: et ideo haeretici non possunt esse judices, advocati, testes etc. *c.* 13. §. *credentes h. t.* nam infamibus talia officia denegantur. 4. Liberatio subditorum, vasallorum, et servorum a fidelitate, et obsequiis domino praestandis; modo secuta sit sententia criminis declaratoria, *c. fin. h. t.* quo casu servi catholici liberi fiunt, neque rediguntur in servitutem, etsi postea domino resipiscenti cetera bona ex beneficio principis restituantur *l.* 4. §. *fin. C. h. t.* quia libertas semel acquisita non est adimenda, *l.* 1. 2. *C. si advers. libert.* Si vero servi pariter erant haeretici, confiscantur cum aliis rebus domini, cum sint pars bonorum, *l.* 52. *ff. de A. R. D.* Poenam istam potiores DD. comprehensive extendunt ad alia jura, et obligationes, quibus quis haeretico obligatus fuit; quia nomina, et jura confiscantur, et aliae obligationes evanescunt. At si quis deinde cum haeretico pacta, et contractus licitos ineat, fidem etiam infideli servare debet ex jure naturali *c.* 3. *de pact.* 5. Intestabilitas tam activa, quam passiva; ita ut haereticus nec de bonis suis testari, nec in alienis bonis allodialibus, aut fideicommissariis succedere possit *c.* 13. §. *credentes, h. t. l.* 4. §. 2. *l.* 5. *v. cunctis, et l. ult. C. h. t.* quibus tex-

Digitized by Google

tibus haeretici incapaces redduntur ad successiones haereditarias, et cons. locus est haeredibus venientibus ab intestato: non vero haereditas applicatur Fisco, cum non auferatur haeretico ut indigno, sed ut incapaci haereditariae successionis. Ad hanc poenam necessaria est sententia judicis criminis declaratoria; et de bonis ante illam quaesitis, vel ipso Jure non valet testamentum, vel saltem rescindi potest: de illis vero bonis, quae post sententiam acquisivit, potest haereticus testari, cum talia bona non cadant sub confiscationem, ratione cujus testamentum prohibetur. 6. Confiscatio omnium bonorum, ita ut nec filiis catholicis aliquid de bonis patris haeretici relinquendum sit, nisi causa commiserationis suaderet benignitatem rigori juris praeferri, *c.* 20. *etc. c.* 13. §. 1. *h. t. l.* 4. *C. eod.* dummodo proferatur sententia criminis declaratoria *c.* 19. *v. confiscationis h. t. in* 6. etiam post mortem haeretici, antequam praescribatur spatio 40. annorum: et tunc sententia post mortem lata retrotrahitur ad tempus delicti, et ab eo tempore res omnes cum fructibus restituendae erunt, *c.* 8. §. 7. *h. t. in* 6. Bona confiscata laicorum in terris Ecclesiae applicantur fisco Ecclesiae, et in terris Imperii fisco saeculari *c.* 10. *h. t.* At bona clericorum, si acquisita sunt intuitu Ecclesiae, ei applicantur *c.* 13. §. 1. *h. t.* bona vero patrimonialia, tanquam accessoria, applicantur fisco ecclesiastico, nisi de consuetudine transire debeant ad fiscum saecularem. Cetera observantur, sicut in confiscatione ob crimen laesae majestatis. Unde in confiscationem bonorum non veniunt bona post sententiam quaesita, nec majoratus, aut fideicommissum ante delictum institutum, nisi quoad commoda, et usumfructum pro eo tempore, quo haereticus vivit: nec bona castrensia, vel quasi, vel adventitia filiorum, nisi isti haeretici fierent: nec dos uxoris, nisi haec scienter contraxisset cum haeretico *c.* 14. *h. t. in* 6. Tandem *septima poena* contra haereticos pertinaces est ultimum supplicium: ita de jure Can. in Conc. Chalced. *Action.* 1. ibi: *si Eutyches praeter dogmata Ecclesiae sapiat, non solum poena dignus est, sed et igni, et c.* 9. 13. *h. t. c.* 1. *eod in* 6. *etc.* de jure civ. *l.* 4. §. 4. *l.* 5. 8. *C. h. t.* nam gravitas tanti sceleris, fidei, et publicae tranquillitati summe adversi meretur ultimum capitale supplicium. De hodierna consuetudine haeretici impoenitentes, praesertim haeresiarchae, vivi comburuntur: poenitentes vero exilio et poena triremium per tres annos puniuntur, nisi relapsi fuissent; tunc enim sacramenta poenitentibus ministrantur, sed poena strangulationis, et ignis raro remittitur.

18. Poenae istae temporales in Imperio non habent locum quoad haereticos toleratos secundum pacta Osnabrugensia, licet his non teneatur stare judex ecclesiasticus, nisi ob diram necessitatem, ut majora mala praecaveantur. Clericis vero, et religiosis pacta ista non suffragantur, cum principes laici nihil statuere potuerint circa personas ecclesiasticas; adeoque si illi in

haeresim labantur, in Germania substant poenis spiritualibus, et corporalibus.

19. Q. VIII. *Quis sit judex in crimine haeresis?* R. 1. Ecclesiasticus privative, sive haeresis principaliter, sive incidenter, sive in quaestione juris, aut facti deducatur in judicium: ita *c.* 18. *v: prohibemus h. t.* quae constitutio confirmata est a pluribus Pontificibus: nam haeresis est crimen mere ecclesiasticum, ex sac. litteris, et Ecclesiae Canonibus, judicandum, etiam in quaestione facti, quae vix separatur a quaestione juris: et ita correctae sunt leges civiles, *l.* 1. §. *fin. ff. de sum. Trin. l.* 8. §. *fin. C. h. t.* Unde judex laicus licet haereticum capere possit tradendum curiae ecclesiasticae, non tamen eum examinare potest, nec sententiam judicis ecclesiastici discutere, sed eam absque dilatione exequi tenetur; nisi notorie esset injusta propter falsa testimonia etc. quo casu tenetur judicem ecclesiasticum informare.

20. R. 2. Judices ordinarii in causa haeresis sunt. 1. *Papa.* 2. Legatus a latere *c.* 12. *h. t.* licet hodie absque speciali mandato Papae Legati apostolicae Sedis se non intromittant causis haereticalibus, Far. Passer. 3. Episcopus, vel sede vacante, capitulum, et praelatus in suo territorio jurisdictionem episcopalem exercens. 4. Inquisitores S. Officii antea erant judices delegati, nunc fere ordinariam potestatem habent. Cum vero in nostris partibus non vigeat officium S. Inquisitionis, de eo tractare hic supersedeo.

21. Q. IX. *Quis absolvere possit a crimine haeresis?* R. 1. Si crimen diffamatum est, vel deductum ad forum contentiosum per viam accusationis, denunciationis, aut inquisitionis, nullus praeter Papam ab illo absolvere potest: nam crimen haeresis, et excommunicatio ei annexa reservata est Sedi apostolicae, Bulla Coenae §. *Ceterum* nisi potestas ista specialiter sit alicui delegata.

22. R. 2. Si crimen haeresis occultum est, hodie post Bullam Coenae non possunt ab illo pro foro interno absolvere Episcopi: ita Garcias, Barbos. Schmalz. Reiff. cum citt. et Fagn. *c. dilectus de tempp. ordin. n.* 30. dicit frustra articulum istum deduci in controversiam, cum habeamus claram declarationem S. Cong. Conc. quod per Bullam Coenae derogatum sit potestati Episcoporum concessae a Trid. S. 24. *c.* 6. *de ref.* Prob. ex *cit. Bulla* §. *Ceterum:* ibi: *etiam praetextu quarumvis facultatum, et indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis etiam episcopali, vel alia majori dignitate praeditis per nos, et dictam Sedem, aut cujusvis Concilii decreta, concessorum* etc. ex quibus verbis ita arguo; per Bullam Coenae generaliter tollitur Episcopis potestas absolvendi ab haeresi, quocumque privilegio, vel decreto Concilii concessa; sed nullum aliud Concilium, nisi Trid. *l. c.* concessit Episcopis facultatem absolvendi ab haeresi occulta; ergo facultas ista revocata est per clausulam Bullae Coenae: et ita declaratum fuisse non tantum a sac. Congr. sed etiam a Gregor. XIII. et Clem. VIII. testantur Genuens. *Nec*

Digitized by Google

obstat, quod in clausula Bullae Coenae non fiat specifica mentio Tridentini: nam cum hoc sit pars juris communis, non praesumitur ignorari a Papa condente Bullam Coenae *c.* 1. *de constit. in* 6. Nec obstat etiam, quod Bulla Coenae generaliter loquatur de haeresi, et Trid. specialiter de occulta: nam clausulam Bullae procedere de haeresi in omni sua specie sive publica, sive privata, saepius declaravit sac. Cong. Quo facit *prop.* 3. ab Alex. VII. damnata his verbis: *Sententia asserens Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, qaando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est, an.* 1729. *die* 8. *Julii in Consistorio sac. Cong. Emin. Cardd. visa, et tolerata est.* Opposita sententia, quam etiam tenet Pichler, et Barbosa, plures DD. pro ea allegat, licet speculative videatur probabilis, in praxi tamen minus secura est.

23. R. 3. Episcopi Germaniae probabilius absolvere possunt ab haeresi occulta, licet pro majori securitate facultatem absolvendi Roma petere soleant: ita plerique DD. Germani: nam 1. Bulla Coenae quoad omnem rigorem noc est usu recepta in Germania, maxime quoad censuras, et reservationem; cum reservatio ista non videatur esse expediens in his circumstantiis. 2. In Germania ex una parte haeresis est frequens, et obscura, ut non facile discernas haereticum formalem a materiali; et ex altera parte difficilis, imo moraliter impossibilis est recursus ad Papam: quibus concurrentibus plerumque cessant reservationes, ne vergant in dispendium salutis animarum, et commoditas Haereticos convertendi praepediatur: tum denique, quia in Germania videtur generaliter sublata esse excommunicatio pro foro externo; cum vix aliquis haereticorum mittatur pro absolutione ad judicem ecclesiasticum, sed recte instructus statim admittatur ad professionem fidei catholicae, et usum sacramentorum, teste P. Pichler, et aliis. Sublata autem excommunicatione, cessat reservatio, cum ex com. DD. Papa nullum crimen reservet, nisi ratione censurae reservatae. exceptis duobus, vel tribus. Hic tamen te admonitum volo, quod cum apostatis, qui ex catholicis fiunt haeretici, ob gravissimum apostasiae crimen, durius agendum sit, ne impunitas occasionem det apostatandi.

24. R. 4. In casu impedimenti prolixioris, aut perpetui, possunt Episcopi absolvere ab haeresi occulta; dummodo poenitens sub juramento promittat, quod sublato impedimento, praesentare se velit conspectu apostolico: ita com. nam casus papalis, dum ob impedimentum Papa pro absolutione adiri non potest, fit episcopalis ex recepta consuetudine, et tacito consensu Papae, Imo Episcopi ab Urbe remotiores, praesertim in Germania, via praescriptionis videntur acquisivisse jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere, seu obligatione sistendi se conspectui Papae. Neque tali casu impeditus tenetur per procuratorem, vel litteras Roma absolutionem a censuris petere,

quia id non exigitur a jure, sed solum, ut reus personaliter accedat Papam, Reiff. et alii. Praxis hodierna, qua Episcopi, praesertim Germaniae, a Papa facultatem petunt absolvendi ab haeresi, est omnino securissima; uti etiam recursus ad sac. Poenitentiariam, quia hoc modo sacramentum Poenitentiae sine ulla anxietate, alias ex contrariis sententiis oriri solita, administratur.

25. R. 5. Episcopi post Bullam Coenae, ubi officium S. Inquisitionis non est introductum, possunt absolvere ab haeresi pro foro externo; exceptis haeresiarchis, et relapsis: ita com. ex *c.* 11. *pr. h. t. in* 6. nam Episcopi tenent locum Inquisitorum, ubi isti non reperiuntur. Porro haec absolutio in foro externo data, prodest absolutis, ut deinde in foro interno a quocumque simplici confessario absolvi valeant. At contra absolutio haeretici pro foro interno non prodest ei in foro externo, sed in hoc convictus condemnatur ad poenam, et vindictam publicam, Sanch. Reiff. et alii.

26. R. 6. Regulares de jure ordinario non possunt absolvere ab haeresi occulta haereticos seculares: nam nullo Jure ordinario id reperitur concessum: unde Alex. VII. damnavit hanc propositionem *n.* 4. *Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque seculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.* Similiter de jure ordinario praelati suos religiosos nequeunt absolvere ab haeresi occulta; quia talis potestas eis tollitur per Bullam Coenae *cit.* §. *ceterum,* imo in Italia, et Hispania, ubi officium S. Inquisitionis viget, casus haeresis, etiam occultae, pertinet ad Inquisitores privative, ita ut Praelati Regg. ab illo absolvere nequeant suos religiosos, ut fertur declarasse Clem. VIII. *die* 16. *Nov.* 1592.

27. R. 7. Regulares de jure speciali extra Italiam, et Hispaniam possunt absolvere ab haeresi occulta, et excommunicatione incursa ob lectionem librorum haereticorum: ita probabiliter tenent graves DD., praesertim Germani, et plerique Scriptores regg. nam Regularibus data sunt privilegia specifice exprimentia casum haeresis. Sic Julius III. Const. *Sacrae religionis die* 22. *Oct.* 1552. dat Societati Jesu facultatem *quoscumque a casibus haeresis, et aliis contra fidem, et consequentibus censuris quibuscumque absolvendi.* Eandem facultatem dedit Greg. XIII. 28. *Mart.* 1584. absolvendi ab haeresi, et relapsu in haeresim. Quod privilegium, ut ait Suar. absolutum est, et sine ulla limitatione: item Clem. VIII. teste Gobat in Th. Exper. *tr.* 7. *n.* 638. amplissimam potestatem absolvendi ab haeresi dedit Carmelitis discalceatis pro Gallia, Flandria, Germania, Polonia: Greg. XIII. teste Urbano Carmel. concessit Servis B. V. privilegium, ut possint suos etiam a relapsu in haeresim absolvere. Ratio pro his regionibus septentrionalibus specialis est, quod hic ob difficilem recursum ad Papam casus papales, sicut fiunt episcopales, ita et fiant regulares. Praeterea ex usu, et consuetudine Germaniae Praelati regulares suos religio-

sos, non secus ac Episcopi suos dioecesanos, judicant in causa haeresis, et reis convictis condignas poenas infligunt; ut si regularis in apostasia haereticam sectam amplectatur: tunc enim reversus, vel captus, non ab Episcopo, sed a praelato regulari judicatur, ac punitur. Et haec consuetudo videtur nobis optime interpretari Bullam Coenae, quomodo haec pro regionibus nostris sit intelligenda. Ceterum quamvis sententia ista sit omnino probabilis; quia tamen versamur in materia obscura, cui utinam lucem afferret decisio pontificia, ideo consultum fore judico, ut praelati regg. ad majorem securitatem, et cautelam pro suis religionis confessariis facultatem absolvendi ab haeresi petant ab Ordinariis, qui eam specialiter habent a Papa cum potestate delegandi. Quo in genere laudanda est ordinatissima Archidioecesis Pragensis, in qua ob spiritualem poenitentium utilitatem plerisque confessariis regularibus conceditur facultas absolvendi ab haeresi: atque ita cessant scrupuli, et jurgia de valore horum privilegiorum. *Dices* cum P. La Croix: 1. Privilegia ista singulis annis revocantur per promulgationem Bull. Coen. R. Neg. assertum: nam in his privilegiis a Sixto V. et Clem. V. expresse ponitur illa clausula: *nisi in privilegiis casus, in Bulla* contenti expresse concederentur, et ubi clausula ista non ponitur, tacite intelligitur, ut ait Alterinus apud Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. Imo assertum multum probat, quod scil. facultas specialis absolvendi ab haeresi concessa Episcopis Germaniae singulis annis revocetur per promulgationem Bullae Coenae. Sicut ergo Episcopis, Nuntiis apostolicis, ita quoque Regularibus concessa sunt privilegia cum intentione praeveniendi revocationem Bullae Coenae; et cons. non censentur revocari, nisi intentio ista, seu voluntas Papae per speciales terminos revocetur.

28. R. 8. In articulo mortis quilibet sacerdos absolvere potest ab haeresi: ita casus iste excipitur in clausula Bullae Coenae, *nisi in articulo mortis*, seu in probabili periculo mortis, v. g. in conflictu bellico, periculosa navigatione etc. tum quia in articulo mortis cessat omnis reservatio, et quilibet verus sacerdos, etiam haereticus, accipit jurisdictionem absolvendi in tali casu Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de ref.* Impedimentum perpetuum, quo nec Papa, nec Episcopus adiri potest, acquiparatur articulo mortis; non vero aliud: quia si Papa adiri nequit, adiri potest Episcopus, vel alius privilegiatus.

29. R. 9. In generali potestate absolvendi a casibus Papae reservatis, vel a casibus Bullae Coenae, non venit potestas absolvendi ab haeresi, v. g. tempore Jubilaei, nisi specialiter exprimatur: ita fertur declarasse Alex. VII. *die* 25. *Martii* 1656. idemque probat usus, et stylus curiae rom. qui hoc in puncto vim legis habet: nam ex *reg.* 81. *in* 6. in generali concessione non videtur venire haec specialissima potestas absolvendi ab haeresi; neque Papa praesumitur per terminos generales derogare tot juribus in favorem

Digitized by Google

fidei latis, Opposita sententia P. Gobat, et aliorum docentium in potestato absolvendis a casibus Bullae Coenae venire potestatem absolvendi ab haeresi, theorice videtur probabilis, sed minus tuta in praxi, nisi forsan pro Germania.

Quomodo Principes catholici inire possint foedera cum Haereticis, consule Reiff. a *n.* 157. ubi de hac materia docte scribit.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, et ordinatis ab eis.

Agitur de hac materia in Sexto, et Extrav. com. *h. t.* in Decreto 23. *q.* 5. et sparsim in 24. *q.* 1.

1. *Nota* 1. *Schisma*, latine scissionem, esse crimen, quo quis separat se ab Ecclesia, ut corpore, et Romano Pontifice, ut capite, seu Vicario Christi, atque ita scindit unitatem Ecclesiae, S. D. 2. 2. *quaest.* 39. *art.* 1. Differt a *seditione*, quia ista est divisio a corpore, et capite politico; schisma vero a corpore, et capite spirituali Ecclesiae. Unde illi dicuntur Schismatici, ***qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant***, S. D. *ibid.* licet alioquin recognoscant Rom. Pontificem, esse caput Ecclesiae. Actus schismatis sunt: 1. *Nolle obedire Papae*, vel directe, seu expresse recusando ejus mandata; vel indirecte, seu ipso facto, ita se gerendo, ac si non esset christianus subditus Papae. 2. *Recedere* a ceteris Ecclesiae membris; ut seorsim conventicula celebrando, orationes, jejunia, et alia spiritualia exercitia peragendo, quasi divisores hujusmodi essent corpus a reliqua Ecclesia distinctum.

2. *Nota* 2. Schisma ex specie sua opponi charitati Ecclesiae; et tunc dari ***purum***, dum quis credit omnes articulos fidei, etiam illum, quo summam Papae in terris potestatem profitemur; attamen ex perversa voluntate non vult ei se subjicere, et ceteris membris Ecclesiae communicare; ut si provincia constituat sibi Patriarcham, cui in spiritualibus obediat, sicut fecerunt Graeci, et hodie faciunt Anglicani catholici, qui obediunt Regi, ut Vicario Christi in spiritualibus etc. In hoc sensu schisma differt ab haeresi; quae fidei opponitur, et negat aliquem articulum fidei; atque ita haeresis aliquid addit supra schisma, scil. dissensum in aliquo articulo fidei. Ceterum in praxi raro invenitur schisma ***purum***, sed plerumque admistam habet, aut secum trahit haeresim, *Can.* 26. *inter* 23. *q.* 5. ubi S. Hier. ait: ***nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.*** Exempla obvia sunt in schismate Graecorum, Anglorum, et aliorum Septentrionalium.

3. *Nota* 3. Inter Schismaticos proprie dictos non numerari: 1. Subditos recedentes ab obedientia Episcopi, vel praelati regularis; dummodo perseverent in obedientia Papae; licet in lata significatione dicantur Schismatici *Can.* 7. *scire* 7. *q.* 1. *et Can.* 18. *loquitur* 24. *q.* 1. 2. ***Excommunicatos***, quia hi non a se ipsis, sed a superiore di-

viduntur a corpore Ecclesiae. 3. Recusantes obedire Papae, quia nimis dura imperat, vel quia electio illius est dubia, vel quia non videtur esse dominus temporalis alicujus provinciae. 4. Provocantes a sententia Papae ad Concilium Generale, ut Papa ei praesideat; secus si nollent Papam ei praesidere: quia tunc faterentur Concilium esse supra Papam. Interim appellationes istae sunt illicitae, et prohibentur sub excommunicatione lata in *casu* 2. *Bullae Coenae*.

4. Q. I. *Quae sint poenae Schismaticorum?* R. seqq. 1. Excommunicatio reservata Papae, *Can.* 5. *d.* 19. *Can.* 43. *de Liguribus* 23. *q.* 5. et in *casu* 2. *Bull. Coen.* quae tamen non extenditur ad receptores, fautores, et defensores Schismaticorum, licet hi incurrant excommunicationem non reservatam *c. un. h. t. in* 6. 2. Confiscatio bonorum *cit. c. un.* reliquae vero poenae, ut privatio dignitatum et beneficiorum, et aliae ibi expressae, restrictae sunt per *Extrav. un. h. t. inter com.* licet per sententiam infligi possint. Vide utramque istam constitutionem in causa Columniorum datam. 3. Inhabilitas ad beneficia, et dignitates, saltem si schismaticus est notorius, *c.* 5. *de elect.* 4. Privatio jurisdictionis Ecclesiasticae, et suspensio ab usu, et exercitio ordinum; et ideo invalidae sunt collationes beneficiorum, et alii actus jurisdictionales: collationes vero ordinum sunt illicitae, et scienter ordinati a schismaticis, nominatim denunciatis suspenduntur ab exercitio ordinum *cap.* 1. *et fin. h. t. Can.* 6. *Novatianus v. qui ergo* 7. *q.* 1. Has poenas meretur perniciosum crimen schismatis, in quo parvitas materiae non admittitur. Si vero haeresis misceatur schismati, locus est poenis contra haereticos statutis.

5. Q. II. *Quae sit poena eorum, qui occulta conventicula celebrant?* R. Conventicula ista, tanquam schismati, seditioni, et haeresi faventia prohibentur graviter, *c.* 12. *de Haeret.* sub poena ultimi supplicii; de Jure civ. *l.* 3. *C. de his, qui ad Eccl. conf.* et domus illius, quo consentiente celebrata sunt, publicari, et fisco addici debet, *l.* 15. *C. de Episc. et Cler.*

TITULUS IX.

De Apostatis, et reiterantibus baptisma.

Agitur de hac materia in Decreto 6. *q.* 1. *et* 11. *q.* 3. in Trid. *sess.* 7. *Can.* 11. *de bapt. et sess.* 14. *c.* 11. *de reform. sess.* 25. *c.* 4. *de Regg.* in Codice *lib.* 1. *tit.* 6. 7.

1. Apostasiae sunt quatuor genera; quia recedi potest *a fine, obedientia, ordine, et religione:* quibus additur reiteratio *baptismi*, quasi quidam recessus a priori baptismate. *Apostasia a fide* est totalis desertio fidei christianae; ut si quis ex christiano fiat judaeus, vel turca. *Apostasia ab obedientia* est, dum quis Deo, vel legitimo superiori contumaciter tenuit obedire; atque ita cum contemptu praecepta eorum transgreditur. Si vero inobedientia oriatur ex ignorantia, fragilitate, vel quadam aversione a prae-

Digitized by Google

lato, secluso contemptu formali, minus est peccatum, et cons. mitiori poenae substat. *Apostasia ab ordine* est temerarius transitus a statu clericali sac. Ordinum ad laicalem conversationem. *Apostasia a statu religioso* est totalis desertio status religiosi sine animo ad eum redeundi. De hac egi *lib.* 3. *tit. de Regul.*

2. Q. I. *Quae sint poenae Apostatarum a fide, eorumque receptorum, fautorum, et defensorum?* R. Seqq. 1. *Excommunicatio*, et aliae poenae contra haereticos statutae, *c.* 13. *de Haeret. in* 6. imo ob gravitatem majorem criminis, gravius puniendi sunt, etiam ultimo supplicio *l.* 2. 4. 5. *C. h. t.* 2. Pax Religiosa, et pacta Osnabrugensia non prosunt haereticis, v. g. ad Judaismum transeuntibus, sed puniuntur poena infamiae, confiscationis bonorum, capitis, aliisque de utroque jure statutis, Reiff. etc.

Est hic notandum ex sequenti decreto universalis Inquisitionis 18. *Jul.* 1630. *approbato ab Urbano VIII. prout genuine relatum est a Bened. XIV. lib. XIII. de Syn. dioec. cap.* 20. *n.* 18. *et non ut refertur a Card. Albitio de Inconstantia in fide c.* 8. *n.* 29. Apostatas a fide, redeuntes ad poenitentiam, non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere, ut eam abjurent in balneo coram fidelibus (*puta si sint inter Turcas*) abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit aequivocus, posse illum deferre. Quod si ex illa delatione, ratione personae aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere, cum primum poterint. *In decreto autem ab Albitio allato ulterius leguntur sequentia verba, quae fuerunt theologorum, qui tunc rogati, suum sensum aperuerunt, non decreti.* Et curent, ut successu temporis cognoscant etiam infideles, vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, licet id etiam cum periculo vitae.

3. Q. II. *Quae sint poenae apostatantium ab obedientia?* R. seqq. 1. Si inobedientia oriatur ex infidelitate, locus est poenis haereticorum, *Can.* 5. *d.* 19. si vero oriatur ex superbia, et formali contemptu sac. Canonum, et praelatorum, est infamia facti: deinde si contumax subditus perstiterit, gradatim proceditur per poenas mitiores; et tandem excommunicatur, et degradatus clericus curiae saeculari traditur, *Can.* 3. *si quis* 3. *q.* 3. *et c.* 10. *de judic.* 2. Si inobedientia oriatur ex fragilitate, mitioribus poenis locus erit. In Religionibus servantur propria Statuta contra inobedientes lata.

4. Q. III. *Quae sint poenae apostatantium a SS. Ordinibus?* R. seqq. 1. *Excommunicatio* ferendae sententiae, *c.* 3. *h. t.* 2. *Infamia facti*, et inde orta irregularitas, quae tamen per poenitentiam tollitur. 3. Amissio privilegii Canonis saltem post trinam monitionem Episcopi, *c.* 1. *h. t. c.* 25. *de sent. excom.* 4. Poena carceris, si clericus apostata habitum reassumere renuat, *c.* 5. *h. t.* Diffamatus, vel suspectus de apostasia ab ordine, tenetur ad purgationem Canonicam, *c.* 3. *h. t.* qua non praestita, habetur pro convicto.

Digitized by Google

5. Q. IV. *Quae sint poenae scienter rebaptizantium, et rebaptizatorum?* R. seqq. 1. De jure Can. uterque fit irregularis *Can.* 65. *d.* 450. *et c.* 2. *h. t.* et si clericus sit, deponitur, *Can.* 118. *de consecr. d.* 4. si laicus, excommunicari debet, Abb. Eandem irregularitatem contrahunt acolytus, subdiaconus, et diaconus rebaptizanti ministrantes, si crimen sit publicum *c.* 2. *h. t.* in occulta vero irregularitate dispensat Episcopus vi Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de ref.* De jure civ. rebaptizans, et rebaptizatus ultimo supplicio afficiuntur, *l.* 2. *C. ne sect. bapt. iter.* Ceterum licet confirmatio, et baptizatio iterari eodem modo prohibeantur *Can.* 8. *de consecr. d.* 5. non tamen sub iisdem poenis; adeoque poenae rebaptizantium, et rebaptizatorum non sunt extendendae ad reconfirmantes, et reconfirmatos; cum irregularitas non sit asserenda, nisi in jure expresse reperiatur, *cap.* 18. *de sent. excom.*

Actum est de criminibus, quae Deo, ejusque sancto cultui, fidei, et religioni christianae opponuntur: nunc agetur de variis delictis, quae charitati, et justitiae erga proximum adversantur, quatenus laedunt ejus vitam, famam, fortunas, et alia jura; uti sunt parricidium, homicidium, adulterium, et struprum, rapina, furtum, crimen falsi, sortilegium, collusio: et finitur materia ista in delictis puerorum *tit.* 23. Quia vero in jure Can. nullus est specialis titulus de crimine laesae majestatis, ideo hic aliqua de illo dicam ex §. 3. *Inst. de publ. jud. ex tit. ff. et C. ad L. Juliae majestatis.*

De crimine laesae Majestatis.

6. I. Crimen laesae majestatis est delictum publicum, quo majestas humana, seu suprema potestas laeditur a subdito. Requiritur ad hoc crimen 1. Ut laedatur is, qui pollet majestate, seu qui in suo territorio superiorem non recognoscit, ut Papa, Imperator, Reges, Electores ex Bulla Aur. *c.* 24. quod privilegium ex usu, et consuetudine communicatur etiam Regi Romanorum, et Imperatrici: item si laedantur Consiliarii principis, seu pars corporis principalis *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* In ceteros vero principes, et comites non dicitur committi crimen laesae majestatis: cum in illis non sit majestas. 2. Ut laesio ista fiat a subdito, *Clem.* 2. *v. rursus de sent. et re jud.* ubi Papa declarat a Roberto Siciliae Rege non fuisse commissum crimen laesae majestatis contra Henricum Imperat. quia non erat ei subditus. Hinc licet externi, et clerici laedentes Imperatorem pro condigno puniendi sint, tamen puniri nequeunt, ut rei laesae majestatis.

7. II. Hoc crimen duas habet species: *Perduellionem, et crimen majestatis in specie. Perduellio* est crimen, quo princeps, seu respubl. hostiliter laeditur a subdito, cujus actus recensentur *l.* 1. *ff. ad L. Jul. Maj.* ut conspirare in necem principis, seditionem excitare, secreta principis hosti pandere, arma ad eum deferre, castra, vel urbes ei tradere etc. *cit. l.* 1. 2. 3. 4. *Crimen majestatis in specie* est de-

lictum, quo princeps citra hostilitatem laeditur a subdito; ut si quis principem percutiat, statuas ejus destruat, vel caedat, monetam adulteret, privatos carceres habeat, confugientes ad Ecclesiam inde abstrahat etc.

8. III. Crimen perduellionis, utpote gravissimum, et exceptum, multa habet specialia: 1. Sufficit ad illud sola voluntas, seu conatus actu exteriori manifestatus, *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* 2. Ad illud accusandum admittuntur accusatores, et testes alioquin inhabiles, ut infames, mulieres, milites, impuberes, *l.* 7. §. 1. *l.* 8. *ff. ad L. J. Maj.* 3. In hoc crimine nulla dignitas a tortura excusat *l.* 3. 4. *C. eod.* 4. Intercedentes pro reo perpetua infamia notantur *l.* 5. §. 2. *C. eod.* 5. Pater deferre tenetur filium, et filius patrem, si privata monitione a tam pernicioso crimine eum avertere non potest *l.* 35. *ff. de Relig.* 6. Conscii hujus criminis tenentur illud revelare; alias eidem substant judicio *l.* 5. §. *pen. C. ad L. J. Majest.* quod tamen limitat Baldus in eo, qui scit, sed probare non potest, quamvis teneatur admonere illum, cui periculum imminet. 7. Crimen hoc morte non extinguitur, sed perduellis etiam post mortem damnatur, infamis pronunciatur, ejusque statuae, et insignia delentur, *l.* 6. 7. 8. *C. eod.*

9. IV. Poenae perduellis sunt: 1. Infamia juris, confiscatio omnium bonorum, et ultimum supplicium exasperatum, v. g. cum sectione membrorum in 4. partes, *l.* 5. 6. *C. eod.* 2. Liberi perduellis fiunt perpetuo infames, omnibus honoribus privantur, repelluntur a matris, et propinquorum, aliorumque successione, tamque miseri efficiuntur, ut vita sit eis supplicium, et mors solatium, *cit. l.* 5. *C. eod.* ubi sola vita eis indulgetur, et cons. etiam alimenta ex bonis paternis. Quae poenae locum habent in filiis, non tantum post, sed etiam ante perduellionem natis, ne paterni delicti sint imitatores. Filiae tamen, in quibus ob fragilitatem sexus vindicta non praesumitur, ad maternam haereditatem admittuntur, *cit. l.* 5.

10. V. Poena committentis crimen majestatis in specie, est mitior secundum qualitatem delicti, v. g. deportatio, relegatio, gladius *l.* 24. *et* 40. *ff. de poen.* ceterae poenae non solent infligi, ut damnatio memoriae; confiscatio etc.

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 9. in Codice *lib.* 9. *tit.* 15. *et* 17.

1. *Nota* in *h. t.* agi de parricidio, quod in genere homicidii est crimen gravissimum; et definitur specifice, quod sit homicidium in personam conjunctam dolo, seu scienter commissum. Et quidem, si liberi parentes, vel e contra occidant, est proprie, et rigorose *parricidium:* si vero cognati collaterales, aut affines aliquem ex cognatione, aut affinitate occidant, est parricidium late, et improprie tale. Porro

Digitized by Google

nomine parricidarum veniunt, et legi Pompejae de parricidiis substant, liberi, et privigni (non tamen adoptivi, cum non exprimantur) parentes, vitricus, noverca, nepotes, et neptes respectu avi, et aviae, socer, socrus, gener, nurus, fratres et consanguinei usque ad 4. gradum, maritus et uxor, libertus occidens patronum, aut patronam: item cooperantes ad crimen parricidii, ut mandantes, consulentes, auxilium dantes, exequentes, et hujusmodi: ita haec omnia enumerantur *l.* 1. *et seqq. ff. de leg. Pompei, de parricid.* E contra a parricidio excusantur *ignari:* ut si filius occidat, nesciens esse patrem, *furiosi* usu rationis destituti; et qui servato moderamine inculpatae tutelae, propter necessariam sui, vel boni publici defensionem occidit patrem vitae aggressorem, vel perduellem, *l.* 9. *in fin. eod. l.* 3. *ff. de Just. et Jur.*

2. Q. I. *Quae sit poena parricidarum de Jure Canonico?* R. 1. Occisor parentum uno anno prohibetur ab ingressu Ecclesiae, et tribus annis a sacra communione, et per decem annos jejunare, ceterasque poenitentias implere tenetur secundum praescriptum *Can.* 15. *latorem* 33. *q.* 2. sed hodie poena est arbitraria. 2. Mater vidua filium occidens detrudenda est ad monasterium, et a secundis nuptiis arcenda: si vero conjugata est, a viro quidem separari non debet, sed aliis condignis poenis puniri, *c.* 1. 2. *h. t.* 3. Parentes, qui tenellos adhuc infantes in suo lecto collocatos culpabiliter opprimunt, tres annos poenitentiam agere debent, et unum horum in pane, et aqua *c. fin. h. t.* nisi culpa abfuisset; ut quia infans aliter a frigore defendi non potuit, vel placari, nisi in lectum receptus. Hodie in foro externo poenae istae non attenduntur, cum talia delicta a judicibus laicis puniantur: pro foro autem interno secundum qualitatem delicti confessarius salutarem poenitentiam injunget.

3. Q. II. *Quae sint poenae parricidarum de jure civili?* R. 1. Parentum occisor ex L. Pompeja virgis sanguineis verberatus, cum cane, simia. gallo gallinaceo, et vipera includendus est in culeum, seu saccum coriaceum, et in mare, seu flumen proximum demergendus, aut bestiis objiciendus §. 6. *Inst. de Jud. publ. l.* 9. *ff. de L. Pomp. de parric. l. un. C. de his, qui parent. occid.* 2. Parens occisor liberorum prius puniebatur poena ordinaria homicidii, deinde eadem poena, qua filius interfector parentis, *cit.* §. 6. *et l. un. cit.* Mater vivum infantem a se editum occidens, viva in terram defodi deberet, vel in aquis submergi, ex Const. Car. V. *art.* 131. Hodie poenam culei adhuc decerni posse contendit Carpzov. alii communiter docent eam sublatam esse, quia nimis crudelis est; et propter periculum desperationis inimica saluti aeternae: unde loco culei decerni solet gladius, sectio in quatuor partes, strangulatio, et dilaceratio per canes, prout delicti qualitas postulat. 3. Parricidae latae tales, qui consanguineum collateralem, vel affinem, vel maritus uxorem occiderunt, puniuntur poena ordinaria homicidii ex L. Cor-

nelia de Sicariis, *l.* 9. §. 1. *ff. de L. Pomp. de parricid.* §. 6. *Inst. de jud. publ.* licet pro qualitate delicti poena ista exasperari soleat, v. g. per forcipes candentes, raptationem etc.

De poena procurantium abortum dicam infra *tit.* 12.

TITULUS XI.

De Infantibus, et Languidis expositis.

Agitur de hac materia in Decreto *Can. fin. d.* 87. in Codice *lib.* 8. *tit.* 52. *et Nov.* 153.

1. *Nota* exponere infantes septennio minores, et languidos cujuscumque aetatis, qui propter infirmitatem laborare nequeunt, esse crimen gravissimum contra officium pietatis, propinquum parricidio et a sensu humano alienum *Nov.* 153. imo si infans, vel languidus exponatur eum periculo vitae, ut pereat, est formale homicidium. In foro saltem interno a peccato excusantur parentes, qui ob causam egestatis, absque ullo periculo vitae exponunt infantes in loco pio, praesertim pro talibus expositis destinato. Quod multi extendunt ad illos, qui hoc modo expounut infantes ex causa infamiae declinandae, Gonz. Reiff.

2. Q. I. *Qui educare debeat expositos?* R. 1. Si nullus privatus reperiatur, qui expositos educare, et sustentare velit, tenetur ad id locus pius pro expositis destinatus; deinde Ecclesia, et communitas, *Can.* 70. *aurum* 12. *q.* 2. tandem seculares, et Ecclesiastici divites ad hoc pium opus cogi possunt; cum in extrema necessitate expositi jus habeant ad alimenta. 2. Proles alibi exposita remittenda est ad locum originis, et domicilii, in quo parentes stabilem locum, et sedem habent, et ibi alenda *l.* 1. 36. *ff. ad municipal. l.* 7. *C. de incol.* nam locus originis, et nativitatis civem facit, licet baptismus alibi collatus fuerit: quamvis Judaei, Turcae, et alii pagani si extra patriam suam baptizentur, plerumque a loco baptismi civitatem capiant, ut statuitur in Conc. Basileen. *sess.* 19. At si infans natus sit ex matre vagabunda, ibi ali debet, ubi expositus est: quo sensu explicatur *c. un. h. t. l.* 3. *C. eod.* nam vagabundi ubi sunt, ibi forum, et civitatem sortiuntur. 3. Domini tenentur famulis aegrotis succurrere, et eos curare, saltem tenuibus expensis: secus, si nequeunt, charitas dictat, ut divites succurrant aegroto in hac gravi necessitate.

3. Q. II. *Quid juris acquiratur in expositum?* R. 1. Alens expositum, nil juris acquirit in ejus personam; puta nec patriam, nec dominicam potestatem, *c. un. h. t. et l.* 3. *C. eod.* nam sustentatio non facit adoptivum, nec servum, cum hoc utrumque sit exposito praejudiciosum. 2. Sustentans, si ex misericordia hoc non facit, repetere potest expensas ab illis, qui expositum sustentare tenebantur, et exposito, si intestatus absque liberis moriatur, succedit, excluso fisco, parentibus, et consanguineis, utpote indignis haereditate, *arg. Nov.* 115. *c.* 3. Barbos. Reiff.

4. Q. III. *Quae sit poena exponen-*

Digitized by Google

tium, et favor expositorum? R. 1. Pater privatur patria, et dominus dominica potestate ipso jure, et facto; ita ut filius, et servus expositi fiant sui juris quoad onerosa: favorabilia vero omnia ex patria potestate descendentia integra maneant filio: ita *c. un. l.* 3. *et fin. C. h. t. et Nov.* 153. *l. fin. ff. pro derelicto:* nam ob hoc grave crimen recte aufertur potestas patria, et dominica, et injuriam passis jus suum, et libertas conceditur. 2. Si infans expositus est in loco periculoso, v. g. in sylva, vel alio loco solitario, et periit, exponens tenetur poena capitis, *l.* 4. *ff. de agnoscend. et alen. lib. et Const. crim. Caroli V. ar.* 133. *in fin.* Si vero infans expositus sit in loco publico, et frequenti, et casu periit, exponens fustigandus est: si tandem vivus repertus est, exponens relegatur, *ibid.* 3. Expositi praesumuntur potius esse legitimi, quam illegitimi: ita Menoch. Gonz. et alii contra Covar. Suar. Garg. et alios: nam in casu dubio capienda est praesumptio, et conditio proli favorabilior; sed casus legitimitatis est dubius: cum etiam legitimi ob egestatem, vel aliam causam frequenter exponantur, ut patet in Moyse, Cyro, Paride etc. ergo. Neque stylus Datariae est in contrarium: nam legitimatio ista vel fit ad cautelam tantum, vel in casu certo illegitimitatis.

Cardinalis tamen Petra comment. ad Constitut. XXII. Sixti IV. n. II. sentit tenendam esse tutiorem opinionem: ideoque quoad ordines saltem suspiciendos, hos indigere dispensatione, cum requiratur probatio legitimitatis, pro qua non sufficit praesumptio.

Nobilitas vero in expositis non praesumitur, quia non est qualitas necessaria, naturalis, seu communiter inhaerens, sed probari debet.

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario, et casuali.

Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. *h. t.* in Decreto *Can.* 11. *et seqq.* 15. *q.* 1. *et* 23. *qu.* 5. *et* 32. *q.* 2. *et Can.* 23. *et seqq. de Poenitent. d.* 1. in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *et sess.* 24. *c.* 6. *de refor.* in Institut. §. 5. *de publ. jud.* in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 8. in Codice *lib.* 9. *tit.* 16.

1. *Nota* 1. Homicidium definiri, quod sit violenta exanimatio hominis dolo malo ab homine facta. *Dicitur* 1. *dolo malo*, quia ad homicidium, ut est delictum, semper requiritur malitiosa voluntas; alioquin homicidium ab ignorante factum non est crimen homicidii, sed simplex ablatio vitae; licet et hoc consueverit dici homicidium. *Dicitur* 2. *ab homine:* nam si homo occidatur a bruto, non est homicidium, sed pauperies *tit. Inst. et ff. si quadrupex paup. fec.* et multo minus homicidium est, si homo occidatur, v. g. a fulmine, a tegula casu ex tecto cadente etc. Sub genere homicidii continentur variae illius species, seu modi, ut parricidium, expositio infantum, duella, torneamenta, sagittarum projectio etc. item assassinium, latrocinium, veneni propinatio, abortus.

Digitized by Google

2. *Nota* 2. Homicidium ex praesenti Rubrica dividi in *voluntarium*, *et casuale*. *Voluntarium* est, quod fit cum intentione occidendi, vel *directe*, *et in se*, ut si gladio Bertam ferias animo occidendi illam; vel *indirecte* et *in causa*, ut si Bertam praegnantem graviter percutias, et inde sequatur mors foetus animati. *Casuale*, seu *involuntarium* est, quod fit sine ulla intentione directe, vel indirecte occidendi, ut si projecta in lusu pila aliquem fortuito occidas. 2. *Voluntarium* homicidium subdividitur in *justum*, quod fit auctoritate publica ad vindictam sceleris, vel auctoritate privata ad necessariam sui defensionem: et *injustum*, quod fit dolose contra prohibitionem legis. *Casuale* subdividitur in *mere casuale*, quod fit absque ulla culpa occidentis: et *culposum*, quod fit ex culpa saltem juridica, quatenus circa aliquid non est debita diligentia adhibita. Legistae, et alii communiter mediate dividunt homicidium in *necessarium*, quod fit ob necessariam sui tutelam: *dolosum*, quod fit cum prava voluntate occidendi: *culposum*, quod fit ex aliqua culpa ob non adhibitam cautelam, attamen sine animo occidendi; et *casuale*, quod sit ex casu omnino fortuito. 3. Homicidium quoad modum vel est *simplex*, quod fit sine praevia deliberatione; ut si ex subita ira alterum in rixa occidas: vel est *praemeditatum*, seu *deliberatum*, quod fit ex intervallo, seu cum praevia intentione occidendi: et quidem si nullam specialem qualitatem habet, vocatur *simplex praemeditatum:* si vero qualitatem adjectam habet, vocatur *qualificatum:* uti est homicidium ex insidiis proditorium sub specie amicitiae, veneficium, assassinium.

3. *Nota* 3. Homicidio affinem esse mutilationem, seu amputationem alicujus membri proprie talis, quod peculiarem functionem a ceteris distinctam in corpore humano habet; uti est oculus, auris, manus, pes, lingua, maxilla, mamilla foeminae etc. An digitus, cartilago auriculae, vel nasi sit membrum proprie dictum, an vero tantum pars membri? dubium est inter DD. ob quod petendam esse dispensationem ad cautelam in irregularitate respondit Sac. Congr. 1687. *die* 13. *Julii*.

§. I.

De homicidio voluntario, doloso, et necessario.

4. Q. I. *An homicidium ex genere suo sit illicitum?* R. Affirmative: nam omni jure prohibetur: *naturali*, quia natura dictat homini non esse eripiendum maximum vitae bonum: *divino* per praeceptum *non occides: humano*, ut patet ex legibus omnium nationum. Est autem homicidium crimen atrox, horribile, ac detestabile, quod Deus in primo homicida Caino severe punivit, et in aliis, ut passim Scriptura testatur. Porro licet homicidium sit ab intrinseco, malum, tamen materia illius non est ita mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari possit, sicut materia mendacii, haeresis etc. sed materia illius subduci potest a praecepto

naturali, tunc scil. dum Deus expresse, vel generaliter ex certis causis dat jus, et potestatem in vitam hominis: quo casu, cum occisio fiat jure, nullum est peccatum hominem occidere, ut docet S. D. 2. 2. *q.* 64. *a.* 2. et communis opinio populorum contra haeresim waldensium negantium homicidium esse posse licitum. Unde potissimus labor est Doctoribus inquirendi in causas, ex quibus homicidium possit esse licitum.

5. Q. II. *An, et ex quibus causis potestas publica occidere possit hominem?* R. 1. In republ. datur potestas ex justa causa occidendi hominem: ita com. ex *jure naturali*; dictante resecanda esse membra noxia, ne totum corpus inficiatur; *Divino, Exod.* 22. *v.* 18. *maleficos non patieris vivere, et Rom.* 13. *v.* 4. ubi Apostolus de Magistratu dicit; *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit: humano*, ut patet ex integris ordinationibus criminalibus, ergo. Nec obstant textus sac. Scripturae, quibus soli Deo attribuitur dominium vitae, et necis; nam intelliguntur de occisione injusta, et sine causa sufficienti; occisio autem quae fit auctoritate publica, et cum justa causa, censetur fieri auctoritate Dei.

6. R. 2. Gravia delicta reipubl. noxia, sunt justa causa occidendi malefactores auctoritate publica; ita com. ex juribus mox allegatis; nam privatum bonum vitae postponendum est publico bono reipubl. cui aliter melius provideri non potest, nisi ut malefactores puniantur amissione vitae.

7. R. 3. Bellum justum, sive defensivum, sive offensivum, est causa sufficiens, cur milites exponantur periculo mortis, et hostes, injuste nocentes, occiduntur: ita com. praxis in sac. Litteris fundata: nam omnia jura permittunt vim vi repellere, et injustos aggressores, ac perturbatores reipubl. supprimere. At innocentes in bello non sunt occidendi, ut infantes, pueri, foeminae, peregrini, clerici, religiosi, rustici, nisi et isti militarent, vel per accidens, et indirecte occiderentur. Hoste devicto, et armis positis, per se, et regulariter nullus est occidendus, nisi aliquis ex hostibus atrox crimen morte dignum commisisset; vel aliter pax, et securitas reipubl. obtineri non posset, Reiff. et alii.

8. R. 4. Respublica non potest per se occidere innocentem, v. g. ex causa liberandae patriae, quia tyrannus certum exitium ei minatur, nisi innocens occidatur: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. conformiter *Exod. c.* 23. *insontem, et justum non occides.* Ratio est, quia respubl. in tantum habet jus occidendi civem, in quantum iste per se, et ratione sui nocivus est bono communi; sed innocens non est ita nocivus: nam vita justorum est conservativa, et promotiva boni communis, ut ait S. D. *l. cit.* nocumentum vero patriae imminens totum oritur ex malitia tyranni, ergo. *Dices:* Josue *c.* 6. interfecit filios Israel omnes infantes, et lactentes, qui utique erant innocentes, et Samaritae occiderunt 70. filios Achab timore belli, quod eis Jehu minabatur, 4. *Reg.* 10. R. Occisiones

istae factae sunt auctoritate Dei, qui est dominus vitae, et necis: nam Josue id fuit imperatum: Samaritis vero Jehu revelavit voluntatem Dei volentis deleri omnem progeniem Achabi 2. *Paralipom.* 22.

9. R. 5. Respublica in casu superiori probabilius non potest innocentem extradere tyranno poscenti illum ad certam mortem: ita Joan. a S. Thom. Sot. Arrag. Salmant. quibus subscribit Marianus Herman, olim in Archiep. Prag. Coll. SS. Th. et SS. Cann. Prof. nunc Abbas Sionaeus dignissimus, contra Less. Bannez, Lug. Dian. Wigers etc. *Prob.* 1: Respublica non potest occidere innocentem pro liberatione patriae, ut ante dictum; sed, extradendo illum tyranno ad certam mortem, moraliter occidit illum, sicut privatus illum tradens, cum directe, et per se cooperetur peccato tyranni occidentis, ergo. 2. Ideo maxime respubl. posset innocentem tradere tyranno, quia civis jure naturali et ex justitia legali tenetur ad conservationem patriae, ut omnino in dato casu teneatur se offerre tyranno, et si recuset, tanquam jam nocens, et contumax cogi possit, et morte puniri a republica; sed causa ista non est vera: nam licet bona civis substent dominio alto reipublicae, ut illo etiam invito, aufferri possint pro salute patriae, attamen vita civis non substat dominio alto principis, seu reipubl. alias pro conservatione patriae ipsa respubl. posset vitam tollere civi innocenti, quod omnino falsum est, ergo. Instantiam habes in obviis exemplis: sic enim pro conservatione patriae non licet tyranno tradere foeminam ad ea abutendum, sacros libros, vel sacramenta ad eorum profanationem, Crucem, vel Imaginem B. V. ad illam inhonorandam, sacerdotem ad sacrificandum more gentili etc. ergo etiam nec licet innocentem tradere ad occidendum. Ex his solutum manet principale argumentum contrariae sententiae, quod civis obligetur, et a republ. cogi possit ad se praesentandum tyranno, quia Adversarii needum obligationem istam, et potestatem sufficienter probaverunt. Paritates hic afferri solitae nihil evincunt, quia in his non relucet directa cooperatio ad necem tyranni, v. g. quod respubl. milites exponere possit cum periculo vitae, talem civem non tolerare, sed expellere, et ipse civis se offerre tyranno etc. *Dices:* Judex Ecclesiasticus tradendo reum curiae secularí, non cooperatur condemnationi ejus ad mortem, modo praemittat protestationem solitam; ergo neque respubl. cooperatur peccato tyranni; quia non tradit innocentem hac intentione, quia illum tyrannus petit, sed intentione longe alia, scilicet conservandae patriae. R. Dist. ant. non cooperatur re ipsa, neg. ant. non cooperatur fictione juris, conc. ant. Cooperatio ista est licita, et si praemittatur protestatio solita, fictione juris non censetur adesse cooperatio ad effectum irregularitatis, cum haec impediri possit per positionem ejus, quod de jure requiritur.

10. R. 6. Respubl. potest cuilibet de populo dare potestatem occidendi bannitum in locis, ubi bannus promulgatus est; dummodo sequentia concur-

rant: ut crimen sit certum, grave, et adhuc pendens in exitium reipublicae, et ordinario modo puniri non possit: nam tali casu adest crimen dignum morte, et potestas occidendi: malum vero privatum, quod oritur ex malitia banniti, si is in statu peccati mortalis occidatur, per accidens se habet, et postponi debet bono communi reipublicae. Quia vero requisita ista raro concurrunt, ideo rarissime licita erit occisio banniti per privatum facta; quia decreta Reipubl. v. g. ad occidendos cingaros, fures, et hujusmodi, plerumque sunt comminatoria, nisi aliud ex subjecta materia colligatur.

11. R. 7. Respublica non potest dare potestatem patri, vel marito, ut filiam, vel uxorem in adulterio deprehensam licite occidat cum adultero: ita com. *ex Canon.* 6. *inter haec* 33. *q.* 2. ubi prior *Can.* 5. vel corrigitur, vel potius explicatur contra mundanas leges. Ratio est 1. quia talis occisio non est necessaria ad bonum Reipublicae; siquidem adulteri capi, accusari, et per sententiam condemnari possunt. 2. Nec est conformis aequitati; quia iniquum est aliquem inauditum, et incondemnatum occidi a privato, maxime cum *non sit singulis concedendum, qaod per magistratum publice potest expediri l.* 136. *ff. de R. J.* 3. Occisio ista maxime adversa est saluti aeternae, quia adulteri sine poenitentia, et sacramentis morerentur. Denique hoc modo daretur occasio plura homicidia perpetrandi ex sola suspicione adulterii. His non obstat, *l.* 20. *et* 24. *ff. ad L. Jul. de adult.* nam leges istae, si positive approbant talem occisionem, iniquae sunt, et sublatae per jus Can. si vero sunt permissivae, seu dissimulativae poenarum, quod pater, vel maritus non puniatur poena L. Corneliae de Sicariis, forsan permissio ista cohonestari potest ex causa extirpandorum adulteriorum, et justi doloris, quem sentit pater, vel maritus adulteros deprehendendo; sicut ob easdem causas excusatur ab excommunicatione Canonis clericum in adulterio cum filia, vel uxore deprehensum percutiendo *c.* 3. *de sent. excom.*

12. Q. III. *An, et ex quibus causis possit aliquis occidere se ipsum?* R. 1. Regulariter loquendo, nemini licet occidere se ipsum: ita comm. ex praecepto: *non occides.* Ratio est, quia occisio sui adversatur *naturali inclinationi;* qua quaelibet res appetit sui conservationem; *charitati*, qua quilibet debet se ipsum diligere: *justitiae*, quia homo quoad vitam, et membra est sub dominio divino, et cons. occidendo se. laedit jus Dei, qui est dominus vitae, et necis juxta illud *Deut.* 32. *ego occidam, et ego vivere faciam:* et quatenus homo est pars communitatis, occidendo se, facit injuriam communitati; ergo. Excipe, nisi Deus jubeat occisionem sui ipsius, sicut aliquae Sanctae mulieres ex impulsu Spir. Sancti propter fidem, et castitatem se ipsas occiderunt, ut Pelagia, Sophronia, Apollonia, et forte etiam Razias 2. *Machab.* 14. *v.* 37. *et seqq.* licet S. D. 2. 2. *q.* 64. *n.* 5. *ad* 5. dicat, istam non fuisse veram fortitudinem. Interim hoc naturale praeceptum se ipsum non occidendi, in

circumstantiis gravissimis ignorari potest etiam a prudentibus, sicut Saul petiit se occidi ab Amalecita, Lucretia ob stuprum a Tarquini filio sibi illatum mortem sibi conscivit, et multi belli duces, ne victori subesse cogerentur, se ipsos interfecerunt amore patriae, quin manifesti condemnentur peccati.

13. R. 2. Non licet ponere actionem certo sui ipsius interemptivam, licet actio ista sit hosti nociva: nam hoc esset directe occidere se ipsum: siquidem causa actionis, qua quis certo interimitur, est etiam per se, et directe causa sui interitus. *Excipe*, nisi actio ista eligatur per modum medii ultimi desperati ad evadendam certam mortem aliunde inferendam; quia tunc per actionem istam intenditur, et quaeritur generalis spes cum divina ope evadendi certam mortem. Unde 1. non licet navim succendere, ne ista ad hostes perveniat, si ex incendio isto immineat tibi certa mors, nisi certo occidendus sis ab hoste, et per hoc incendium speres mortem effugere. Oppositum docent Salmant, *tr.* 13. *p.* 2. §. 3. *ar.* 4. *n.* 36. 2. Non licet ex alta turri se praecipitare, trahendo, seu praecipitando secum hostem, licet exinde occisio hostis, et certa victoria, vel magnum reipubl. bonum sequeretur; quia et hoc esset directe occidere se ipsum. 3. E contra si ab incendio certo consumendus sis, licite pro ultimo medio evadendi mortem eligis praecipitationem ex alta turri; quia tunc non intendis occidere te ipsum, sed praecise committis te periculo mortis ad certam mortem evadendam: sic de aliis casibus similibus discurrendum. *Dices*: Samson concussis columnis, ut occideret Philistaeos, seipsum eadem ruina domus interfecit *Judic.* 16. *v.* 30. et Eleazarus attentavit occidere elephantem, a quo certa mors ei imminebat. 1. *Machab.* 6. *v.* 43. R. Samsonis factum a S. Aug. reduci ad instinctum S. Spiritus, qui latenter hoc jusserat, S. D. 2. 2. *q.* 64. *ar.* 5. *ad* 4. Eleazar non praevidit certam mortem, sed magnum periculum, cui ad liberandum, populum se exponere licet.

14. R. 3. Exponere se periculo mortis ob gravem causam est omnino licitum: maxime si conjunctum sit virtutis exercitium, sive positive aliquid agendo, sive negative aliquid omittendo, ex quo indirecte mors sequitur: nam tali casu non occidit quis se ipsum, sed mortem patitur. Unde licite miles pugnat, et in sua statione permanet, parochus sacramenta pestiferis ministrat, civis pro salute patriae se ad necem offert, christianus pro palma martyrii non se defendit, naufragans alteri naufraganti, praesertim duci, vel parenti, aut amico tabulam cedit etc. Vide cit. Salm. Less. et alios. An condemnatus ad nihil comedendum, vel ad venenum sumendum, licite possit se conformare sententiae judicis, dubitant DD. ad utrumque S. D. respondet negative 2. 2. *q.* 69. *ar.* 4. *ad* 2. quia contra naturam est, ut quis sententiam mortis in se exequatur, cum condemnati sit pati, non vero mortem sibi inferre.

15. Q. IV. ***An, et ex quibus causis liceat privato suum proximum oc-***

cidere? R. 1. Regulariter nemo privatus licite occidere potest suum proximum etiam delinquentem: nam punitio cum sit tantum publicae potestatis, hinc potestas occidendi proprium servum, vel filium, tanquam barbara, et juri naturali contraria, olim a dominis, et patribusfam, usurpata, merit osublata est §. 2. *In. de his, qui sui, et tit. C. de emendat. propinq. et tit. de emendat. servor.*

16. R. 2. Injustum aggressorem vitae licet occidere, servato moderamine inculpatae tutelae, S. D. 2. 2. *qu.* 64. *ar.* 7. nam defensio vitao cuilibet a natura est permissa *l.* 3. *ff. de J. et J.* ibi: *quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimatur;* sed occisio injusti aggressoris est species defensionis recto ordini charitatis conformata: cum charitas dictet suam potius, quam alienam vitam servari; si utraque servari non possit, ergo: unde talis occisor nulli poenae substat *l.* 2. *et seqq. C. ad L. Corn. de Sicar. Clem. un. h. t.* Porro quia occisio hominis est de genere prohibitorum, in foro externo praesumitur male facta, donec probetur qualitas necessariae defensionis, et moderamen inculpatae tutelae, scil. quod occisus fuerit injustus aggressor, quod defensio fuerit proportionata offensioni, et in continenti facta, ita ut invasus leviori modo se defendere non potuerit.

17. R. 3. In gratiam proximi innocentis licet ex communi sententia iniquum ejus aggressorem occidere, praesertim si justitia, aut pietas talem defensionem exigat; ut patris, principis, dummodo servetur moderamen inculpatae tutelae, *Can.* 5. *et seqq.* 23. *q.* 3. ubi *Can.* 7. dicitur: *qui non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit,* ubi etiam affertur exemplum de Moyse occidente Ægyptium propter defensionem Hebraei. Ratio est, quia recta charitas dictat, ut proximum innocentem liberemus ab injusto aggressore, sicut nosmetipsos.

18. R. 4. Licita est occisio furis, si is agressor sit non tantum bonorum, sed et vitae, cum moderamine semper inculpatae tutelae: nam tali casu est defensio mixta pro conservanda vita, et bonis; ergo est licita. Porro si fur nocturnus est, et absque periculo capi, aut expelli nequit, licet eum occidere, quia noctu non facile discernitur, an quis veniat ad furandum, an ad occidendum? At furem diurnum non licet occidere, nisi is telo, seu armis se defendat, atque ita fiat aggressor vitae, *c.* 3. *h. t. l.* 9. *ff. ad L. Cornel. de Sicar. l.* 4. *ff. ad L. Aquil.* conformiter *Exod. c.* 22. *versic.* 2. *et* 3. ubi sermo est de fure nocturno, et diurno.

19. R. 5. Si fur rem parvi momenti auferat, non licet eum occidere pro defensione talis rei: nam res parvi momenti indigna est, ut propter illam vita homini tollatur: unde Inn. XI. merito damnavit hanc propositiol. *n.* 31. *Regulariter occidere possum furem propter conservationem unius aurei.* Ex qua propositione sequitur materiam, quae sufficit ad peccatum mortale furti, non sufficere ad lici-

tam occisionem furis, sed requiri multo majorem. Quia vero dicitur *regulariter*, colligunt DD. aliquando etiam minorem quantitatem sufficere ad occisionem furis, ut si res ista est necessaria ad sustentationem vitae, sicut instrumentum artifici, et alia similis haberi non potest: vel si cripiens rem parvam, arma expediat ad illam extorquendam, quia tunc simul est aggressor vitae.

20. R. 6. Si res magni momenti auferantur, et aliter via juris non sint recuperabiles, pro illis conservandis sentiunt licere furem occidere, v. g. explodendo sclopum contra illum fugientem: ita Caj Laym. Sylv. et alii multi contra Gloss. et Fagn. *c.* 2. *h. t.* Probant autem ex *c.* 2. *h. t.* quo reprobatur occisio furis, *ubi comprehendi poterat absque occisione;* ergo si fur res magni momenti auferens, comprehendi non potest, licite occiditur pro recuperandis rebus istis, etsi fur clericus esset. Id ipsum aperte supponitur, *c.* 6. *de sentent. excom. in* 6. et in jure civ. traditur *l.* 9. *ff. ad L. Corn. de Sicar. l.* 3. *§.* 9. *ff. de vi armat. l.* 1. *C. unde vi. Const. crim. Car. V. art.* 150. *Ratio est*, quia bona fortunae sunt necessaria adminicula vitae, tanquam alter hominis sanguis; ergo sicut ipsam vitam, ita quoque bona fortunae magni momenti licet defendere occisive, si via juris, et judicii recuperari non possunt; alioquin si recuperari possunt, occisio furis, utpote non necessaria esset illicita. Hoc tamen procederet de bonis actu possessis, non vero de bonis in spe, ut patet ex propos. 32. ab Inn. XI. damnata: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam, ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus. Dices:* 1. Inter bona fortunae, et vitam proximi nulla est aequalitas. 2. Charitas dictat, ut salutem, et vitam proximi rebus nostris praeferamus. 3. Jura defensionem occisivam permittunt tantum in casu mixto, dum vita, et bona fortunae defendenda sunt *c.* 2. *h. t.* ibi: *te, tuaque liberando, c.* 10. *et* 18. *eod. Clem. un. h. t. Can.* 5. *et* 6. *d.* 50. *Exod.* 22. *v.* 2. *et* 3. et ideo permittitur occidi fur nocturnus, et non diurnus, ut dictum, *n.* 18. R. *Ad* 1. Distinguunt ant. aequalitas ad commutandum concedunt ant. ad defendendum, si utrumque servari nequeat, negant ant. secus *arg.* nimis probaret, quod neque judex furem occidere possit. *Ad* 2. Respondent, quod eadem charitas dictat, ut prius nos, et nostra defendamus, deinde succurramus proximo in morali necessitate constituto. In hoc autem casu fur sibi imputet, quod ex malitia sua se commiserit periculo vitae, et aeternae damnationis. *Ad* 3. Negant ant. in *cit. c.* 2. sensus est disjunctivus ex *l. saepe ff. de V. S.* vel ibi concurrit defensio mixta: *c.* 10. et 18. non fuit servatum moderamen inculpatae tutelae, ut legenti patet: *Clem. cit.* asserendo casum vitae, non excludit casum nostrum. Sic etiam *Can.* 38. *d.* 50. occidens Saracenos ob defensionem libertatis, pronunciatur immunis ab irregularitate. Quod dicitur de

Digitized by Google

fure nocturno, et diurno, fundatur in communi praesumptione facti: alioquin inspecta veritate, fur nocturnus occidi nequit, si aliter comprehendi possit; et diurnus occidi potest, si aliter res magni momenti per illum sublatae recuperari nequeant.

21. R. 7. Injustum aggressorem pudicitiae, si foemina aliter repellere non potest, neque fugere, licite occidit: nam virginitas est magnum bonum foeminae, quod semel amissum, non redit, ergo licet illud defendere occisive.

Haec quidem est multorum opinio, sed habet suos contrarios.

22. R. 8 Injustum aggressorem famae, vel honoris non licet occidere, sive sit aggressor verbalis, v. g. minando, aut effutiendo calumnias, sive realis, v. g. viro honorato infligens alapam: ita hodie certa sententia, et oppositam damnavit Inn. XI. *n.* 17. et 18. Ratio est, quia occisio ista non est medium necessarium ad defensionem famae, cum dentur alia juris remedia; ut actio injuriarum, ad palinodiam, retorsio verbalis; neque est medium utile; siquidem occisio ista calumniam impactam non tollit, sed auget: ob futuram vero calumniam, quae multis modis impediri potest, nullo modo licet occidere, cum ex sola suspicione, et opinione probabili, praesertim circa futurum eventum, neque judex condemnare possit, ergo.

23. *Sed dices*, quid agendum, si realis aggressor honoris fuste, baculo, vel alio modo proximum suum vult inhonorare? R. Si persona invadenda sine dedecore fugere potest, tenetur fugere, neque expectare poterit, et se occisive defendere: uti plebeii, clerici, religiosi, et foeminae, quibus fuga non est indecora, nisi timeant in fuga periculum vitae, quatenus aggressor eos insequens, necem, aut mutilationem illis inferre posset. At si persona sine dedecore fugere non potest, uti milites, et viri nobiles laici, non tenetur fugere, sed arma armis, et instrumenta instrumentis opponere potest, non tamen occidere ob solum honorem. Si vero aggressor persistat, et periculum vitae ab eo immineat, licet vim vi repellere in continenti; et si alius modus levior non suppetat, etiam occisive se defendere; nam in hoc casu defensio occisiva non est praecise propter honorem, sed propter vim in vitam, et membra. *Dices:* 1. Vitam, et bona licet occisive defendere; ergo et solam famam, quae pari passu ambulat cum vita, *l.* 8. §. 2. *ff. quod met. caus. l.* 9. *ff. de manum. vind. Can.* 58. *d.* 50. et contra naturam est famam suam negligere *Can.* 10. *nolo.* 12. *q.* 1. *Can.* 56. *non sunt.* 11. *q.* 3. 2. Distinctio illa fugiendi cum, vel sine ignominia, est ignota juri: nam qui aggressorem sine periculo declinare potest, fuga est illi honoratior, quam occisio: unde ab irregularitate non excusatur, nisi occidens aggressorem, quem aliter declinare non potuit, *Clem. un. h. t.* ergo. R. *Ad* 1. neg. cons. nam licet fama, sicut vita custodienda sit, et non malis moribus maculanda, non tamen eodem modo defendenda; siquidem multa dantur juris remedia

Digitized by Google

famae recuperandae, non vero vitae ablatae. *Ad* 2. neg. ant. nam personae valde honoratae, et generosae nullo jure obligantur ad fugam; ergo persistendo, jure suo utuntur, (*quamvis in praxi id sit valde periculosum*) neque per hoc occidere intendunt, nisi aggressor vitam, et membra eripere tentet. Qui modus, cum sit licitus, nullam irregularitatem inducit, neque censetur exclusus, sed potius comprehensus in *cit. Clem.*

24. R. 9. Non licet occidere falsum accusatorem, falsos testes, et iniquos judices, a quibus certo imminet iniqua sententia, licet damnum alia via non possit evitari. Oppositam propos. *n.* 18. damnavit Alex. VII. nam si sententia primo ferenda est, mere oritur suspicio de ejus iniquitate; quae suspicio utique non sufficit ad homicidium: si vero jam lata est, adsunt ordinaria juris remedia ad illam corrigendam, ita ut occisio nullo modo sit necessaria. Praeterea damnatio oppositae sententiae fundatur universali periculo damnorum, injuriarum, et perturbationum reipublicae: nam homines proprio amore, et nativis passionibus excaecati, facile conciperent suam innocentiam, et aliorum contra se iniquitatem, lites homicidiis dirimerent, et neglecto judiciorum cursu, plurimas caedes perpetrarent cum ingenti Reipubl. detrimento. *Dices* licet occisive defendere bona fortunae, in sensu citt. DD. ergo a pari. R. Neg. cons. nam dum bona defenduntur, damnum est actu certum, et alius modus non superest bona recuperandi, quorum neutrum adest in nostro casu.

25. Q. V. *An liceat procurare abortum?* R. 1. Negative, sive sit foetus animatus, sive inanimatus; etsi puella deprehensa gravida deberet infamari, vel occidi, etsi toti communitati damnum aliqoud exinde immineret: ita com. et oppositam propos. *n.* 34. damnavit Innoc. XI. nam procuratio abortus est intrinsece mala, et contra finem generationis, et bonum speciei humanae; ergo non est licita ob quamcumque causam extrinsecam sicut nec pollutio. Si foetus est inanimatus, non est proprie homicidium, sed crimen homicidio affine: si vero est animatus, est proprie homicidium, cum per abortum homo exanimetur. Ex com. sententia masculus animatur die 40. et foemella die 80. quia natura prius generat id, quod est perfectius.

26. R. 2. Non licet matri ad salvandam vitam suam directe procurare abortum foetus inanimati, seu sumero pharmacum directe, et per se expulsivum. foetus; ita Salmant. cum citt. contra Sanch. etc. nam directe expellere faetum est intrinsece malum, et peccatum mortale homicidio comparandum *c.* 5. *h. t.* sed cohonestari non potest propter salvandam vitam matris; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ergo 2. Ideo maxime liceret ista exspulsio foetus, quia in hoc casu foetus est iniquus aggressor vitae matris, qualiter ob mala extrinseca, ut infamiam, vel mortem, foetus non aggreditur matrem; sed in hoc casu foetus non est iniquus aggressor matris: tum quia per se non petit mortem matris, sed solum petit con-

servari, et nasci, ad quod jus a natura habet; neque per se dat causam occisivam matris, sed mors ejus per accidens sequitur ex indispositione proprii corporis; tum quia copia seminis humani non est iniquus aggressor hominis: et ideo non licet procurare mollitiem, etsi ex abundantia seminis mors timeatur, ergo. 3. Foetum animatum non licet directe expellere ob vitam matris, ut adversarii fatentur, ergo neque inanimatum: siquidem animatus aeque, imo magis aggredi censetur matrem, quam inanimatus. Hic tamen excipi videtur casus, quo foetus est corruptus; quia non retinet naturam foetus, sed transit in materiam putridam. *Dices:* Licet resecare partem propter conservationem totius: sed foetus est pars ventris *l.* 1. §. 1. *ff. de inspic. ventr.* ergo. R. *Arg.* nimis probare etiam de foetu animato. Foetus dicitur portio matris, quod juxta SCta ante nativitatem peti non possit a patre: re ipsa vero est homo vialis distinctus a matre, et serviens bono speciei humanae, non autem bono individui materni, sicut aliae partes proprie tales. Reliquae paritates, quae hic obiici solent, solvuntur ex eo, quia ex eis plus non sequitur, nisi indirecta occisio, aut expulsio.

27. R. 3. Mater periculoso morbo laborans, potest licite sumere pharmacum directe, et per se sui sanativum; licet per accidens timeatur secuturus abortus foetus, sive inanimati, sive animati, Sanch. Salm. cum citt. nam mulier ante conceptionem habet jus sumendi pharmaca sanitati suae conducentia, quod jus non amittit concepto foetu, etsi per accidens timeatur abortus. Unde, sicut antea, uti potest balneo, incisione venae, ventris purgatione etc. Resolutionem istam limitant aliquii DD. in casu, quo foetus animatus, matre mortua, speratur in lucem proditurus ad baptismum recipiendum: quia tunc vita corporalis videtur postponenda saluti spirituali prolis. Sed quia casus iste valde incertus, et quasi miraculosus est, vix unquam obligabitur mater a medicamentis sanitati suae necessariis abstinere, ea de causa, ut foetus animatus, matre mortua, ad baptismum perveniat.

§. II.

De Homicidio casuali, et mutilatione.

28. Q. I. *An homicidium casuale sit peccatum, et poenis dignum?* R. 1. Homicidium mere casuale, seu fortuitum, non est peccatum, nec ulli substat poenae; nam ullo modo est volitum, nec in se, nec in sua causa. E contra homicidium casuale culposum, quod quidem fit praeter intentionem occidendi, non vero sine culpa occidentis, reputatur peccaminosum, vel theologice, si culpa fuit theologica, vel juridice, si culpa fuit mere juridica; nam tale homicidium, licet directe non sit volitum, est tamen volitum indirecte, seu in causa, in qua diligentia non fuit adhibita, ne homicidium sequeretur; ergo. Haec doctrina generalis particulariter explananda est.

29. R. 2. Qui dat operam rei lici-

tae, ex qua non praevidetur homicidium, vel si praevidetur, omnis diligentia necessaria adhibetur ad illud praecavendum, nullo modo est reus homicidii, et poenarum, si per accidens homicidium sequatur: ita com. *ex c. 9. et 13. h. t. et l. 31. ff. ad L. Aquil.* nam tali casu abest omnis dolus, et culpa; ergo neque committitur homicidium formale poenis dignum. Unde reatu homicidii, et irregularitatis poena non tenetur: 1 Medicus peritus, qui cum diligentia medicinam praescribit, et minister, qui eam praebet aegroto. 2. Pater, vel magister moderate verberans filium, aut discipulum. 3. Qui circumspecte levat, vel invertit infirmum. 4. Qui in loco privato alit canem ferocem bene alligatum, et is vincula disrumpit. 5. Qui ex arbore ramos, vel ex tecto tegulas, facta proclamatione, dejicit etc. etsi per accidens ex actionibus istis mors consequatur: sic explicatur *cap. 9. 13. 14. 15. 16. 21. 22. 23. et fin. h. tit.*

30. R. 3. Qui dat operam rei licitae, et sufficientem diligentiam non adhibet, ad praecavendum homicidium, hoc ei imputatur: et quidem in foro interno ob culpam theologicam; in foro autem externo ob culpam juridicam: hoc sensu explicatur *c. 7. 8. 10. 11. 12. h. t.* Ratio est, quia omittens diligentiam debitam, indirecte, et in causa concurrit ad consecutum homicidium; ergo. Huc adduci possunt exempla priora, et his similia, si in eis debita diligentia, et cautela sit omissa. De jure civili homicidium culposum non punitur poena ordinaria legis Corneliae de Sicariis, quia in delictis culpa etiam lata non aequiparatur dolo *l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar.* De jure Can. ex homicidio culposo oritur irregularitas, saltem si fuit culpa mortalis theologica *c. 78. h. t. et c. fin. eod. in* 6.

31. R. 4. Dans operam rei illicitae, si ista est per se periculosa, et inductiva homicidii, aut mutilationis, secuto effectu mortis, aut mutilationis, fit reus homicidii, et poenarum ei annexarum, *c. 10. 19. 20. 24. h. t. et c. fin. eod. in* 6. nam tale homicidium est operanti voluntarium, saltem in causa, cum causa ista sit per se inductiva mortis: unde irregulares sunt: 1. Clericus in bello dimicans, si quem occidat, vel si exerceat artem chirurgiae, aut medicinae cum incisione, vel adustione; quia actiones istae sunt clericis prohibitae. *Excipe*, nisi mors aliunde sequeretur ex vi morbi, non vero ex tali incisione, vel adustione; vel si clericus peritus in casu necessitatis, quo laicus peritus haberi nequit, omni diligentia adhibita, talem incisionem, vel adustionem exerceret: nam Ecclesia non censetur prohibere hoc opus charitatis, et infirmum privare tali auxilio: et aliunde necessitas facit licitum, quod in lege est illicitum per *reg. 4. in antiq.* 2. Qui infirmo contra praescriptum medici dat medicinam, potionem, aut quid simile, ex quo mors acceleratur, vel si imperitus exerceat chirurgicam, medicam, balistariam, digladiatoriam, aut aliam artem periculosam, secuta morte, fit irregularis; quia dedit operam rei illicitae per se inductivae mortis.

32. R. 5. Dans operam rei illicitae, quae per se non est periculosa, nec mortis inductiva, non fit reus homicidii, si hoc per accidens sequatur: ita com. in re: nam sic operando, nec directe, seu in se, nec indirecte, seu in causa, influit in homicidium; dummodo ex defectu diligentiae nulla subsit culpa. Unde non fit irregularis adulter, si ratione illius occidatur adultera.

Ita etiam ex Decreto Cong. Concil. 22. *April.* 1679. *relatum in Thesaur. Resol. ejusd. Cong. in fol.* 2. *Octobr.* 1723. In nullius provinciae Compostellanae *in causa Clerici Palentini, ob cujus adulterum commercium, uxor occisa fuit a marito.*

Quod hic dictum est de actione, id proportionaliter sentiendum de omissione culpabili ad homicidium concurrente.

33. Q. II. *An, et quando mutilatio membrorum sit licita, vel illicita?* R. 1. Homo membrum sanum non potest sibi licite amputare, vel curare per alium amputari: nam non est dominus, sed custos membrorum suorum. Facta quorumdam Sanctorum reducenda sunt ad instinctum Spiritus Sancti. At contra membrum putridum, et totius corruptivum, licite absecatur propter conservationem totius, cui deservit. Si autem scissio membri fieri deberet cum magnis doloribus, regulariter nemo obligatur, neque ad eam cogi potest a republica, vel praelato; quia ad extraordinaria, et horrenda vitae remedia nemo tenetur, nisi forsan personae vita valde esset necessaria bono communi: quo casu infirmus saltem ex charitate teneretur pati talem scissionem.

34. R. 2. Ex causa vitandi peccati, v. g. incontinentiae, non licet se castrare: nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona: neque hoc remedium necessarium est ad castitatem, cum dentur alia plurima: imo nec est utile; quia ut testantur Patres, castrati ingentibus concupiscentiae stimulis agitantur. Multo minus castratio est licita ad conservandam suavitatem vocis; quia haec nec est tanta, ut ob illam injuria Creatori inferatur; nec per se necessaria ad conservationem totius; ob quam solam causam licere amputari membrum docet S. D. 2. 2. *q.* 65. *ar.* 5.

35. R. 3. In casu, quo aliter vitae totius succurri nequit, probabilius licet amputare membrum sanum, Salm. cum. citt. contra Sot. Bannez. Arragon. etc. nam tali casu eligitur minus malum ad vitandum majus, seu interritum totius: et recta ratio dictat, quod pars deserviens toti, absecari possit, ne totum pereat. Unde alligatus palo, si certo consumendus sit a fera, vel incendio, abscindere potest manum alligatam, ut fugere valeat: et si certa mors intentetur a tyranno, nisi quis sibi manum abscindat, vel linguam amordeat, vel oculum cruat, potest simile membrum truncare, ut totum reliquum corpus conservet. *Nec obstat*; quod civis innocens occidi nequeat ad petitionem tyranni, excidium patriae minanti: nam respubl. non habet dominium, nisi politicum in civem: et cum innocens ei non noceat, non habet potestatem eum occidendi: e contra homo habet jus naturale circa

membra sua, ut de illis disponere possit, prout melius est naturae totius; ergo si necesse sit abscindi membrum sanum, ut servetur totum, abscindi poterit; cum abscissio ista unice ordinetur ad conservationem totius.

§. III.

De Poenis homicidii, et mutilationis.

36. Q. I. *Quae sit poena homicidii?* R. De jure civili 1. Poena homicidii dolosi, seu scienter facti, est ultimum supplicium, quo tenentur non tantum physice, sed et moraliter occidentes, ut mandando, consulendo, falsum testimonium deponendo etc. §. 5. *Inst. de publ. jud. l.* 3. 15. *ff. ad L. Corn. de Sicar. Const. crim. Car. V. art.* 127. conformiter *c.* 9. *Gen. quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Et quidem 1. Si homicidium sit simplex factum in rixa, vel semiebrietate, poena illius est gladius. Clar. 2. Si vero homicidium sit qualificatum, poena illius exasperatur secundum locorum consuetudinem. Sic enim homicidio *praemeditato*, maximè si factum sit *proditorie* sub specie amicitiae, saltem communis, vel ex *insidiis*, decerni solet rota, forcipes candentes, assassinii praevia ustulatio, raptatio ad caudam equi, dissectio corporis èxanimi in frusta. De poena parricidii dixi supra *tit.* 10. 3. Homicidium *culposum* punitur, non poena ordinaria, sed extraordinaria mitiori juxta facti, et personarum qualitatem, cum ad poenam ordinariam praerequiratur in delinquente dolus, cui non aequivalet culpa lata *l.* 7. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* 4. Poena matris procurantis abortum foetus animati est ordinaria parricidii, aut homicidii respectu alterius abortum causantis *l.* 39. *ff. de poenis;* quamvis plerumque mitius puniri soleat mater, quae culpabiliter infantem in utero perimerit, Decianus. Si vero foetus non fuit animatus, de quo certo constet, tunc infligi potest poena arbitraria, ut fustigationis, exilii etc.

Ex Constitut. Sixti V. Effraenatam *a procurante abortum foetus tam animati, quam inanimati, effectu sequuto, incurrebatur ipso facto excommunicatio Papae reservata: sed d. Constit. moderata est, ut infra n.* 46.

37. R. 2. De jure Can. Homicida laicus debet excommunicari *Can.* 20. *itaque* 24. *q.* 3. nisi per poenitentiam satisfaciat. Hodie, cum judex Ecclesiasticus raro procedat contra homicidas, etiam raro est locus huic poenae. Clericus vero homicida punitur inhabilitate ad obtinenda beneficia, depositione ab ordine, et officio per sententiam judicis, detrusione in monasterium, hodio in carcerem, vel damnatione ad triremes: et tandem si sit incorrigibilis, degradatione *c.* 6. §. *fin. h. t. c.* 10. *de jud.* Trid. *S.* 14. *c.* 7. *de refor.* 2. Altera poena, quam jus Can. etiam in foro interno intendit, est poena civilis, seu compensatio omnium damnorum ex homicidio, vulneratione, aut mutilatione consequentium, cum justitia commutativa exigat hanc reparationem damnorum. Et quidem, si in

damnificante fuit culpa theologica, compensatio facienda est ante ullam sententiam judicis: si vero fuit tantum juridica, saltem post sententiam damna compensanda sunt ex L. Aquil. *l.* 7. *ff. ad L. Aquil. c.* 1. *de injur.* licet nobiles, et divites, si malefactor condigne punitus sit, raro petant compensationem pecuniariam. Quid vero, et quantum solvendum sit, dissentiunt DD. nam multi volunt etiam pro vita ablata, membro amputato, dolore causato, solvendum esse per bona inferioris ordinis: sed quia haec non recipiunt aestimationem pecuniariam in libero homine, ideo alii melius dicunt pro his nihil solvendum esse, sed praecise pro medicis, pro damnis temporalibus, quae obveniunt viduae, et liberis occisi, pro lucro cessante, conformiter *Exod. c.* 21. *v.* 19. *l. fin. ff. de his, qui effuder.* non tamen pro funere, nisi quis occisus sit in loco alieno, ubi impensae longe majores faciendae sunt, quam in loco proprio. In praxi suadenda est transactio, seu amicabilis composito, cum difficile sit damnorum quantitatem aestimare. In foro autem interno tantum restitues, quantum, si tu laesus fuisses, sincere velles tibi restitui. De hac materia utiliter consule Salmant. *tr.* 15. *punct.* 6. 7. 8. Laym. etc. 3. Poena tertia est irregularitas, de qua in *seq. quaest.*

38. Q. II. *An, et quando ex homicidio necessario, seu justo incurratur irregularitas?* R. 1. Qui juste alterum occidit, vel in privatam defensionem sui, aut proximi, vel in bello defensivo in publicam defensionem Ecclesiae, aut patriae, nullam contrahit irregularitatem: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 64. *ar.* 7. et deciditur *Clem. un. h. t. c.* 2. *de immun. Eccl.* nam irregularitas contrahitur vel ex *delicto*, vel ex *defectu:* sed dicto modo occidens, non committit *delictum*, cum juste occidat, nec ponit *defectum lenitatis christianae*, quia jure naturali charitatis, aut justitiae inductus fuit ad hanc occisionem, atque ita nihil egit contra lenitatem christianam, ergo. Nec est paritas a judice, et ministris justitiae: nam his voluntarium est homicidium saltem in causa, quatenus officium suum voluntarie susceperunt, et aliunde Ecclesia in actibus capitalibus non agnoscit lenitatem christianam: secus est in nostro casu. Hic excipe casum, quo in occisione excederetur moderamen inculpatae tutelae; vel si clericus, dum laici sufficiunt, pugnaret in bello defensivo, et aliquem occideret: quo sensu explicatur *cap.* 24. *h. t. Can.* 5. *et* 6. *d.* 50. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.*

39. R. 2. Clericus, vel laicus pugnans in bello justo offensivo, etsi in periculo vitae aliquem occidat, contrahit irregularitatem ex defectu christianae lenitatis *Can.* 1. et 4. *d.* 51. nam tale homicidium est voluntarium in causa, in quantum quis voluntarie nomen dedit militiae. At siquis propriis manibus nullum occidit, non fit irregularis c. 24. *h. t.* ubi exprimitur casus interfectionis a presbytero factae: licet ex stylo curiae, et declaratione S. Congr. reputetur irregularis clericus, qui dans nomen militiae, armatus

Digitized by Google

servit in bello, et stipendia accipit, etiam si saeva non exerceat: quo casu etiam beneficio ipso jure privatur, S. Congr. in Firmam. 13. *Jun.* 1618. et indiget dispensatione ab irregularitate. S. Congr. in Iprens. 13. *Jan.* 1705. At in genere exhortantes ad fortiter pugnandum, sive clerici, sive laici, cum ad nullius occisionem per se, et proxime influant, nullam irregularitatem incurrunt. Contra accidit in bello injusto: nam in hoc si vel unicus occidatur, omnes injusti pugnatores, ceu una causa moralis, fiunt irregulares ex delicto, *c.* 6. §. *fin. h. t. Can.* 4. *d.* 51.

40. R. 3. Ex homicidio justo ad sententiam judicis re ipsa consecuto, incurritur irregularitas ex *defectu lenitatis christianae Can.* 1. *d.* 51. *Can.* 29. *et seqq.* 23. *q.* 8. *c.* 3. 9. *ne Clerici c.* 10. *de excessib. Praelat.* etc. nam Ecclesiae videtur inconveniens, ut ad altare Christi, Agni mansuetissimi, et incruenti admittantur ii, qui judicio et ministerio sanguinis occupantur. Sic etiam in veteri testamento Deus noluit sibi aedificari templum a Davide, qui multum sanguinis fudit, sed a Salomone Rege pacifico, 1. *Par.* 22. *v.* 8. Porro hac irregularitate ligantur judex, sententiam proferens, et assessores ejus, accusator, vel denunciator ad vindictam publicam: secus si tantum interesse suum privatum persequeretur; advocatus accusatoris, testes deponentes contra reum, notarius sententiam capitalem scribens, ministri exequentes sententiam, et omnes alii, qui auctoritate publica concurrunt ad prolationem, vel executionem sententiae, ita ut nulla protestatio eos liberet: ita com.

41. II. E contra ab hac irregularitate liberi sunt: *Papa*, qui suis legibus quoad poenas, et inhabilitates non ligatur: *Inquisitores* haereticae pravitatis, eorumque officiales ex privilegio Pauli IV. et Pii V. *Praelatus* jurisdictionem politicam imperii ineri delegans *c. fin. ne Clerci in* 6. vel clericum degradatum tradens curiae seculari cum solita protestatione, et intercessione, ne traditus, morte afficiatur. *Advocatus* rei, et testes pro eo deponentes, actor, sive clericus, sive laicus, qui tantum civiliter ad interesse agit contra malefactorem, *c.* 2. *h. t. in* 6. Denunciator, qui injuriam tertio, vel reipubl. a malefactore inferendam denunciat, cum Sac. canones non velint impedire obligationem naturalem ad malum avertendum. Secus esset, si quis denunciaret injuriam jam factam ex fine publicae vindictae. Multo minus hac irregularitate tenentur, qui valde remote concurrunt ad condemnationem; ut princeps condens jura criminalia, magister, doctor, aut confessarius de illis respondens, vel nolens absolvere judicem, qui ex malitia tenuit condemnare reum etc. Si sententia ex quocumque capite suum non sortiatur effectum, etiam per dispensationem principis, publici ministri justitiae omnes liberi sunt ab hac irregularitate, *c.* 4. *de raptor.* S. Congr. in *S. Severin.* 2. *Jun.* 1705.

42. Q. III. *An, et qui ex homicidio privato injusto fiant irregulares?* R. 1. Irregulares ex delicto homicidii

fiunt omnes, qui occiderunt proximum sive physice, ut percutiendo, venenum dando, vulnus lethale infligendo, sive moraliter concurrendo, ut mandantes consentientes, consulentes, non impedientes, qui saltem ex justitia impedire tenebantur, *c.* 8. *d.* 50. *c. fin. h. t. in* 6. non tamen ratum habentes homicidium suo nomine factum, quia hi proprie non influunt in homicidium: neque tali ratihabitioni aliquo jure annexa est irregularitas: extensio vero a paritate *c.* 23. *de sent. excom. in* 6. non est facienda in his poenalibus. 2. Mandans aliquem injuste verberari, si mandatarius excedens fines mandati, hominem occidat, vel ab ipso occidatur, fit irregularis, *c. fin. h. t. in* 6. quia mandans culpam, et causam occisionis posuit. At si quis juste, v. g. pater, aut magister, curet aliquem verberari, licet mandatarius excedat fines mandati, cessat ista irregularitas; uti etiam in casu, quo mandans revocavit mandatum, ejusque revocationem intimavit mandatario: nam in priori casu cessat culpa; in posteriori vero mandatum revocatum non influit in occisionem, quam mandatarius ex pertinacia sua ponit. *Dices:* Consiliarius, etsi revocet consilium, tamen secuta morte, fit irregularis; ergo a pari. R. Neg. cons. nam recipiens consilium, deinde non agit nomine consulentis, sed nomine suo proprio, neque hoc consilium efficaciter a dante potest revocari, et cons. hoc consilium influit in mortem; e contra mandatarius operatur tantum in virtute mandantis, et cons. si mandatum revocetur, mandatarius nihil habet a mandante, quod influat in homicidium; sed hoc, si sequatur, praecise adscribitur perversae voluntati mandatarii; ergo. Adverto tamen probabile esse consiliarium non fieri irregularem, si omnem possibilem diligentiam adhibuit, ne ex consilio suo jam revocato mors sequeretur: nam consilium non habet se sicut venenum datum; ergo influxus ejus moralis videtur tolli posse per possibilem diligentiam pro impedienda morte adhibitam.

43. R. 2. In rixa, si plures percusserint, et non sciatur, quis occiderit, omnes fiunt irregulares *Can. fin.* 23. *q.* 8. *et c.* 18. *h. t.* quia omnes cooperabantur occisori: in foro autem civili arbitrarie puniuntur. At si, v. g. quatuor sint in domo, et unus, jacto lapide, transeuntem occidat, nullus in particulari censetur deliquisse, nisi de uno certo probetur delictum.

44. R. 3. In dubio facti, an clericus ictum lethalem inflixerit, censendus est irregularis quoad unum effectum non celebrandi divina mysteria: ita casus iste specialis deciditur *c.* 11. 12. 18. *h. t.* dummodo eventus homicidii, seu mortis secutae sit certus. *Ratio* est, quia licet in aliis materiis, stante dubio facti, faveatur libertati contra irregularitatem, *arg. c.* 18. *de sent. excom. in* 6. tamen in materia homicidii pars tutior eligenda est, ne Agnus innocentissimus immoletur ab eo, qui percussit, et forsan homicida fuit. Aliud dic, si vulnus leve fuit, et mors consecuta est ex imperitia chirurgi, vel ex inordinata vita percussi, vel ex alia causa extrinseca.

Digitized by Google

45. Q. IV. *An ex homicidio culposo contrahatur irregularitas?* R. Affirmative: ita *c.* 1. 7. *et c. h. t. c. fin. eod. in* 6. Et quidem in foro externo sufficit culpa juridica non tantum lata, sed etiam levis *c.* 7. 8. 9. *h. t.* in foro autem interno requiritur culpa theologica, mortalis, ob quam secutum est homicidium; quia irregularitas, cum sit poena gravis, requirit delictum grave. Hac distinctione conciliantur varia jura, ut *c.* 7. 8. 9. 13. 14. 18. 22. *h. t. etc.*

46. Q. V. *An ex procurato abortu mas contrahat irregularitatem?* R. Affirmative, si foetus fuit animatus, cum sit verum homicidium. Vide Const. 87. Sixti V. *Ad effraenatam*, ubi statuuntur diversae poenae contra eos, qui directe, vel indirecte per se, vel per alium, opere, vel consilio procurant abortum: 1. Irregularitas, et inhabilitas ad omnia beneficia, tam simplicia, quam curata. 2. Privatio beneficiorum actu habitorum, et omnium privilegiorum. 4. Excommunicatio ipso facto incurrenda. 5. Clericus hujus delicti reus debet deponi, et degradari, sicque degradatus curiae seculari tradi. Ex his poenis irregularitas, excommunicatio, et inhabilitas ad beneficia obtinenda ipso facto ante sententiam; ceterae vero post sententiam judicis saltem criminis declaratoriam incurruntur. Dictam Constit. Sixtinam moderatus est Greg. XIV. Const. 8. incip. *Sedes Apostolica.* 1. Si foetus non est animatus, cessat Const. Sixtina, et ad terminos juris communis reducitur. 2. Si foetus animatus est, Episcopus per se, aut deputatum absolvere potest ab excommunicatione, pro foro interno tantum, non vero dispensare in irregularitate per Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de refor.* ubi casus homicidii, qualis etiam est in abortu foetus animati, specialiter excipitur.

47. Q. VI. *An ex mutilatione membri contrahatur irregularitas?* R. 1. Mutilans membrum, vel ita illud debilitans, ut exarescat, fit irregularis, *Can.* 4. *et fin. d.* 55. *et c. fin. h. t. in* 6. *et c.* 5. *ne Clerici:* secus si membrum tantum debilitavit sine arefactione, vel si membrum antea aridum abscidit: nam membrum debilitatum adhuc manet membrum; aridum vero non est membrum. 2. Vulnerans alterum, et deformans, v. g. in facie, non fit irregularis, quia non mutilat, licet ob injuriam factam puniri possit: at deformatus, si deformitas est notabilis, fit irregularis secundum dicta *tit. de corp. vitiat.* Mutilatus vero per nequitiam alterius, tunc solum efficitur irregularis, quando privatur membro necessario ad exercitium ordinum; ut si manu, vel oculo sinistro mutilaretur, vel si talis mutilatio turpitudinem externam induceret: secus non fit irregularis, ut si violenter castretur etc. 3. Mutilatio, et homicidium quoad irregularitatem aequiparantur in eo solum, quod in jure dispositum de irregularitate mutilationis, si rigorem contineat, procedat etiam de irregularitate homicidii; non quidem propter paritatem rationis, sed propter argumentum a parte ad totum: e contra dispositum de irregularitate homicidii non exten-

Digitized by Google

ditur ad irregularitatem mutilationis: unde licet Episcopus vi. Trid, S. 24. *c.* 6. *de refor.* non possit dispensare in irregularitate occulta homicidii, potest tamen in ea dispensare, si oriatur ex delicto occulto mutilationis, S. Congr.

48. Q. VII. *Quis dispensare possit in irregularitate homicidii, vel mutilationis?* R. 1. Papa, licet ob reverentiam praecepti Apostolici non soleat dispensare in irregularitate homicidii, Ceteri praelati, Papa inferiores non possunt dispensare in hac irregularitate pro foro externo, quando delictum est notorium notorietate facti, vel juris post condemnationem rei. Quodsi delictum patratum sit coram pluribus, qui illud celare volunt, vel inhabiles sunt ad testimonium, vel si tantum diffamatum sit, vel deductum quidem ad judicium, non tamen probatum, adhuc censetur esse occultum.

49. R. 2. Episcopus nequit dispensare pro foro interno in irregularitate occulta proveniente ex homicidio *voluntario*, praesertim qualificato; ut si fuit praemeditatum, ex insidiis, proditorium etc. ita casus iste excipitur in Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de reform.* nisi eveniret casus urgentis necessitatis, et difficilis esset recursus ad Papam. E contra vi *cit. Trid.* Episcopus dispensare potest in irregularitate occulta proveniente ex mutilatione, vel ex homicidio non voluntario; quale est omne casuale: item necessarium, in quo moderamen inculpatae tutelae non est servatum: et probabiliter illud, quod quis per accidens, et indirecte committit, v. g. in rixa occidendo auctorem rixae, ne ab eo occidatur, Nav, Laiy. Reiff. quia talia homicidia comparantur casu alibus, neque in rigore sunt *voluntaria.*

50. R. 3. Praelati regulares ex vi suorum privilegiorum cum suis religiosis dispensare possunt in irregularitate proveniente ex homicidio occulto, etiam voluntario; sive hoc commissum sit ante, sive post ingressum religionis: ita concessisse Martinum V. Paulum III. Sixtum IV. et V. S. Pium V. aliosque Pontifices passim referunt Scriptores Regg. Peyr. Aut. a Spir. S. Salmanticen. et alii, uti et Compend. Privil. Minor. Societ. Jesu etc.

Quidquid sit de privilegiis directe, et expresse concessis circa hujusmodi dispensationem variis Ordinibus regularibus, quorum tenores semper sunt specialim inspiciendi: respectu Regularium per viam tantum participationis iisdem privilegiis gaudentium etiam cum clausula-pariformiter, et aeque principaliter, perinde ac si in specie eis concessa fuissent-*lectorem remitto ad sequens Cong. Conc. responsum a me recognitum, quod cum integra supplicis libelli serie refero, prout reperitur in Regestis ejusdem S. Cong. lib. Decret.* 55. *pag.* 145. Dubia facultatis absolvendi, et dispensandi 14. Aprilis 1685.

Omnibus, et singulis Cong. S. Mauri Ordinis S. Benedicti personis concessum est a fel. recor. Summis Pontificibus Gregorio Papa XV. Bulla data anno 1621. et Urban. Papa VIII. an. 1628. uti, frui, potiri, et gaudere

omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et libertatibus concessis Congreg. Cassinensi, S. Victorii, et omnibus quibuscumque Ordinibus Mendicantium, et non Mendicantium, Militarium, et Hospitalarium.

Concessa est eadem PP. Cassinensibus facultas absolvendi in utroque foro, et dispensandi super censuris, irregularitatibus, et inhabilitatibus monacos suos, qui ante religionis ingressum, homicidiis voluntariis, aliisque patratis facinoribus irregularitates, et censuras incurrunt; ut patet ex Brevibus Eugenii Papae IV. Romae Kal. Aprilis Pontificatus XI. Innocent. Papae VIII. Kalen. Novemb. Pontificatus anno III. beatae mem. Pii Papae V. idibus Jul. anno 1571. datis.

Concessa est eadem facultas PP. Congreg. Montis Oliveti a Pio Papa IV. Bulla data anno 1560. die 21. Maii Pontificatus anno primo.

Sed et PP. Praedicatoribus Dominicanis Bulla Julii Papae • II. data an. 1510. Pontificatus anno VII.

Nec non et PP. Societatis Jesu Bullis Pauli Papae III. anno 1549. 15. Kal. Novem. Pontificatus anno XV. et Gregorii Papae XIV. anno 1591. datis.

Cum itaque PP. Cong. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano Papa VIII. utendi, gaudendi, et fruendi omnibus privilegiis aliis Congreg. et Ordinibus concessis non solum per participationem; et extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem Congreg. concessa essent, Procurator Generalis ejusdem Congreg. humiliter instat declarari.

Primum. An superiores dictae Cong. licite, valideque possint absolvere in utroque foro, ac dispensare super irregularitatibus, et censuris suorum monachorum per homicidia, vel in bello, vel in jurgiis, aliisque motibus quasi indeliberatis contractis?

Secundum. An eos possint rehabilitare ad susceptionem Ordinum, dignitatum, et prioratuum, seu capellaniarum regularium?

Sac. etc. Ad utrumque respondit Negative.

51. R. 4. Confessarii regulares, sicut Episcopi, dispensare possunt in hac irregularitate occulta cum secularibus poenitentibus; dummodo non oriatur ex homicidio voluntario: ita concessit Sixtus IV. Ordini Minimorum; idemque privilegium confirmavit Julius II. Constit. incip. *Dum ad sacrum.* Paulus III. Constit. incip. *Cum inter cunctas.* Et quamvis Cassarubius, Suar. et alii dicant non esse satis securum hac facultate uti, Salmaticenses tamen cum multis aliis gravissimis DD. asserunt omnino licitum esse usum hujus facultatis, cum eam revocatam fuisse non constet. Vide **Salm.** *tr.* **10**. *c.* 7. *p.* 4. *n.* 59. *et seqq. et tr.* 18. *c.* 4. *p.* 2. §. 12.

Hic iterum lectorem remitto ad alterum, et quidem generale ejusdem Cong. Conc. responsum, quod a me pariter recognitum transcribo una cum integra supplicis libelli serie, prout reperitur in Regestis dictae Cong. lib. 24. Decret. pag. 26. a tergo 9. Februarii 1664.

Cadurcen. dispensationis. Supplex

Digitized by Google

narrat D. Episcopus Cadurcensis, in hac dioecesi, nonnullos Regulares facultatem in irregularitatibus occultis ex delicto contractis dispensandis sibi assumere; quae cum per Concilium Episcopis permissa fuerit, ab iisdem Regularibus non absque disciplinae ecclesiasticae relaxatione usurpatur: quare petit, ut ex hac S. Cong. declaretur.

An facultas attributa Episcopis in cap. 6. sess. 24. de refor. intelligatur etiam concessa Regularibus, sive eorum superioribus.

Cong. Conc. censuit, non intelligi concessam.

Idem responsum dedit ad dubium mense Julio an. 1585. *in causa pro Commissario Ordinis Minorum Conventualium in regno Siciliae, ut lib. IV. Decret. p.* 43.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

1. In hoc, et seqq. duobus titulis continuatur crimen homicidii, cujus causae etiam sunt *torneamenta*, seu *hastiludia* solemnia, in quibus milites, nobiles, et alii ejusmodi homines convenire solent ex condicto, et congredi ad ostendendam audaciam, et peritiam bellandi, et virium fortitudinem. Torneamentis similis est agitatio taurorum, seu concertatio cum bestiis.

2. Q. I. *An licita sint torneamenta?* R. 1. Si fiant cum moderamine, et per arma hebetata, ut nullum sit vitae periculum, de se sunt licita laicis, non clericis: nam talia umbratilia exercitia fiunt ob solemnitatem diei, v. g. in principum inaugurationibus, diebus natalibus, triumphi etc. et licet prohibita fuerint a Clem. V. in Conc. Vien. propter sumptus, qui tunc potius applicandi erant bello sacro, tamen prohibitio ista ad instantiam Regis Franciae, et Navarrae, et principum Germaniae sublata est a Joan. XXII. *Extrav. un. h. t.* Clericis tamen ob indecentiam sub poena anathematis prohibentur talia exercitia a Concil. Herbipol. Salisburg. Gonzal.

3. R. 2. Torneamenta periculosa cum armis acutis, et cuspiditatis sunt graviter illicita, et utroque jure prohibita: ita *c.* 1. *h. t.* ubi exercitia ista vocantur *detestabiles nundinae, et feriae*, in quibus aliud expectari nequit, nisi periculum vitae corporalis, et salutis aeternae: unde etiam Constantin. *l. un. C. de gladiatorib.* cruenta spectacula, uti sunt torneamenta, penitus sublata voluit. Quibus juribus corriguntur *l.* 7. §. 4. *ff. ad L. Aquil. l.* 2. §. *SCtum. ff. de aleator.* et similia jura etiam consuetudinaria, siquid contrarium decernunt, cum jure naturali consuetudo derogere non possit *c. fin. de consuetud.*

4. Q. 2. *Quae sint poenae pugnantium in torneamentis?* R. 1. Occidens punitur poena ordinaria L. Corneliae de Sicar. laicus vero occisus, etsi ante mortem poenitens Ecclesiae Sacramenta perceperit, privatur sacra sepultura, idque ad terrorem aliorum, *c.* 1. *et fin. h. t. can.* 6. *siquis* 26. *q.* 6. Haec tamen non extenditur ad eos, qui per accidens propter recipienda sua credi-

ta, vel propter curiositatem locum torneamenti accesserunt, et casu occisi sunt. Clericus vero, si poenitens decessit, non privatur sacra sepultura, sed oblationes, et orationes publicae pro eo fieri prohibentur, *can.* 4. *quicumque* 23. *q.* 8.

5. R. 2. Pugnantes cum tauris, et aliis bestiis pro mercede, fiunt infames de jure civ. *l.* 1. §. 5. *v. qui et operas ff. de postulando:* de jure Can. si ibi decedant, privantur sepultura sacra, tanquam manifesti peccatores: ipsi vero domini agitationem bestiarum permittentes incurrunt excommunicationem ex Const. S. Pii V. quae tamen ad terminos juris com. reducta est per Grog. XIII. et Clem. VIII. dummodo agitationes istae fiant, secluso periculo mortis, et extra dies festos, Barb. in *c.* 1. *h. t.* Gonz. et alii.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 22. *Monomachiam* 2. *q.* 5. in Trid S. 25. *c.* 19. *de refor.*

1. Praesens rubrica est strictior nigro; quia in hac non tantum clericis, sed etiam laicis duellum prohibetur. Definitur autem *Duellum*, graece *Monomachia*, quod sit singularis pugna ex condicto a duobus sponte suscepta. Aliud est *solemne*, seu *publicum*, quod fit cum certis solemnitatibus, cujusmodi sunt: determinatio, seu securitas loci pro duello, vulgo *campo franco*, determinatio temporis, litterae provocatoriae, seu chartulae denunciationem continentes, et patrini, seu secundantes. Aliud est *privatum*, quod fit sine dictis solemnitatibus.

2. Q. I. *An duellum ex genere suo sit illicitum?* R. Affirmative: nam exponere se periculo mortis temporalis, et aeternae est illicitum; hoc autem fit in duello: unde duellum omni jure prohibetur: *Naturali* quia est contra justitiam, charitatem sui, et proximi: *Divino* per praeceptum *non occides: civili l. un. C. de gladiatorib. Canonico h. t.* Quia vero materia duelli non est ita intrinsece mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari valeat, ideo quaeritur de causis, ex quibus duellum possit, vel non possit cohonestari.

3. R. 2. Duellum cohonestatur ex seqq. causis; 1. Si fiat jussu Dei, qui est dominus vitae, et necis. 2. Si fiat ob defensionem honoris divini, religionis, et boni communis, cui bonum privatum vitae postponendum est. 3. Si fiat ex causa terminandi bellum; dummodo per hoc victoria, alioquin satis certa, non reddatur dubia: sic David cum Goliath, S. Wenceslaus cum Duce Curimensi, singulare certamen iniverunt. 4. Si fiat ad necessariam defensionem vitae, et fortunarum servato tamen moderamine inculpatae tutelae. 5. Si fiat auctoritate publica a duobus condemnatis ad mortem, quatenus alter in alterum constituitur minister justitiae. Sed quia res ista crudelitatem sapit, peccat princeps tale duellum offerendo sub conditione, ut is veniam vitae obtineat, qui alterum occiderit, seu victor extiterit.

4. R. 3. Duellum non cohonestatur ex causis vanis, futilibus, et imaginariis, uti sunt: 1. Duellum inire ad ostentationem virium, et artis militaris, ad voluptatem, et recreationem spectatorum. 2. Ad declinandam injustam accusationem, vel detractionem; quia duellum ad eam abolendam nec est necessarium, nec utile, cum alia ordinaria dentur remedia repellendi injustum accusatorem. 3. Ad ostendendam innocentiam, veritatem, et objecti criminis purgationem, quia hoc modo Deus tentatur. 4. Ob punctum honoris, si vir militaris offerat, vel acceptet duellum, ne timiditatis, et ignominiae notam apud alios incurrat, et propterea ab eis non aestimetur. Oppositam *propos. num.* 2. damnavit Alex. VII. his verbis: ***Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*** Ratio est, quia duellum non est medium ***necessarium*** ad defensionem honoris, cum iste pluribus licitis modis defendi possit, v. g. dicendo: ob reverentiam legis divinae, et humanae non accepto duellum; si tamen me aggressus fueris, generose resistam tibi; neque est medium *utile*, quia duellans non tantum honorem non conservat, sed potius re ipsa infamiam, et perpetuum dedecus incurrit, Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de reform.* Aliqui tamen DD. et nimis quidem laxe, excipiunt illum casum, quo recusans acceptare duellum, amitteret suum officium bellicum, ex quo praecise sustentatur, ita ut deinde mendicare cogeretur: nam, ajunt, acceptans duellum non movetur ex puncto honoris, sed ex necessitate conservandae sustentationis, quam, recusato duello, certo amitteret. Principes autem graviter obligantur ad pravas istas consuetudines extirpandas. *Dices:* defensio cuique est licita; ergo potest quis per duellum suum honorem tueri. 2. Statuta ordinis Equestris S. Jacobi non admittunt illum, qui provocatus, duellum recusavit. R. Neg. cons. nam hic non praecessit offensio; ergo nec est justa defensio. Nec juvat stulta opinio improborum duella laudantium, quia contra legem Dei praevalere nequit. *Ad* 2. Statuta illa procedunt de timidis, qui fugerunt, non vero de illis, qui duella non acceptant, parati tamen sunt aggressori resistere.

Vide propositiones proscriptas a Benedict. XIV. circa duellum Elencho VI. numer. CXV. par. I.

5. Q. II. *Quae sint poenae duellantium?* R. 1. De jure civ. si provocans occidit, punitur poena ordinaria. L. Corn. de Sicariis, scil. gladio: provocatus, si occidit, plerumque mitius punitur, *l.* 14. §. 6. *ff. de bonis libert.* quia ignoscendum est provocato.

6. R. 2. De jure Can. clericus duellans deponitur, seu perpetuo suspenditur ab officio, et beneficio; et, si alterum occidit, fit irregularis, *c.* 1. *h. t. Can.* 8. *d.* 50. Si nec mors, nec mutilatio secuta est, poterit Episcopus suspensionem istam relaxare.

7. R. 3. Vi Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de refor.* domini temporales concedentes locum securum pro duellis, incurrunt excommunicationem latae sententiae: et si talem locum obtineant ab

Ecclesia, privantur ejus dominio, et jurisdictione: si vero ab alio illum habeant in feudum, hoc revertitur ad dominum directum. 2. Duellantes, et eorum patrini incurrunt excommunicationem latae sententiae, proscriptionem suorum bonorum, et perpetuam infamiam; et qui in duello occiderit, puniendus est ut homicida: qui vero in ipso conflictu decessserit, privatur sepultura Ecclesiastica; etsi decedat cum signis poenitentiae, ut habetur in Rituali Pauli V. *tit. de Exequiis.* 3. Consilium dantes in causa duelli, aut illud suadentes, et spectatores, qui scil. ex proposito spectant, approbando, et animando duellantes, excommunicationis, et perpetuae maledictionis vinculo tenentur. Quod extendi non debet ad eos, qui fortuito veniunt ad locum duelli, et ibi aliquantum ex curiositate morantur; vel qui a longe ex fenestris suis aspiciunt, vel qui vadunt ad locum duelli, ut illud impediant. Et hae sunt poenae a Trid. statutae pro duellis publicis; quas poenas Greg. XIII. Constit. incip. ***Ad tollendum*** 1582. et Clem. VIII. Constit. incip. ***Illius vices*** 1592. extenderunt ad duella privata ex condicto, seu praevio pacto inita, ubi ***nulli patrini, sociive ad illa vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae litterae, aut denunciationis chartulae praecesserint.***

8. R. 4. Ex his poenis censurae, inhabilitates, et privationes juris quaerendi, incurruntur ante sententiam; poenae vero privantes jure quaesito post sententiam declaratoriam criminis ex commun. doctrina de poenis. Notat tamen P. Laym. poenas temporales, ut proscriptionis bonorum, privationis jurisdictionis, et infamiae, non esse usu receptas in Germania. Privatio sepulturae sacrae, si duellum est notorium, incurritur absque ulla sententia, ut habet usus Ecclesiarum: si vero duellum non sit notorium, opus erit sententia Episcopi.

R. 5. Si quis in duello lethale vulnus accepit, et deinde extra duelli locum post aliquod tempus decessit, non privatur sepultura sacra: nam non decedit in ipso conflictu, quod requirit Trid. Imo favorabilis est sententia Portelli, de la Croix, Tambur. neque hunc privandum esse sepultura sacra, qui in loco conflictus ante mortem confessus, et sacramentaliter absolutus fuit; nam moraliter censetur extra locum conflictus decedere. Nec contrarium colligitur ex Rituali Pauli V. quia sacramentaliter confiteri, et absolvi plus est, quam edere signa poenitentiae.

Vide alias poenas, et declarationes circa duellum Elencho VI. n. LXV. par. I.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

1. *Sagittarii* erant, qui olim ex arcubus simul, et semel plures sagittas emittebant. ***Ballistarii***, qui ex ballistis, seu catapultis ejaculabantur saxa in hostes. Hodie in usu sunt tormenta, et mortaria bellica, ex quibus glandes, globi plumbei, ferrei, aut lapidei artificiose emittuntur. Haec ars top-

mentaria in bello justo, quod Christiani gerunt adversus infideles, vel inter se, licita est; quia nihil refert, quibus armis militetur, *Can.* 2. *Maximianus* 23. *q.* 2. At docere artem istam infideles, vel loco infidelium eam exercere contra fideles, est illicitum, et prohibitum sub poena excommunicationis latae sententiae *arg. cap.* 6. *de Judaeis*, et Bullae Coenae, quae prohibentur instrumenta bellica deferri ad infideles. Si illicite christiani hac arte utantur, v. g. cum superstitionibus, et venenatione glandium, excommunicandi sunt, *c. un. h. t.*

TITULUS XVI.

De Adulteriis, et Stupro.

Agitur de hac materia in Trid. *sess.* 24. *c.* 8. *de refor. matr. et* §. 4. *Inst. de publ. judic.* in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 4. in Codice *lib.* 9. *tit.* 9. 10. 11. 13.

1. A crimine homicidii transit Compilator ad crimen luxuriae, cujus species sunt: *Fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, vitium contra naturam et raptus.* Non tamen omnes istae species manent intra genus luxuriae, sed alteri generi miscentur: siquidem adulterium, et stuprum justitiae, incestus pietati, et reverentiae erga sanguine junctos, sacrilegium religioni opponitur. De his delictis in ordine ad forum conscientiae plura disserunt TT. morales, hic generalia solum explicabo; ut termini intelligantur.

2. I. Actus luxuriae alii sunt *perfecti*, seu consummati in sua specie: ut fornicatio, et ceteri mox relati: alii *imperfecti;* ut delectatio morosa, oscula, tactus, turpiloquia, et hujusmodi, quibus perveniri solet ad aliquem actum perfectum luxuriae.

3. II. Fornicatio a fornicibus dicitur; quia scorta sub fornicibus prostare solebant: et quamvis late accipiatur pro quocumque concubitu extra matrimonium, stricte tamen, et proprie fornicatio est concubitus voluntarius soluti cum soluta, inter quos matrimonium consistere posset. Prohibetur non tantum jure positivo, sed et naturali, ut patet ex opposita propositione *num.* 48. ab Innoc. XI. damnata: nam per se adversatur fini matrimonii, scil. rectae educationi prolis; licet per accidens unus, vel alter recte educaret prolem fornicariam.

4. III. Concubinatus est conjunctio, seu consuetudo soluti cum soluta citra affectum maritalem; sive foemina detineatur in eadem, sive in alia domo. Sicut fornicatio, ita multo magis concubinatus contrariatur juri naturali: et quo diuturnior est, eo gravius facit peccatum *Can.* 6. *d.* 34. *et Can.* 11. *meretrices* 32. *q.* 4. Nec obstat *Can.* 4. *et* 5. *d.* 34. ubi permittitur *concubina:* nam hujus nomine saepe venit vera uxor, quae ducta est sine pactis dotalibus, et solemnitatibus civilibus: sicut Agar, licet esset vera uxor, tamen dicitur concubina Abrahae.

5. IV. *Stuprum* proprie est illicita virginis defloratio. Si fiat volente, et consentiente virgine, non differt specie

Digitized by Google

a simplici fornicatione, neque speciem injustitiae superaddit: nam jus defloratae, utpote volentis, non laeditur, neque jus parentum; quia filia quoad usum sui corporis non subest patriae potestati. At si concubitus cum virgine, aut cum vidua honeste vivente fiat per vim, aut fraudem, aut metum injuste incussum, tunc stuprum superaddit speciem injustitiae; cum graviter laedatur jus, quod foemina habet in suam pudicitiam; et cons. circumstantia ista, cum transeat in aliam speciem, necessario aperienda est in confessione.

6. V. *Adulterium* est alieni thori violatio; adeoque praeter peccatum luxuriae, continet speciem injustitiae ob violatum jus conjugale: et si duo conjugati adulterium committant, est in eo duplex injustitia; si vero conjugatus cum soluta, vel e contra, adulteret, unam tantum injustitiam committunt: ob quod dici solet adulterium *simplex*, seu *unilaterale*, et illud *duplex*, seu *bilaterale:* ita de jure Can. *Can.* 14. 19. *caus.* 32. *q.* 5. quamvis de jure civili vir fornicans cum soluta non puniatur ut adulter, sed ut stuprator *l.* 34. *ff. ad L. Jul. de adulter.* Porro species injustitiae non tollitur per hoc, quod maritus consentiat in adulterium uxoris, et e contra; quia jus conjugale, vi cujus licite, et juste copula exercetur, non est in potestate conjugum eo sensu, ut illud in alterum transferre, vel ad usum commodare possit in gravem auctoris naturae injuriam. Oppositam propositionem *n.* 50. damnavit. Inn. XI.

7. VI. *Incestus* est concubitus illicitus inter personas consanguineas, vel affines; estque peccatum gravius adulterio, maxime in linea recta *Can.* 2. *lex* §. *cum ergo* 36. *q.* 1. *Sacrilegium* est concubitus illicitus cum persona voto castitatis, praesertim solemni obstricta. Et quamvis, probabilius sit, votum solemne castitatis religiosae specie, aut modo intrinseco differre ab alio voto castitatis, tamen ex RR. doctrina probabile est vota ista specie non differre; et cons. nec sacrilegia eis opposita. *Vitium contra naturam* est, quo semen humanum contra finem, et ordinem naturae effunditur: cujus tres sunt species. *Mollities*, seu simplex pollutio, qua quis se ipsum polluit. *Sodomia*, et quidem perfecta, si coeant duae personae ejusdem sexus; imperfecta vero, si coeant duae personae etiam diversi sexus, sed non servato vase naturali, v. g. utendo vase praepostero, coxendice etc. *Bestialitas*, quae est coitus cum bruto quocumque; adeoque non opus est explicare speciem bruti, cum in omnibus eadem turpitudo reluceat. De raptu dicetur *tit. seq.* Sic intellectis nominibus, descendamus ad ea, quae sunt fori juridici.

8. Q. I. *Quae sint poenae delicti fornicationis, et concubinatus?* R. 1. De jure civ. rom. fornicariis, et concubinariis nulla poena statuta est *l.* 13. §. 2. *ff. ad L. Jul. de adult. l.* 1. *ff. de concubin.* quia tunc ad evitanda majora mala tolerabantur concubinatus. In Germania ex specialibus statutis, et consuetudinibus fornicarii puniri solent

hodie plerumque poena pecuniaria arbitraria, vel incarceratione vel alia simili.

9. R. 2. De jure Can. poena simplicis fornicationis est arbitraria: et cum crimen hoc in nostris regionibus sit mixti fori, locus est praeventioni inter judicem Ecclesiasticum, et laicum; nisi de consuetudine pertineat ad solum Ecclesiasticum, vel e contra ad solum laicum: et tunc alter se non intromittet.

10. R. 3. Juxta Trid. *S.* 24. *c.* 8. *de refor. matr.* circa concubinatum observari debent seqq. 1. Concubinarii ter monendi sunt ab Ordinario, et non resipiscentes, excommunicari; si vero per annum censuras neglexerint, severo processui Ordinarii subjici debent. 2. Concubinae ab Ordinariis locorum ex officio graviter puniendae sunt, et extra oppidum, vel diaecesim relegandae. Et cum versemur in materia peccati, constitutio ista locum habet etiam in foro seculari, quod sacros Canones non dedignantur imitari. De clericis fornicariis, et concubinariis vide *lib.* 3. *tit.* 2.

11. Q. II. *Quae sint poenae stupri?* R. 1. Si agatur criminaliter ex strupro, per vim consummato, est poena capitis, seu mortis: praesertim si stuprum illatum sit foeminae valde honestae, vel puellae nondum maturae ante annum duodecim *l.* 1. §. *fin. ff. de extraord. crim.* Const. crim. Carol. V. *art.* 119. Si vero stuprum sit vi attentatum, sed non consummatum, eo quod foemina se liberaverit e manibus stupratoris, hodie est poena arbitraria, ex *cit. Const. Carol.* olim fuit deportatio, aut fustigatio. At si virgo sponte consentiens, vel blanditiis, et precibus inducta, deflorata est, hodie plerumque est poena arbitraria: licet olim stuprator, si honestae conditionis fuit, punitus fuerit publicatione dimidiae partis bonorum: si vero vilioris, verberatione, et relegatione §. 4. *Inst. de publ. judic.* A poena mortis eximi videtur, qui vi meretricem compressit, Konig. et a poenis stupri excusatur, qui virginem veste meretricali indutam defloravit *arg. l.* 15. §. 15. *ff. de injur.* quia justam ignorantiae causam habet.

12. R. 2. De jure Can. clericus stuprator deponitur ab officio *Can.* 44. *lator.* 2. *q.* 7. et dotat puellam defloratam, *c.* 1. *h. t.* Hodie, praeter dationem dotis, pro qualitate arbitrarie punitur per suspensionem, multam pecuniariam, carcere etiam perpetuo, si vim puellae intulit: quia carcer perpetuus succedit in poenam mortis contra laicos statutam. 2. Laicus stuprator tenetur defloratam ducere, et dotare, *c.* 1. *h. t.* ubi tamen particula conjunctiva ex communi interpretatione intelligitur disjunctive per *l.* 53. *saepe ff. de V. S.* et quidem si alternatio *ducendi*, vel *dotandi* permittitur, electio est stupratoris tanquam debitoris: si vero puella ei nubere nolit, vel ob impedimentum non possit, tenetur eam dotare determinate: et si non potest dotare, tenetur puellam volentem determinate ducere; ipsa vero nolente nubere, loco solutionis dotis succedit poena fustigationis, vel detrusionis in

monasterium. Poenae istae, extra Ecclesiae Rom. territorium non habent locum in foro seculari, nisi de consuetudine in eo receptae sint.

Quamvis prudenter fere ubique locorum prohibeatur, ne ante contractum matrimonium sponsus in una, eademque domo cum sponsa habitet, propter periculum evidens copulae; non tamen prohiberi potest sub poena stupri, sed dumtaxat sub poena arbitrio Ordinarii infligenda ex Decreto Cong. Conc. relato a Benedicto XIV. lib. XII. de synod. dioecesana c. VI. n. 3.

13. R. 3. Stuprator in conscentia ante sententiam judicis non tenetur ducere, vel dotare defloratam, cui matrimonium non promisit, in seqq. casibus: 1. Si damnum alio modo reparatum est. 2. Si foemina nullum damnum passa est; quia acquisivit virum ejusdem conditionis, quem virgo accepisset. 3. Si foemina, non fuit seducta, sed sine ulla fraude sponte sciens, volens consensit in sui deflorationem: et probabilius, si tantum precibus, et blanditiis inducta est; cum has facile, si voluisset, superare potuerit; nisi preces fuissent armatae a domino, principe, aut simili persona, cui foemina facile non potest resistere: nam in priori casu volenti, et consentienti nulla facta est injuria; bene vero in hoc posteriori, ergo hic, et non ibi facienda compensatio pro hac injuria. 4. Si deflorata obligationem ducendi, et dotandi remisit, cum juri suo renunciare possit. 5. Si foemina antea ab alio fuit corrupta, vel alias inobonestae vitae; quia hic non est proprie stuprum; nisi accessisset speciale pactum de dotando, vel ducendo. At post sententiam judicis, tenetur stuprator statim dotem praestare, non expectato tempore nuptiarum, *l. un. §. 1. v. sive maritum, C. de raptu virg.* Tenetur quoque stare compositione, vel transactione inita; ut si do certo pretio cum deflorata convenit.

14. R. 4. Stuprator ad nihil tenetur patri defloratae, si haec sponte consensit in sui deflorationem, vel obligationem satisfaciendi stupratori remisit: nam filia suae virginitatis, ususque sui corporis est domina, neque in hoc patriae potestati subditur; neque propterea pater tenetur majorem dotem dare filiae defloratae, ergo. *Dices:* stuprum filiae redundat in patris injuriam; ergo haec compensanda est per satisfactionem. R. Injuriam istam non esse pretio aestimabilem, sed ei satisferi vel petitione veniae, vel poena a judice taxata.

15. Q. III. *Quae sint poenae adulterii?* R. 1. Poenae civiles sunt: divortium, amissio dotis, vel donationis propter nuptias, ut dixi, *lib. 4. titul.* 20. Poenae vero vindicativae, seu criminales respectu laicorum sunt de jure civili antiquo deportatio, vel exilium *l. 5. ff. de qq. l. 11. ff. ad L. Jul. de adult.* postea a Constantino M. inducta est poena gladii, quam Justinianus transtulit in L. Juliam de adult. *l. 30. C. eod. et §. 4. Inst. de publ. judic.* quae tamen poena pro foeminis solis immutata est in detrusionem ad monasterium, *Auth. Sed hodie C. ad*

L. J. de adulter. Hodie poena gladii alicubi durat, alicubi sublata est; adeoque attendi debent locorum statuta. Alia poena est *infamia l.* 2. §. 3. *ff. de his, qui not. infam.* De jure Can. adulteri laici olim excommunicabantur *c.* 6. *h. t.* et foeminae in monasterium detrudebantur *c.* 19. *de convers. conjug.* quod hodie non est in usu, sed adulteri, dum agitur criminaliter ex adulterio, ad forum seculare trahuntur, ibidem solitis poenis puniendi.

16. R. 2. A poenis adulterii excusant multae causae: 1. Si mulier violenter oppressa sit, et non solo metu inducta, *l.* 13. §. 7. *ff. ad L. Jul. de adult.* 2. Si ex ignorantia aliquis cognovit alienam, quam cogitavit esse suam. 3. Si adulterium fuit tantum attentatum, et non consummatum; quia conatus proximus regulariter non punitur eadem poena, qua ipse actus. 4. Si accusationi adulterii praescriptum sit; nisi judex ex officio procedat, et inquirat. 5. Licet a poena civili divortii, et amittendae dotis excuset par delictum, non tamen a poena criminali; quia judex utrumque adulterum condigne punire potest ad vindictam publicam.

17. R. 3. Si reus adulterii est clericus, judicari debet a judice Ecclesiastico privative: et quidem, si convictus est, vel confessus, deponitur ab officio, et beneficio, et detruditur in monasterium *Can.* 10. *si quis. d.* 81. cui detrusioni hodie successit poena carceris, vel alia arbitraria. Si tantum diffamatus, et suspectus sit de adulterio, indicitur ei purgatio Can., in qua deficiens ab officio suspenditur *c.* 5. *in fin. h. t.* 2. Si reus adulterii est laicus, et agitur ad divortium, judicatur ab Ecclesiastico judice privative; cum causa ista sit spiritualis: at si agatur ad poenam capitalem, vel per se principaliter ad privationem dotis, judicat laicus judex, quia causa ista est profana. 3. Qui egit actione criminali ad poenam legalem, finito hoc judicio, non potest de novo agere actione civili ad divortium, nec e contra *l.* 6. *in fin. ff. de injur.* quia utrumque hoc judicium tendit ad punitionem adulterii: et ideo *c.* 5. *de Procur.* actio tendens ad divortium dicitur mixta inter civilem, et criminalem: secus si actum sit tantum ad interesse, seu jacturam rei familiaris: tunc enim actio criminalis non perimitur *l. un. C. quando civil. act.*

18. R. 4. Ordo in accusando matrimonio servandus est, ut primo admittatur maritus intra 60. dies utiles: deinde pater intra totidem dies, ut ille, jure mariti, iste jure patris accuset: semper tamen maritus praefertur patri, nisi colluderet uxori, *l.* 2. §. 8. *et l.* 9. *ff. ad L. J. de adulter.* lapso termino uterque admittitur jure extranei. Deinde admittuntur frater, patruus, et avunculus adulterae: tandem extranei; sed hi non facile permittuntur, ne matrimonia calumniis discutiantur *l.* 30. *C. eod.* quamvis vero mulier, utpote subdita viro suo, de jure civ. non admittatur ad accusandum adulterium mariti ad poenam legalem *l.* 1. *C. eod.* admittitur tamen de jure Can. *Can. fin.* 32. *q.* 5. quia hoc jure

conjuges non judicantur ad imparia quoad debitum reddendum, quoad divortium, et accusationem, Gloss. in *Can. 4. v. ad imparia* 32. *q.* 1. Jus Can. sequitur Carolus V. Const. Crim. *ar.* 120. ubi uxori accusationem mariti adulteri diserte permittit. Porro accusantis est probare adulterium, plerumque per praesumptiones violentas; uti est deprehensio nudi cum nuda in eodem lecto *c.* 12. *de praesumpt.* contractus matrimonii post mortem conjugis, si adulteri antea obtenderunt consanguinitatem ad excusandum adulterium *l.* 34. *C. ad L. J. de adult.* monitio suspecti ter a marito in scriptis, et praesentibus testibus facta, si ille non cesset conversari cum uxore in loco secreto, *Auth. si quis C. eod.* minores vero praesumptiones sunt litterae amatoriae, xenia, fuga mulieris, et pernoctatio in domo viri suspecti etc. Si Pater, et maritus defecerint in probando, non subjacent poenae talionis *l.* 37. *§. sed et ff. de minor.* et si desistant ab accusando sine venia, seu non impetrata abolitione, non incidunt in SCtum Turpillianum nisi in accusatione mariti, et patris manifesta esset calumnia, *l.* 14. *et* 30. *ff. et l.* 16. *C. ad L. J. de adult.*

19. Q. IV. *Quae sint poenae incestus, sacrilegii, et vitii contra naturam?* R. 1. Incestus inter ascendentes, et descendentes, fratrem, et sororem punitur poena mortis: inter collaterales vero commissus, subjacet poenae arbitrariae. Poenas incestuosarum nuptiarum exprimit *Auth. incestus. C. de incest. nupt.* de quibus dixi *lib.* 4. *tit. de consanguinit.* De jure Can. clericus incestuosus deponitur, et beneficio privatur *arg. Can.* 10. 11. *d.* 81. Laicus in incestu perseverans, excommunicatur *Can.* 9. *de his* 35. *q.* 2. Vir peccans cum consanguinea suae uxoris, privatur jure petendi debitum *c.* 1. 3. *de eo, qui cognovit.*

20. R. 2. Fornicatio clerici in sacris constituti, et religiosi professi, licet sit verum sacrilegium, punitur ut simplex fornicatio. At sacrilegium commissum cum moniali, gravius punitur: nam jure Can. laicus corruptor monialis excommunicatur; clericus privatur beneficio, et depositus ab ordine truditur in monasterium, hodie in carcerem; ipsa vero monialis se violari passa, vel truditur in arctius monasterium, vel in carcerem *Can.* 6. 11. 25. 28. *caus.* 27. *q.* 1. De jure civ. attentans nuptias cum moniali, poena mortis plectitur, et ejus bona monasterio applicantur, *l.* 5. *C. de Episc. et Cler. Nov.* 123. *c.* 43. hodie tamen bona delinquentis haeredibus relinqui solent, *Auth. bona C. de bonis proscrip.* Haec tamen jura civ. non canonizantur per hoc, quod a Gratiano referantur *Can.* 30. *loc. cit.*

21. R. 3. Concubitus christiani cum Judaea, vel pagana, licet non differat a simplici fornicatione; plerumque tamen gravius punitur ob injuriam christiano nomini illatam: si praetextus conjugii accedat, poena adulterii coerceetur; non tamen capitali, *l.* 6. *C. de Jud.* Clar.

22. R. 4. Simplex pollutio, si ad forum externum deducatur, punitur

poena extraordinaria relegationis, fustigationis etc.

23. II. Poena sodomiae perfectae de jure civ. est capitalis, cum confiscatione bonorum, et infamia *l.* 31. *C. ad L. J. de adult.* §. 4. *Inst. de publ. Jud. et Nov.* 77. *c.* 1. §. 2. quae poena exasperari solet, ut sodomitae vivi, vel eorum cadavera concrementur, sive fuerint agentes, sive patientes. De jure Can. laicus excommunicatur; clericus vero ab officio, beneficio, et ordine clericali depositus, detruditur in monasterium: imo per Const. S. Pii V. incip. *Horrendum* 1568. *die* 5. *Sept.* clerici hoc vitium exercentes, puta non semel, sed pluries, degradari, et curiae seculari tradi debent. Notant tamen DD. hanc Constitutionem non habere locum in foro interno secundum praxim receptam. Si vero sodomia sit imperfecta, videtur substare poenae extraordinariae *arg. l.* 1. *in fin. ff. de extraord. crim.* cum sit minus peccatum specie distinctum.

24. III. Bestialitas punitur instar sodomiae ex Const. Car. V. *art.* 116. adeoque hujus criminis rei comburuntur una cum bestia conformiter *Lev.* 20. *v.* 15. ne tam horrendi flagitii memoria permaneat, aut renovetur.

Ad *hunc tit.* reduci potest *lenocinium*, quod est delictum publicum, quo pater liberos, maritus uxorem, vel alius quiscumque foeminas exponit prostituendas, vel earum prostitutionem permittit quaestus causa. Punitur hoc delictum in patre, et marito poena gladii *arg. l.* 2. §. 2. *et l.* 29. §. 3. *ff. ad L. Jul. de adult.* in aliis poena arbitraria, ut praecisione aurium, fustigatione, exilio, prout qualitas delicti postulat. Const. Car. V. *ar.* 123.

Poena tutoris pupillae castitatem violantis est deportatio, et confiscatio bonorum *l. un. C. si quis eam, cujus tutor.*

Poena mulieris proprio servo se prostituentis est capitalis, et mulier ista fit intestabilis active *l. un. C. de mulierib. quae se.*

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, et Violatoribus Ecclesiarum.

Agitur de hac materia in Decreto 14. *qu.* 5. 6. *et* 16. *q.* 1. *et* 36. *q.* 1. in Trid. *sess.* 22. *c.* 11. *de ref. et sess.* 24. *c.* 6. *de ref. matr.* in Inst. *lib.* 4. *tit.* 2. in Pandectis *lib.* 47. *tit.* 8. 9. 12. 18. *et lib.* 48. *tit.* 13. in Codice *lib.* 9. *tit.* 13. 19. 20. *et* 33.

1. In hoc titulo examinantur crimina: raptus personarum, rapina rerum, crimen incendii, et violatio, seu effractio, et spoliatio Ecclesiarum, et locorum religiosorum. De raptu, prout est impedimentum dirimens matrimonii, egi *lib.* 4. *tit.* 1. Hic *raptus personarum* est violenta abductio personae honestae, foeminae, vel maris, de loco ad alium locum moraliter diversum, libidinis exercendae causa. Per has ultimas differt raptus iste a *raptu dirimente matrimonium*, qui fit matrimonii contrahendi causa; et a *plagio*, quod fit ex alia causa v. g. ut homo liber furto sublatus redigatur in servitutem etc. a *rapina rerum*

vulgo *robbaria*, quae est violenta ablatio rei mobilis alienae, non vero personae.

2. Q. I. *An raptus contineat speciem injustitiae praeter speciem luxuriae, et quibus poenis puniatur?* R. 1. Si foemina sui juris non consentiat in sui adductionem, sed invita per vim abducatur libidinis exercendae causa, est proprie raptus, continens etiam peccatum injustitiae: nam tali foeminae gravissima injuria infertur, jusque ejus laeditur, quod habet, ne ab alio per violentiam molestetur. Item, si foemina sit sub potestate patria, vel tutoria; etiamsi consentiat in sui adductionem; nihilominus raptus iste committitur ob injuriam illatam patri, et tutoribus; licet raptor mitiori poena puniatur arbitrio judicis. At si foemina sui juris volens, et consentiens abducatur, non est raptus, cum nullius jus violetur: etsi deinde invita carnaliter per vim cognoscatur: nam in maleficiis voluntas, et initium spectatur, non exitus *l.* 14. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* eo tamen in casu stuprum committitur ob violentam copulam. Sic e contra, si puella vi abducta, deinde sponte consentiat in copulam, raptus est, non stuprum.

3. R. 2. De jure civ. raptor foeminae, praesertim conjugatae, punitur poena mortis remota appellatione, ejus bona applicantur raptae ingenuae, non tamen ancillae, vel libertinae, *l. un. C. de rapt. Virg.* Const. Car. V. *art.* 118. ubi poena mortis confirmatur. Circa remissionem ad locum delicti, variant DD. hodie rarus usus est remissionum, et ibi puniuntur criminosi, ubi in crimine reperiuntur.

4. R. 3. De jure Can. raptus contrahendi matrimonii causa commissus, varias habet poenas in *caus.* 36. *q.* 1. *et* 2. *c.* 6. *et fin. h. t.* hodie vero servandae sunt poenae Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de refor. matr.* de quibus egi *lib.* 4. *tit.* 1. Sed quas poenas habeat raptus exercendae libidinis causa commissus, nihil certi colligo ex canonibus; ac proinde attendenda est consuetudo optima jurium dubiorum interpres. Nec me convincit sententia Bonaccinae, Azor. et aliorum dicentium, poenas a *cit. Trid.* proditas habere locum etiam in raptu libidinis causa facto; nam contrarium apparet tum ex tenore Tridentini loquentis de raptu contrahendi matrimonii causa facto; tum etiam ex mente ejusdem Concilii unice volentis consulere libertati matrimoniorum; tum quia ita declarasse fertur S. Congregat. Concilii 1586. 23. *Januar.* quod scilicet sub hoc Decreto non contineatur raptus, nisi sit ob matrimonium ineundum factus. *Dices:* Trid. *loc. cit.* statuit poenas in clericos raptores, qui matrimonii causa rapere nequeunt. R. Sufficere, quod clerici rapiant ob matrimonium de facto ineundum, sicut, v. g. consanguinei, vel conjugati, et cons. in eis locum habent poenae Tridentini.

5. Q. II. *Quando censeatur rapina rerum committi, et quae poenae hujus delicti?* R. 1. Rapina tunc committitur, dum quis rem alienam mobilem injuste accipit per vim, sive actu illatam, sive inferendam, si praesens do-

minus rei raptori resisteret. Si metu res extorqueatur, non est raptus, sed *concussionis* species: si immobilia invaduntur, pariter non est rapina; quia immobilia rapi non possunt, bene vero injuste invadi: si praeter vim addatur occisio, vel aggressio ex insidiis, erit latrocinium, aut depraedatio in viis, et stratis publicis. 2. Vis alia est *publica*, quae regulariter fit cum armis, seu instrumentis, quibus noceri potest: alia *privata*, quae fit sine armis §. 8. *Inst. de publ. jud.* Vide *tit. ff. et C. ad L. Juliam de vi publica, et privata*, ubi varia exempla hujus delicti enumerantur: et quidem *de vi publica;* arma domi habere praeter usum venationis, et itineris, consilia inire seditionis causa, villas expugnare, cum telis, et armis bona rapere, ex incendio aliquid rapere, foeminam, vel puerum per vim stuprare, hominibus armatis possessorem dejicere e domo, vel agro suo etc. Exempla *de vi privata:* convocare homines ad aliquem verberandum, per injuriam alienum auferre, hominibus non armatis possessorem a suo fundo dejicere, res debitoris sine auctoritate judicis occupare etc.

6. R. 2. Poena civilis rapinae est triplum poenae, et simplum rei, licet minima res sit rapta; et hoc intra annum utilem, post hunc actio *vi bonorum raptorum* est tantum in simplum rei, aut aestimationis *pr. Inst. de vi bonor. raptor. l.* 2. §. 13. *et l.* 4. *pr. ff. vi bonor. raptor.* sive raptor sit manifestus, seu deprehensus in rapina, sive nec manifestus. Quare autem in furto manifesto sit poena quadrupli, et in rapina tripli, ratio congrua est; quia furta sunt frequentiora, et ideo saltem pro furibus manifestis major poena imponi debuit: et aliunde raptor conveniri etiam potest judicio publico ex L. Julia de vi publica, aut privata: fur autem olim conveniebatur judicio tantum privato ad poenam civilem.

7. R. 3. Poena criminalis rapinae, seu robbariae sine armis patrate, est amissio tertiae partis bonorum, privatio dignitatis, et honoris cum infamia. §. 8. *Inst. de publ. jud. l.* 1. *pr. ff. ad L. Jul. de vi priv. l.* 2. *C. ad L. Jul. de vi publ. et priv.* Si rapina armata vi patrata sit, ex L. Julia de vi publica, erat deportatio *l.* 10. *ff. ad L. Jul. de vi publ.* cui successit bannum imperiale; imo poena capitis ex Const. Car. *ar.* 126. et si caedes conjuncta sit, raptor supplicio rotae condemnatur. Eamdem poenam sustinent complices delicti, sicut in furto: imo, ut ait Carpz. qui metu incusso viatori, sua bona eripuit, eadem poena plectendus est, tanquam perturbator pacis, et securitatis publicae. In certis tamen casibus mitigatur poena robbariae, ut si haec tantum attentata fuit, vel si a domino ante spoliato praedo spoliatus est, vel si rapina facta est ex dira necessitate famis etc. vel si servus jussu domini rapinam fecit: quo casu dominus ordinaria, servus extraordinaria poena plectendus est *l.* 8. *C. ad L. Jul. de vi publ.*

8. R. 4. De jure Can. raptor ex-

Digitized by Google

communicari debet *c.* 1. *h. t.* et si ante mortem noluerit satisfacere, vel si in ipsa rapina occisus sit, privatur sepultura sacra tanquam notorius peccator *c.* 2. *h. t. et c.* 2. *de furt.* ubi etiam clerici interessentes tali sepulturae jubentur deponi ab officio, et beneficio. 2. Qui ex rebus christianorum naufragantium aliquid surripiunt, incurrunt excommunicationem ipso jure *c.* 3. *h. t.* reservatam Papae in *casu* 4. Bullae Coenae: quae tamen poena non debet extendi ad causas morales, ut ad consulentes, fautores, receptores etc. cum hi non exprimantur. Ceterum principes, vel domini territoriales, si viator in via regia spoliatus est, non tenentur his poenis Canonicis, aut civilibus: si tamen alicui salvum conductum dederunt, damna ei illata resarcire debent ex Reces. Imp. in Com. Aug. 1559.

9. Q. III. *Quando committatur crimen incendii, et quae poenae illius?* R. 1. Crimen incendii tunc committitur, dum quis dolo malo, seu malitiose oppida, villas, segetes, acervos fructuum, et similia bona per se, vel per alios apposito igne succendit, sive id faciat ex odio, aut vindicta, sive commodi capiendi causa. Sub hoc crimine non continetur incendium *fortuitum*, seu casu factum; quia culpa, et poena caret, *l.* 11. *ff. de incend.* neque incendium *culposum*, etiamsi culpa lata causatum fuerit, quia in criminalibus culpa lata non aequiparatur dolo *arg. l.* 7. *ff. ad L. Corn. de Sicar.*

10. R. 2. De jure civili poena incendii *dolosi*, pro qualitate delicti, erat exilium, vel deportatio, vel poena capitis, aut ignis, *l.* 9. *et l. fin.* §. *ult. ff. de incend. l.* 10. *ff. ad L. Cor. de Sicar. l.* 28. §. 12. *ff. de poen.* Ex Const. Carol. *art.* 125. incendiarii dolosi jubentur vivi comburi, licet ad evitandam desperationem spiritus eis soleat intercludi. Incendi vero *culposi* poena est arbitraria, v g. pecuniaria, incarceratio, relegatio, fustigatio; attamen citra mortem, et mutilationem, Carpz. De jure Can. laici dolose incendentes Ecclesias, et alia loca sacra, et his contigua ad 30. passus, ipso facto excommunicantur *Can.* 107. *Can.* 11. *q.* 3. *et Can.* 3. *omnes* 17. *q.* 3. loca vero profana incendentes excommunicari debent, *Can.* 31. *et seq.* 23: *q.* 8. neque incendiarii absolvendi, aut sepultura sacra donandi sunt, donec satisfaciant, vel ante mortem cautionem praestent de satisfaciendo, *ibid. et c.* 5. *h. t.* Contra clericos nulla poena prodita est; quia non videbatur tantum crimen cadere in clericos: erit proinde poena arbitraria. Mitigatur poena, si incendium sit tantum attentatum, vel ex simplicitate potius, quam dolo causatum; modo adsint indicia simplicitatis, et si rèus sit minorennis 16. vel 17. annorum, cui communiter poena gladii decernitur; nisi malitia superaret aetatem. E contra ob repetitum incendium poena non exasperatur, quia id non exprimitur in jure, sicut exprimitur de repetito veneficio, et latrocinio, Const. Car. *art.* 130. neque repetitio delicti in capitalibus majorem arguit poenam, nisi lex statuat, vel consuetudo, vel admiscea-

tur aliud delictum, ut latrocinium: quo sensu procedit, *l. 3. C. ex quib. caus. infam. irrog.*

11. R. 3. Incendiarius culposus, si culpa theologica causam dedit incendio, damna inde secuta tenetur reparare in conscientia ante ullam sententiam; quia voluntarie laesit jus alienum: si vero culpa fuit solum civilis, seu juridica, non obligatur, nisi post sententiam judicis, sicut communior sententia tenet de obligatione ex L. Aquilia. 2. Si culpa fuit patrisf. vel servi, aut famuli in suo officio negligentis, et delinquentis, damnum reparat paterf. cujus est habere famulos peritos, et diligentes in suo officio: secus is damnum reparat, qui culpa sua causam dedit incendio. 3. In dubio incendium praesumitur fortuitum, non vero dolosum, aut culposum *l.* 18. *pr. ff. commodati, l.* 1. §. 4. *ff. de O. et A. l.* 23. *in fin. ff. de R. J.* quia dolus, et culpa, cum sit facti, probari debet ab asserente. Et quamvis incendium dicatur culpa inhabitantium factum, *l.* 3. §. 1. *ff. de off. praef. vigil.* id tamen non sufficit ad omnes condemnandos, sed culpa unius certae personae probari debet: neque sufficit ad patremfam. condemnandum: quia iste sine culpa esse potest in se, et in electione suorum famulorum, si isti in officio suo non deliquerunt: fieri enim potest, ut stabularius aliquid coquat in culina, ad quod conductus non est, et per incuriam suam incendat domum, quae incuria patrif. non imputatur *l.* 11. *ff. de peric. et commod.* Vide meas *disp. civ. disp.* 13. *controv.* 13.

12. Q. IV. ***Quomodo contingat violatio Ecclesiarum, et aliorum locorum sacrorum, et quae poenae hujus delicti?*** R. 1. Loca sacra violantur effractione, et spoliatione, vel sacrilega ablatione rerum sacrarum. De alio genere violationis hic non agitur.

13. R. 2. Violatores Ecclesiarum jure Rom. pro qualitate delicti puniebantur exilio, deportatione, gladio, suspendio, condemnatione ad bestias, *l.* 9. 10. *ff. ad L. Jul. peculat. l.* 10. *cum seq. auth. C. de Episc. et cler.* Ex Const. Carol. *art.* 172. hierothecam cum sacra hostia auferens jubetur comburi vivus: calicem, patenam, vel aliud vas sacrum surripiens, praesertim cum effractione, supplicio capitis: alias res sacras, ut candelabra, mappas, aut similia interdiu, et sine fractione tollens, poena furti profani coercetur, Reiff. De jure Can. incendiarii, et violatores Ecclesiarum ipso facto excommunicantur; dummodo copulative adsit effractio, et spoliatio *Can.* 107. *Canonica* 11. *q.* 3. *et Can.* 5. 21. §. *siquis* 17. *q.* 5. *et c.* 19. *et* 22. *de sent. excom.* quae excommunicatio post denunciationem est reservata Papae.

Ex Const. Benedicti XIV. Ab angustissimo: 5. *Martii* 1744. ***Surripientes, asportantes, aut apud se retinentes Hostias, vel Particulas consecratas, seculari Curiae tradendi sunt, praevia degradatione, si sint Ecclesiastici: etiamsi juxta Constit. Innoc. XI. quarto idus Martii*** 1676. ***hoc scelus pro prima vice perpetraverint, et minores sint annis*** 25. ***dummodo vi-***

gesimum attigerint, rejectis exceptionibus a reis dari solitis, vel quod non satis constet de earumdem Particularum consecratione, vel quod non fuerint subreptae, asportatae, vel respective retentae ad malum finem: quarum exceptionum claram, et concludentem probationem ad eosdem reos, et non ad fiscum spectare decernitur.

Alii fures, qui citra effractionem furantur, v. g. calicem ex Ecclesia, excommunicari debent, *cap. fin. de furt. c.* 16. *de for. compet.* Si satisfacere nolint, non sunt absolvendi, nec in loco sacro sepeliendi: si vero ante mortem velint, sed non possint satisfacere, contritis Viaticum datur, sed eorum sepulturae clerici interesse prohibentur sub amissione beneficii, *c.* 2. *h. t.*

14. R. 3. Violatores sepulchri civiliter conveniuntur ad interesse: et si dominus sepulchri agere nolit, quilibet alius admittitur ad poenam 100. aureorum, *l.* 3. §. 8. *ff. de sepulchro violat.* Est ergo actio ista popularis, et ex dolo famosa, *cit. l.* 3. *pr.* 2. Armata manu cadavera spoliantes, vel ipsa corpora, aut ossa temere extrahentes, poena capitis plectuntur, *l.* 3. §. 7. *et l. fin. eod.* habitantes vero in sepulchris actione 200. aureorum, et in civitate sepulchrum facientes poena 40. aur. ex edicto Adriani puniuntur, *l.* 3. *pr. et* §. 5. *eod.* quae jura hodie vix sunt in usu. 3. Creditores, qui cadaver defuncti sepulturae tradi prohibent, aequiparantur violatoribus sepulchrorum, et 50. libris auri multantur, *l. fin. C. de sepulchr. viol.* imo tenentur lege julia de vi publica *l.* 8. *ff. eod.* Jure novo creditores isti debitum amittunt, alterum tantum haeredibus defuncti praestant, et tertia pars bonorum illorum publicatur: qua poena tenentur et illi creditores, qui moribundi aedes ingressi, omnia sigillant, *Auth. item, Auth. Sed neque, C. de sepulchro violat.* ubi cetera legere poteris.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

Agitur de hac maeria in Institut. *lib.* 4. *tit.* 1. In Pandectis *lib.* 47. *tit.* 2. *et seqq.* in Codice *lib.* 9. *tit.* 27. *et seqq. et lib.* 6. *tit.* 2.

1. *Nota* 1. Furtum dici a *ferendo*, vel a *furvo*, seu nigro; quia plerumque patratur in obscuro, ***Furtum*** proprie quoad rem est ***contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve*** §. 1. *Inst. de oblig. ex delict. l.* 1. *in fin. ff. h. t.* seu, ut definiunt TT. cum S. D. 2. 2. *q.* 66. *ar.* 3. est ***occulta acceptio rei alienae, domino rationabiliter invito.***

2. *Nota* 2. Furtum varie dividi: 1. *Simplex*, cui non admiscetur, aliqua qualitas notabiliter aggravans, vel mutans speciem: et *qualificatum*, cui similis qualitas admiscetur, ut vis, effractio violenta, tela, arma etc. 2. In *Parvum*, quod est infra 5. solidos: et *Magnum*, quod adaequat, vel excedit 5. solidos, seu aureos Hungaricos, ut communis interpretatur. Utrumque hoc

potest esse vel *primum*, vel *iteratum*, *diurnum*, vel *nocturnum*: *domesticum*, quod fit ab uxore, liberis, et familia: vel *extraneum*, quod fit a peregrinis, seu ab aliis extra familiam. 3. Ex parte materiae in *furtum rei*, dum ipsa res mobilis aufertur: *furtum usus*, dum quis contra voluntatem domini re utitur, vel alter quam uti deberet, ut si depositarius, vel creditor utatur re deposita, vel pignorata; vel commodatarius, cui usus equi concessus est ad unum milliare, illo utatur ad duo, vel plura milliaria contra voluntatem domini: et *furtum possessionis*, dum quis possessionem solam, alteri competentem eo invito aufert; ut si debitor rem pignoratam auferat occulte a creditore; quo casu privat illum possessione talis rei. Divisio ista traditur in jure in definitione supra allata. 4. In *manifestum*, dum fur deprehenditur in ipso crimine, antequam perveniat ad locum, ubi rem furtivam deponere intendit: sive deinde deprehendatur a domino, sive ab alio, sive in actu flagranti, sive in itinere, sive in loco publico, sive privato, sive attineatur, sive tantum videatur, et inclametur: et *nec manifestum*, dum fur ita non deprehenditur, nisi postquam rem deposuit in loco destinato. Hodie divisio ista parum attenditur, cum plerumque ex furto agatur criminaliter, Mauz. 5. Olim furtum erat quadruplex: *conceptum*, seu simul captum, dum apud aliquem res furtiva reperta fuit, et contra hunc dabatur *actio furti concepti:* quia particeps fuit furti; sicut hodie adhuc puniuntur receptatores furum, *tit. ff. de recept. Oblatum*, dum res furtiva a fure, vel emptore mihi oblata fuit, ut apud me potius, quam alium reperiretur. Jam si apud me res inventa fuit, ego condemnatus fui, sed contra offerentem dabatur mihi *actio oblati* ad simplum rei, et triplum poenae. *Prohibitum*, dum quis prohibuit quaerere furem, atque ita contra illum, velut suspectum de furto, dabatur *actio prohibiti. Non exhibitum*, dum quis rem furtivam apud se repertam petenti exhibere noluit: et contra hunc competebat *actio furti non exhibiti*. Divisionem istam sustulit Imp. §. 4. *In de oblig. ex delict.* cum desiverit esse in usu. Hodie scienter recipientes, et celantes rem furtivam, tenentur actione furti nec manifesti *ibid. et l.* 14. *C. h. t.* celantes vero furem, poena receptatorum puniendi sunt, *l.* 48. §. *qui furem ff. h. t.* 6. Furtum latius acceptum dividitur in varias species; ut sacrilegium, abigeatum, peculatum etc. quas in fine *h. t.* ex jure civili afferam.

§. I.

De Furto simplici.

3. Q. I. *Quando, et a quibus personis committatur furtum?* R. 1. Ad furtum requiritur: 1. *Res aliena* quoad substantiam, vel usum, vel possessionem; quia rei suae furtum non datur, nisi in foro poli, siquis fraudulento animo contrectaret rem suam, quam putat esse alienam. 2. Res *mobilis corporalis:* quia res immobiles, et in-

corporales, auferri non possunt. 3. Ut fraudulenter contrectetur *lucri faciendi causa;* nam si contrectetur sine lucrandi animo, v. g. ut res corrumpatur, aut deterioretur, non fit furtum, sed damnum ex L. Aquilia compensandum. 4. Ut contrectatio ista fiat, *rationabiliter invito domino:* unde qui consentiente, vel vidente domino, et non contradicente, cum facile contradicere posset, rem illius accipit, non est fur; quia dominus non censetur invitus, nisi aliud ex circumstantiis colligatur, §. 8. *Inst. de oblig. ex delict. l.* 91. *ff. et l.* 20. *C. h. t.* Similiter, qui in extrema necessitate aliquid accipit, non committit furtum; quia dominus non potest esse rationabiliter invitus; cum tali casu omnia sint communia. At in necessitate communi, quam mendici, et pauperes patiuntur, et in necessitate gravi non licet alienum accipere; et oppositam propos. *n.* 36. damnavit Inn. XI.

4. R. 2. Reus furti est omnis ille, qui alienum accipit, aut detinet causa lucri, invito domino: 1. Filiusf. et servus §. 12. *Inst. de oblig. ex delicto, l.* 17. *ff. h. t.* quia in hoc casu non sunt eadem persona cum patre et domino; cum furari non sit effectus patriae, aut dominicae potestatis. Actio tamen furti non datur contra filium, et servum proprium; quia inter patrem, et filiumf. dominum, et servum nulla actio nasci potest, *ibid.* 2. Uxor aliquid surripiens de rebus mariti; licet propter conjunctionem maritalem non detur contra illam actio famosa *furti* sed actio *rerum amotarum, l.* 52. *ff. l.* 22. § 4. *C. h. t. et tit. ff. rer. amotar.* 3. Creditor, depositarius, commodatarius, si re aliter utantur, quam sit a domino concessum, *l.* 40. 54. *ff. h. t.* et e contra ipse dominus est fur, si clam dolose auferat pignus creditori, vel rem usuario, aut fructuario ad usum, vel usumfructum datam, §. 14. *Inst. de oblig. ex del. l.* 12. §. *ff. h. t.* 4. Qui furto cooperantur, ut mandantes, consulentes, auxilium praestantes, imo et recipientes, et occultantes furem cum rebus furtivis. §. 11. *Inst. de oblig. ex delict. l.* 48. §. 1. *et l.* 36. §. 1. *h. t.* et scienter ementes rem furtivam a fure, *arg. l.* 2. 5. *C. h. t.* 5. Inventor, et detentor rei alienae, si diligenter non inquirat in dominum *l.* 43. §. 4. *ff. h. t. Cau.* 6. *siquid.* 14, *q.* 5. Sed si post debitam diligentiam non reperiatur dominus, res profana licite, juxta aliquos, retinetur; licet securius sit eam in opera pia distrahere *l.* 43. §. 5. *ff. h. t. l.* 1. 2. *ff. pro derel.* res vero sacra praelato Ecclesiae tradenda est, 6. Religiosus, vel praelatus surripiens aliquid ex rebus monasterii peccat non tantum contra paupertatem, sed etiam contra justitiam; adeoque reus est furti. Similiter si praelatus aliter dispenset, vel aliter utatur rebus monasterii, quam sibi regula permittat, furtum committit, sicut quicumque alii administratores, S. D. 2. 2. *q.* 32. *ar.* 8. nam praelati non sunt domini, sed administratores *c.* 2. *de donat.* neque bona monasterii dicuntur esse *communia* eo sensu, quod sub nullius dominio sint;

vel quod per occupationem acquiri possint a religioso, vel praelato; sed dicuntur *communia*, quia ipsa communitas est persona ficta, et domina talium bonorum, sicut haereditas jacens *l.* 61. *pr. ff. de A. R. D.* ac proinde jus communitatis laeditur per iniquam talium bonorum usurpationem. 7. Jure Can. quasi furtum, et rapinam committit, qui beneficium Ecclesiasticum occupat sine Canonica institutione, *Can.* 10. *non furem* 7. *q.* 1. *Can.* 18. *de restit. spoliat.*

5. R. 3. Reus furti non est: 1. Creditor, qui non valens suum debitum recuperare, occulta utitur compensatione, concurrentibus aliis conditionibus, ut alias dixi. 2. Qui non manifestat furem; nisi ex officio suo ad id teneatur, *l.* 48. §. 1. *ff. h. t.* vel nisi simul esset particeps rei furtivae *c.* 4. *h. t.* 3. Qui bona fide accipit, vel detinet alienum, putans esse suum, cum desit fraudulenta contrectatio. 4. Qui domino expresse, vel tacite consentiente, rem illius aufert. Is tamen, qui incitavit servum ad aliquid domino furandum, etsi dominus consentiat ad rei ablationem, tenetur actione furti, et servi corrupti §. 8. *v. unde, Inst. de oblig. ex del. l.* 20. *C. h. t.* quia consilium fuit perniciosum; licet per accidens impeditum.

6. Q. II. *Quae, et cui dentur actiones contra fures?* R. 1. Si ex furto agatur civiliter, quatuor dantur actiones. 1. *Ad exhibendum*, quae est praeparatoria ad vindicationem. 2. *Reivendicatio* ad rem suam repetendam. 3. *Condictio furtiva* in odium furum introducta, qua petitur res, vel aestimatio rei, et totum interesse a fure, acsi iste factus fuisset dominus rei furtivae; et hae actiones sunt rei persecutoriae. 4. *Actio famosa furti;* et quidem in quadruplum; si furtum fuit manifestum: in duplum vero poenae, si furtum fuit nec manifestum: et haec est poenalis, seu poena persecutoria: hodie tamen, cum fures plerumque sint pauperes, cessat poena quadrupli, aut dupli, et in ejus locum succedit poena corporalis. Ratio horum est, quia in fure datur obligatio rem furtivam exhibendi, et restituendi; vel si res ipsa reddi nequeat, praestandi aestimationem rei cum reparatione lucri cessantis, aut damni emergentis: et ob hoc delictum datur obligatio subeundi poenam: ergo recte assignantur quatuor istae actiones contra furem.

7. R. 2. Reivindicatio, et condictio furtiva competit soli domino, ejusque haeredibus contra furem, ejusque haeredes, et furti participes *l.* 14. §. 16. *ff. h. t.* si plures sint fures, singuli tenentur in solidum: uno autem satisfaciente, ceteri liberantur *l.* 1. *C. de condit. furtiv.* et haec est *condictio certi;* qua res ipsa, vel certa ejus aestimatio petitur. At *condictio incerti*, qua petitur usus, ususfructus, possessio, et omne, quod interest, competit etiam aliis, quorum interest rem non fuisse subreptam; ut usuario, fructuario, si fructus maturi sublati sunt, creditori; si pignus ei ablatum sit, commodatario, conductori *l.* 12. §. *fin. ff. de condict. furtiv. l. fin.* §. 3. *C. h.*

tit. 2. Actio furti conceditur non tantum domino, sed omni illi, cujus interest rem non fuisse sublatam, §. 13. *Inst. de oblig. ex del. l.* 10. 11. *ff. et l. fin. C. h. t.* ut creditori, de pignore surrepto, sarcinatori, cui vestis ad resarciendum data, fulloni, cui vestis ad poliendum tradita, furto sublata est, si uterque est solvendo, commodatario, si dominus actione furti experiri nolit: non tamen depositario, nisi forsan ex culpa lata depositum ablatum fuisset; tunc enim depositarius conventus regressum habet contra furem; cum in hoc casu culpa lata non aequiparetur dolo, ob quem actio furti non conceditur depositario, *l.* 14. §. 3. *ff. h. t. arg. l.* 9. §. *fin. ff. ad L. Aq. et* §. 13. *cum seqq. Inst. de oblig. ex delict.*

8. R. 3. Si ex furto agatur criminaliter, actio furti est popularis cuilibet ex populo competens, ad hoc, ut fur puniatur ad vindictam publicam. Poena autem furis pro qualitate delicti de jure antiquo fuit verberatio, multa pecuniaria fisco applicanda, relegatio, deportatio; non tamen poena mortis, *l. fin. ff. h. t. Auth. sed. novo C. de serv. fugit. Nov.* 134. *c.* 13. *v. pro furto.* Crescente audacia furum, constituta est poena mortis; quae tamen regulariter non infligitur pro primo furto simplici, sed pro tertio; nisi consuetudo aliud habeat, vel primum furtum sit nimis grave, periculosum, seu qualificatum, *lib.* 2. *F. tit.* 27. §. *fin. et Const. Carl. art.* 159. *et seqq.* De his poenis pro praxi consule Criminalistas, Carpz. Clar. Farin. Mascard. etc. Ceterum licet etiam pro re parva moveri possit actio furti criminaliter, utpote remedium ordinarium *l.* 21. *ff. h. t. et* §. 16. *Inst. de rer. divis.* ubi auferens gallinam, dicitur furtum facere: probabilius tamen, et benignius est, pro tribus furtis non adaequantibus quinque solidos, non posse decerni poenam mortis, quia in Const. Carl. *art.* 161. statuitur, ut habeatur ratio quantitatis ablatae, et non solius numeri furtorum.

9. R. 4. De jure Can. pro foro interno fur ante ullam sententiam obligatur ad restitutionem rei ablatae, et detentae, et reparationem damnorum inde secutorum: et quidem suis sumptibus, cum injuste damnificaverit dominum rei. Haec obligatio in furto gravi est sub mortali, in furto levi sub veniali. Quae autem quantitas requiratur, et sufficiat ad costituendum peccatum mortale, mathematice definiri non potest; sed id ex circumstantiis, et conditione personarum desumi debet: et quidem duo, vel tres aurei a ditissimo, et potentissimo Rege, et principe ablati sufficiunt ad mortale, quia quantitas ista gravis reputatur, quam etiam princeps non praesumitur velle jactare, *l.* 9. *cum seq. ff. de dolo malo.* Duo, vel tres nostri floreni ab homine valde divite; a ceteris vero civibus tantum sublatum, quantum eis sufficeret in victum unius diei: ab operario duo, vel tres grossi, a mendico pauci nummi sunt materia sufficiens constituendi mortale: nam jacturam istam domini graviter ferunt. Plura de his vide in TT. Moralib. 2. In foro externo fur

Digitized by Google

condemnatus, fit infamis, et cons. irregularis, *Can.* 27. *infames*, 6. *q.* 1. occultus vero, peracta poenitentia, admitti potest ad ordines. 3. Fures excommunicari solent, praesertim ad finem revelationis; ut si intra certum praefixum tempus non restituant: vel qui sciunt, non revelent furem, sint hoc ipso excommunicati, Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.* Hac tamen excommunicatione non teneretur is, qui in extrema necessitate rem abstulit, et consumpsit; quia probabilius non tenetur ad restitutionem. 4. Clericus in notabili furto, vel iterato convictus, deponitur ab ordine, et officio *Can.* 12. *d.* 81. et si incorrigibilis sit, traditur curiae seculari, *c.* 10. *de judic.*

§. II.

Variae species Furtorum ex *lib.* 47. *et* 48. *ff.* *et lib.* 9. *Codicis.*

10. I. *Crimen tigni juncti* est, dum quis ex alieno *tigno*, hoc est ex aliena materia aedificat; ut si pro aedificio adhibeat alienos lapides, calcem, arenam, trabes etc. haec enim omnia intelliguntur nomine tigni, §. 29. *Inst. de R. D.* Qui ergo scienter, et mala fide junxit tignum alienum, tenetur actione in duplum: et insuper actione ad exhibendum, et reivindicatione, quasi dolo possidere desiisset. Hac tamen vindicatione non agitur, ut tignum exhibeatur, et restituatur, quia lex XII. Tabb. aedificia solvi prohibuit, sed ut pretium rei solvatur. Qui vero bona fide junxit tignum furtivum, tenetur solum actione dupli; qua probabiliter etiam tenetur, qui bona fide junxit tignum alienum non furtivum; quia alterum simplum non est poena, sed quaedam compensatio facta domino, qui cogitur carere tigno suo: ita *tit.* 3. *ff. de tigno juncto, et* §. 29. *Inst. de R. D.*

11. II. *Crimen in haereditatem* committitur a servo, qui testamento liber esse jubetur, si quid dolo malo, vel culpa lata ex haereditate nedum adita surripiat, vel corrumpat. Talis servus tenetur actione praetoris in duplum, et reivindicatione ad similitudinem furti: et si plures servi peccarunt in haereditatem jacentem, singuli in solidum duplum tenentur: nec unius poena praestat alteri impunitatem: ita statuitur, *tit.* 4. *ff. Si is, qui testamento etc.*

12. III. *Crimen furti adversus nautas, cauponas, et stabularios.* Si alicui in navi, caupona, vel stabulo furtum factum est a servis, vel famulis exercitoris navis, cauponae, aut stabuli, ex furto eorum tenetur dominus; eique, cui furtum factum est, optio datur, vel agere actione praetoria contra dominum principalem, vel actione civili furti contra famulos. At si furtum factum sit ab aliis hominibus viatoribus, et hospitibus, contra hos tantum agendum est, non contra dominum navis, cauponae, et stabuli; nam furtum famulorum, et servorum imputatur domino, quia opera malorum hominum utitur; non vero furtum ab aliis commissum: ita haec statuuntur, *tit.* 5. *ff. furti adversus nautas etc. et* §. *fin. Inst. de oblig. ex quasi del*

Digitized by Google

13. IV. *Furtum a familia*, seu servis *commissum*, *ignorante domino*, punitur poena dupli praeter simplum condictionis; nisi dominus malit servos noxae dedere, *tit.* 6. *ff. Si familia furtum fecisse dicetur.*

14. V. *Arborum furtim caesarum* crimen committitur, dum quis clam, ignorante domino, arbores caedit, cingit, seu deglabrat, aut decorticat, ex quo arbores emori solent. Variae hic concurrunt actiones: 1. Actio arborum furtim caesarum in duplum. 2. Actio furti, si ligna caesa auferantur fraudulenter. 3. Actio Legis Aquiliae, si adsit animus injuriandi. 4. Actio locati, si colonus caedat. 5. Actio latrocinii ad vindictam publicam, quia hi, qui arbores, et maxime vites, caedunt, tanquam latrones puniendi sunt. Una ex his actionibus electa, ceterae consumuntur, excepto eo, quod ex aliis actionibus in plus obtineri potuit. Evellens radicitus arborem, hac actione non tenetur; bene vero ex Lege Aquilia: ita haec omnia habentur *tit.* 7. *ff. arborum furtim caesarum.*

15. VI. *Crimen concussionis* fit, dum quis injustum timorem incutit pecuniae, vel alterius rei extorquendae causa. Quod ita extortum est, restitui debet, et concutiens arbitrarie punitur. Si quis minatus est alteri crimen imponere pecuniae extorquendae causa, publico judicio damnatur ad poenam corporalem *tit.* 13. *ff. de concussione.*

16. VII. *Crimen abigeatus* committitur ab eo, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahit, seu abigit, et quodammodo depraedatur. *Armenta* dicuntur majora animalia; ut boves, et equi, sub quibus etiam sunt jumenta, ut muli, cameli, asini. *Grex* constat minoribus pecoribus; ut ovibus, capris, suibus, quae gregatim pascuntur. Tunc autem quis censetur abigens, dum ex minoribus pecoribus totum gregem abigit, seu surripit; puta oves saltem decem, et porcos quinque, vel quatuor; vel qui hanc artem exercet saepius, v. g. ter, quater unam, aut alteram ovem, abducendo. Ex majoribus, seu armentis sufficit ad abigeatum unum pecus abduxisse: non tantum ex agro, sed etiam o domo, aut stabulo: si quis vero bovem in solitudine errantem abducat, fur potius est, quam abigens. Hodie abigei puniuntur ut fures; et quidem laqueo, si citra effractionem: gravius vero, si cum effractione abigeatum commiserunt: imo ut latrones, et grassatores plectuntur, si gladio, et armis abegerunt. Olim pro qualitate delicti puniebantur relegatione, gladio etc. Vide *tit.* 14. *ff. de Abigeis, et tit. C. eod.*

17. VIII. *Crimen receptationis* fit, dum quis furem, seu alium maleficum recepit in suo, vel alieno, cumque occultat. Receptator pari poena punitur cum malefico, quia in pari est culpa: mitius tamen, si propinquum occultavit, *tit. ff. et C. de receptatoribus.*

18. IX. *Furtum balnearium* fit ab iis, qui furantur vestimenta ingressorum in balnea. Fures balnearii gravius puniuntur extra ordinem pro qualitate delicti; quia gravior poena statuenda, ubi facilis est copia furandi, *tit.* 17. *ff. de furib. balnear.*

19. X. *Crimen effractionis* est, dum

a furibus fores, et parietes violenter perfringuntur diripiendi causa. *Crimen expilationis* est, dum praedones alienas aedes, aut villas expugnant, et spoliant. *Effractores, et expilatores*, cum sint attrociores fures, gravius puniuntur: hodie ultimo supplicio exasperato, uti et effractor carceris. Item pro qualitate delicti puniendi sunt *Saculari*, seu *Sacellarii*, qui artificiose pecuniam e saccis subtrahunt. *Directarii*, seu *derectarii*, aut *dietarii*, qui in alienam domum se dirigunt, et ingrediuntur. *Apertuarii*, quibus nihil ita obseratum est, quod non aperiant, *tit. ff. de effractorib.*

20. XI. *Crimen expilatae haereditatis* est, dum quid surripitur ex haereditate jacente. Et quamvis surreptio ista theologice sit furtum; in jure tamen civili non dicitur *furtum*, sed crimen expilatae haereditatis, quia non accipitur defuncto, qui non extat: nec haeredi, qui necdum adivit, et apprehendit possessionem, *l. 13. ff. de acq. poss.* Hoc crimen committitur a solis extraneis: non a cohaerede, qui tenetur judicio familiae herciscundae· neque ab uxore, quae tenetur actione rerum amotarum, bene vero a vitrico, vel noverca, si quid rapiant ex haereditate privigni, aliunde quam a patre, vel matre delata, *l. 2. C. 3. de crim. expil. haered.* Punitur hoc crimen extraordinarie, hodie extraneus haereditatem expilans, laqueum non evadet, cum per *l. 1. §. 1. ff. de effractor* expilatores sint atrociores fures. Vide *tit. ff. et C. expilatae haered.*

21. XII. *Crimen termini moti* est, dum quis dolose terminos, seu limites fundorum mutat, vel ut praecise alteri noceat, vel ut aliquid de fundo alieno detractum suo addat. Et quidem terminos propellens, fundi sui dilatandi causa, pro qualitate personae, et aetatis punitur corporaliter verberatione, relegatione, condemnatione ad opus publicum, *l. 1. ff. de termino moto. Const. Carol. art.* 114. item tenetur ad restitutionem termini, et reparationem damni illati. Si vero extraneus terminos movit, ut litem inter confines excitaret, tenetur actione populari in 50. aureos ex L. Agraria C. Caesaris: servus vero, vel ancilla id faciens, capitali poenae subest ex L. Divi Nervae, nisi dominus multam sufferre maluerit *l. fin. eod.* Actio *termini moti*, seu *legis Agrariae*, utpote ex delicto descendens, non transit contra haeredes, nisi ejusdem criminis sint rei; sed si quid ad eos pervenit, tenentur sola actione ad exhibendum, rei vindicatione, vel condictione, prout res se habet, *l. 1. ff. de privat. delict.* Vide *tit. ff. de termino moto.*

22. XIII. *Crimen repetundarum*, puta pecuniarum est, dum magistratus, vel officialis publicus pecunias sordide accipit ob judicandum, vel decernendum; et generaliter ob praestandum id, quod ex officio suo praestare debet, vel contra ob non faciendum id, quod faciendum foret. Crimen hoc ex L. Julia repetundarum, quae voluit magistratus ab omni sorde puros esse, punitur poena quadrupli, ita ut exacta pecunia, seu quodcumque munus in quadruplo restituatur, *l. 1. C. ad*

Digitized by Google

L. Jul. repetundar. donatum ex hac causa usucapi non potest; venditio, locatio ex simili causa facta pluris, vel minoris, est irrita *l.* 8. *ff. eod.* et pro qualitate delicti reus interdum extra ordinem punitur *l.* 7. *in fin. ff. eod.* Movetur actio ista etiam contra dantem, cum et dare ob talem causam turpe sit; et contra haeredem intra annum, cum turpia lucra non sint imputanda haereditati, *l.* 2. *ff. et l.* 4. *C. eod.* Durante officio, non instituitur hoc judicium, nisi contra praesides, seu gubernatores provinciarum, si judicia venalia faciant *l. fin. C. eod.* Si olim etiam apud ethnicos tam detestabilis fuit acceptio pecuniae pro exercendo actu officii publici, quanto magis cavenda erit magistratibus christianis: et praesertim Ecclesiasticis. Vide dicta *lib.* 1. *tit. de off. Jud.* Agitur de hoc crimine publico *tit. ff.* et *C. ad L. Juliam repetundarum.*

23. XIV. *Crimen peculatus* est furtum pecuniae publicae, seu fiscalis ad rempubl. seu principem pertinentis: vel furtum rei sacrae, quod proprie dicitur sacrilegium. Si quis municipio, seu civitati inferiori pecuniam surripiat, furtum est, non peculatus, *l.* 15. *ff. de V. S. l.* 81. *ff. de furt.* Nomine *pecuniae*, venit omnis res ad aerarium principis pertinens *arg. l.* 4. *§. fin. ff. ad L. Jul. pecul.* Committitur hoc crimen variis modis; ut si pecunia publica principis superiorem non recognoscentis surripiatur, vel res sacra, quia sacra sunt publica; vel si quis in tabulis publicis minorem summam scripsit, vel effractis muris, aut portis civitatis aliquid inde abstulit, *l.* 4. 10. 11. *ff. eod.* 2. Judicium peculatus est publicum ex L. Julia peculat. et si pecunia fisco incorporata fuit surrepta, est poena pecuniaria quadrupli; alias dupli, si surrepta est pecunia fisco debita, sed non incorporata *l.* 6. 13. *ff. ad L. Jul. pecul. l.* 7. 8. *C. de jure Fisc. l.* 1. *C. de his, qui ex publ. rat.* altera poena est deportatio, hodie ultimum supplicium, quo etiam puniuntur magistratus, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, et hi, qui eis ad hoc ministerium exhibuerunt, vel pecunias ab eis subtractas scienter receperunt, §. 9. *de publ. jud. l. un. C. de crim. peculat.* 3. De jure Can. clerici, qui bona Ecclesiae sibi appropriant, vel alienant, tanquam rei peculatus excommunicantur, nisi celeriter restituant *c.* 6. *de reb. Eccl. alien.* et si restituere non possint, deponuntur, *Can.* 35. *Diaconi,* 12. *q.* 2. *Far.* Vide *tit. ff. ad L. Jul. peculat. et tit. C. de crim. peculat.*

24. XV. *Sacrilegium* est crimen, quo res sacra e loco sacro, vel res sacra e non sacro, vel res non sacra, attamen Ecclesiae concredita, de sacro fraudulenter aufertur. *Can.* 21. *§. similiter* 17. *q.* 5. Est hoc crimen mixti fori, et ex eadem L. Julia punitur extraordinarie pro qualitate furti usque ad poenam capitis; qualis etiam est deportatio, et damnatio ad metallum §. 2. *v. capitalia de publ. judic. l.* 6. *pr. et l.* 9. *ff. ad L. Jul. pecul.* hodie fures sacrilegi pro qualitate delicti puniuntur suspendio, vel igne. De jure

Digitized by Google

Can. sacrilegus dare debet 30. libras purissimi auri, fit infamis, et si res Ecclesiae non vult restituere, excommunicatur, donec se corrigat, *Can.* 21. *indigne* 12. *q.* 2. Vide *l.* 1. 4. 5. 6. 9. *ff. ad L. Jul. pecul. et de sacrilegis; et de residuis.*

25. XVI. *Crimen de residuis* est, quo tenetur magistratus, qui pecuniam publicam in certum usum destinatam retinet, neque eam fisco, seu aerario infert. *l.* 2. 4. §. 4. *ff. ad L. Jul. pecul.* ubi huic delicto, praeter infamiam, dictatur poena, ut damnatus tertia parte plus, quam debet, fisco inferat, sive pecuniam publicam in suum usum converterit, sive non converterit in illum usum, ad quem fuit destinata. Hodie poena est arbitraria, non vero suspendii, quia officiales publici non tam furantur, quam perfide agunt, et pecuniam suo periculo administrant, *l.* 9. §. 2. *ff. eod. et l.* 55. §. 1. *ff. de admin. tutor. l.* 6. *ff. de publican. et vectib.*

26. XVII. *Plagium* est crimen publicum, quo liber homo, vel servus alienus furtim abducitur animo illum celandi: seu est furtum liberi hominis, aut servi alieni. Plagiarii ex L. Fabia de plagiariis puniuntur pro qualitate delicti poena pecuniaria, exilio, damnatione ad metalla; et aliquando gladio, si venditor scienter emptori scienti liberum hominem vendiderit. Vide *tit. ff. C. ad L. Fabiam de plagiar.* De jure Canon. plagiarii acriter puniendi sunt; non tamen morte, quam Ecclesia infligere nequit. Nec obstat textus *Exod.* 21. *v.* 17. relatus *c.* 1. *h. t.* nam quoad mortem corporalem hodie non tenet; bene vero quoad spiritualem, puta excommunicationem, licet secularis judex morte punire possit plagiarium.

TITULUS XIX.

De Usuris.

Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. *h. tit.* in Decreto *dist.* 46. *et* 14. *q.* 36. in Pandectis *lib.* 22. *tit.* 1. in Codice *lib.* 4. *tit.* 32. De mutuo agitur in Institution. *lib.* 3. *tit.* 15. *pr.* in Pandectis *lib.* 12. *tit.* 1. in Codice *libr.* 4. *tit.* 1. 2. *Nov.* 106. 110 121. 136.

Cum usura sit filia mutui, et de hoc in jure Can. nullus specialis titulus habeatur, non erit inconveniens prius de mutuo, deinde de usuris tractare.

§. I.

De Mutuo.

1. *Nota* mutuum *objective* accipi pro ipsa re mutuo data; *effective*, seu *consecutive* pro jure, et obligatione ex mutuo descendentibus. *Formaliter* vero pro contractu; qua ultima acceptione mutuum est *contractus realis stricti juris, quo res fungibilis in alterum transfertur ea conditione, ut res ejusdem generis, quantitatis, et qualitatis, seu bonitatis restituatur:* ita in re com. ex *l.* 2. §. 1. *ff. de rebus credit. Dicitur* 1. *realis,* quia mutuum non contrahitur, nisi ex traditione rei. *Dicitur*

2. *stricti juris*, quia, cum mutuum §. 28. *Inst. de action.* non numeretur inter contractus bonae fidei, sequitur illud esse stricti juris, ut judex secundum terminos conventionis teneatur judicare. *Dicitur* 3. *res fungibilis*, seu usu consumptibilis; cujusmodi sunt res *pondere*, *numero*, *et mensura* constantes, ut lana, pecunia, vinum, oleum etc. oves tamen, boves, equi, et similia animalia non constituunt materiam mutui, cum eorum usus non consistat in abusu, *l.* 68. §. *fin. ff. de usufr. Dicitur* 4. *ut res ejusdem generis etc.* nam obligatio mutuarii est, non ut restituat eamdem *speciem*, seu philosophice loquendo, *idem corpus individuum*, sed idem genus, seu rem similem in eadem quantitate, et qualitate: ut triticum pro tritico, vinum pro vino, lanam pro lana etc. ita ut tantum, et tam bonum restituatur, quantum, et quam bonum mutuo datum fuit. In pecunia id speciale est, quod non attendatur corpus, seu materia, sed valor publicus, et aestimatio, ut dixi *libr.* 3. *tit. de censib.* Ex his discrimen habes mutui a commodato, locato, deposito, in quibus dominium rei non transfertur in accipientem, sed idem corpus, seu individuum rei restitui debet: secus est in mutuo.

2. Q. I. *Qui possint mutuum dare?* R. 1. Omnes liberam rerum administrationem habentes, nisi specialiter prohibeantur: nam contrahere est libertatis. Unde etiam servus, et filiusfam. pecuniam peculiarem, et fur pecuniam ex re furtiva redactam mutuam dare potest, *l.* 7. *ff de R. C.* quia licet res furtiva fuerit, tamen pecunia inde redacta non est furtiva. Prohibentur autem mutuum dare: 1. Pupilli, et minores sine auctoritate tutoris, et curatoris, *l.* 12. *et* 19. *eod.* 2. Filiusfam. rem patris, et servus rem domini *l.* 11. *c. in fin. eod.* 3. Praesides provinciarum *l.* 33. *eod.* quia negotiatio eis prohibetur. Denique omnes illi, quibus pacisci, et contrahere prohibitum est a natura, vel jure.

3. R. 2. Si mutuum bona fide acceptum est a persona inhabili, et bona fide consumptum, mutuum convalescit, et pecunia, seu res consumptione acquiritur accipienti: ita comm. Exempla habes in *l.* 12. 13. 19. *ff. de R. C.* ubi mutuum a furioso, servo, pupillo datum convalescit consumptione bona fide facta. Quod etiam procedit in solutionibus, et liberationibus; ut si debitor alienam pecuniam dedit, et creditor eam bona fide consumpsit; tunc enim consumptione facit suam *l.* 78. *et* 94. *ff. de solution.*

4. R. 3. Fictione juris censetur mutuum dedisse: 1. Qui dedit speciem, seu corpus, v. g. poculum aureum, ut ex ejus distractione pecunia esset mutua, *l.* 11. *pr. ff. de R. C.* licet de rigore juris non esse mutuam dicat Africanus, *lib.* 34. *ff. mandati* 2. Qui pecuniam sibi debitam jussit ab altero accipere, quasi sibi cessam in mutuum, *cit. lib.* 34. quia delegans debitorem, videtur mutuum dare, et per fictionem brevis manus tradere, *lib.* 18. *ff. de fidejussor. et l.* 15. *ff. de R. C.* 3. Qui deposita pecunia permittit uti depositarium, *l.* 9. §. *fin. cod.* quia hic consensus vim

habet traditionis, *arg.* §. 44. *in. de rer. divis.* 4. Qui suam pecuniam dat nomine tertii absentis, et ignorantis, v. gr. Titius nomine Caij credit pecuniam Sticho: quo casu Cajus fingitur pecuniam credidisse, *l.* 9. §. 8. *ff. de R. C.* quamvis enim alteri per alterum obligatio non acquiratur actu civili, uti est stipulatio, *l.* 38. §. 17. *ff. de V. O. et* §. 5. *In. per quas pers.* acquiri tamen potest actu naturali, uti est mutuum, *l.* 126. §. 2. *ff. de V. O. l.* 3. *C. per quas person. l.* 6. *C. de condict. indeb.* A fortiori id procedit, si quis pecuniam nostram nomine nostro det mutuam *l.* 4. *C. si cert. petat.*

5. Q. II. *Qui, et quomodo obligentur ex mutuo?* R. 1. Omnes obligantur, et tenentur condictione certi, aut incerti, qui ex contractu obligari possunt. Hinc pupilli sine auctoritate tutoris non obligantur, nisi facti sint locupletiores, *l.* 3. *pr. ff. commodat.* Dominus ex mutuo servi, aut procuratoris non obligatur, nisi voluntate domini censeatur mutuum acceptum; ut si dominus mandatum dedit, si servum negotiationi, vel pecuniis foenerandis, et accipiendis praeposuit.

6. R. 2. Collegium, seu universitas, v. g. civitas, Ecclesia, monasterium non aliter obligatur ex mutuo per administratores accepto, nisi probetur in utilitatem ejus conversum fuisse, *lib.* 27. *ff. de R. C.* ne scilicet Ecclesia per fraudem, et iniquitatem administratorum laedatur, et aere alieno gravetur. Nec sufficit, quod mutuum acceptum sit cum consilio, et consensu seniorum, vel quod in instrumento exprimitur causa necessitatis, et utilitatis: nam haec omnia fraudibus subsunt in gravamen communitatis, et senioribus nullo jure permissum est disponere circa res, et gravamina communitatis. Secus esset si adesset consensus totius civitatis, capituli, aut monasterii, saltem capitulariter a majori parte datus: tunc enim communitas ex mutuo accepto censetur obligata, *c. pen. de. fidejussor.* Porro in casu priori, cum communitas intentionem suam habeat fundatam in jure, onus probandi mutuum fuisse conversum in utilitatem communitatis, incumbit creditori tamquam actori, *l. un. Cod. de solut. et liber. debit. civil. libr.* 11. *et Auth. hoc jus in fin. Cod. de SS. Eccles.* Vide meas *Disput. Civ. disput.* 11. *controv.* 3.

7. R. 3. Filiusfam. ex pecunia mutuo accepta mero jure obligatur: ita comm. eorum, qui non tantum bene sentiunt, sed etiam bene loquuntur: licet aliqui non penetrata natura *obligationis, et exceptionis*, perperam dicant filiumsfam. nullo modo obligari; nam exceptio juris, proprie talis, supponit obligationem, et actionem, cujus est elisio *pr. Inst. de except. l.* 2. *pr. ff. de exception.* Sed filiofam. contra foeneratorem competit exceptio SCti Macedoniani, *l.* 1. 9. §. 4. *ff. de SCto Maced.* ergo filiusfam. ex mutua pecunia est mero jure obligatus: tum quia SCtum hanc obligationem non tollit, sed expresse asserit, *lib.* 10. *cod. l.* 19. *quia naturalis obligatio manet:* neque ne-

cesse fuit eam tollere, quia stante tali obligatione, finis totius SCti obtinetur. *Dices: l. 1. eod.* negatur actio creditori, seu foeneratori; ergo nulla est obligatio in filosfam. R. Actionem negari non ideo, quia mero jure non competit, sed quia ei obstat notoria exceptio SCti Macedoniani.

8. R. 4. Filiofam ejus patri, et fidejussori competit exceptio perpetua SCti Maced. ad hoc praecise, ne teneantur solvere mutuam pecuniam a filiofam. acceptam: ita *lib. 1. d. t.* Ratio hujus saluberrimi SCti fuit, ne filiorum mores per pecuniam, et luxum depravarentur in maximum detrimentum reip. et desolationem parentum; et ne filii aere alieno gravati optarent mortem parentum, eorumque vitae insidiarentur, ut a contractis debitis liberarentur.

9. Quae rationes cum concernant bonum publicum, et favorem tertii, seu parentum, suadent, quod filiusfam. neque juramento renunciare possit huic SCto Maced. ex doctrina, *cap.* 28. *de jurej. c.* 2. *de pact. in* 6. *et reg.* 58. *in* 6. *non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.* Idem suadent, quod exceptio ista SCti Maced. prosit non tantum in foro externo, sed etiam interno; quia secus non obtineretur finis SCti, cum eadem mala perseverarent. Fusius ista vide in meis *disp. civ. disp.* 15. *controv.* 2. 3. 4. Porro hoc SCtum introductum est in odium foeneratorum; et ideo nomen accepit a celebri foeneratore Macedone: licet alii nomen hoc derivent a quodam juvene macedone, qui aere alieno gravatus, et longam patris vitam pertaesus, eumdem occidit.

10. R. 5. SCtum Macedon. cessat in casibus expressis, *lib.* 2. 3. *d. tit.* ut si filiusfam. pro castrensi peculio pecuniam petiit, si patremfam. se finxit, si alium contractum inivit, ut venditionis, locationis, mutui aliarum rerum praeter pecuniam etc. nisi id fieret in fraudem SCti, ut si foenerator triticum venderet, ut ex eo mox vendito filiusfam. numeratam pecuniam haberet etc. 2. Cessat, si filius emancipatus, vel pater debitum solvit: ita ut solutum repetere non possint, *l.* 9. §. 4. *d. t.* tum quia SCtum factum est ad non solvendum, non vero ad solutum repetendum; tum quia obligationem mutui non sustulit, neque foeneratores punire voluit repetitione soluti: tum quia facta solutione, cessat finis SCti, scil. depravatio morum, et insidiae vitae paternae. Si tamen filius in patria potestate constitutus solvit, pater solutum repetere potest, si nummi extent, *lib.* 9. §. 2. *h. tit.* secus si bon. fid. a creditore consumpti sint *lib.* 14. *ff. de R. C.* Si tandem pater solvere incepit, tenetur integrum debitum solvere, quia censetur debitum filii approbasse *l.* 7. §. 15. *ff. et l.* 2. *C. ad SC. Maced.*

§. II.

De Crimine Usurae.

11. *Nota* 1 *Usurae* nomine significari *usum;* et quandoque *fructum* ex re provenientem: sed in jure usura

proprie objective sumpta, est *lucrum ultra sortem*, seu *quantitatem mutui*, et formaliter sumpta est *conventio de lucro dando ultra sortem praecise ex vi, et causa mutui*; sive lucrum istud consistat in pecunia, sive in alia re pretio aestimabili; ut vino, labore, obsequio etc.

12. *Nota* 2. Usuram dividi: 1. *In compensatoriam, moratoriam, et lucratoriam. Compensatoria* est illud lucrum, quod accipitur in compensationem ejus, quod nobis abest, puta ratione lucri cessantis, damni emergentis, expensarum, periculi in amittenda sorte etc. *Moratoria*, seu *punitoria*, est illud lucrum, quod accipitur per modum poenae conventionalis ob moram culpabilem in solvendo commissam. *Lucratoria* est lucrum ultra sortem praecise ex causa mutui. Et haec est propria usura, non vero duae priores: quia non proveniunt ex titulo, seu causa mutui, sed ex aliis causis. 2. In *internam*, quae in sola mente consummatur: et *externam*, quae prodit in opus exterius. 3. In *mentalem, conventionalem, et realem*, ad similitudinem simoniae. Mentalis est, dum ex mutuo dato intenditur aliquod lucrum ex justitia dandum; attamen sine praevio pacto. *Conventionalis* est, dum praevio pacto petitur aliquid ultra sortem mutui: et si hoc lucrum re ipsa detur, est usura *realis*, et *completa*. 3. In *expressam*, seu *formalem*, quae fit disertis verbis: et *tacitam*, seu *virtualem*, quae fit pacto implicito in factis, aut verbis relucente. Vocatur *palliata*, ut si mercem constantem 90. vendas 100 ob dilationem pretii intra annum; vel si dicas: do tibi centum mutuos, confidens eos vacuos non redituros.

13. *Nota* 3. Varios assignari titulos aliquid petendi ultra sortem; uti est titulus lucri cessantis, damni emergentis, periculum sortis amittendae, si sit extraordinarium, et proximum: assecuratio, seu periculum sortis a creditore susceptum, mora culpabilis. Item obligatio non petendi ad certum tempus, labor numerandi pecuniam etc.

14. Q. I. *An usure ex genere suo sint malae, et illicitae?* R. Affirmative. ita Catholici cum S. Thom. 2. 2. *quaest.* 78. *art.* 1. nam inspecta rerum natura, illicitum est capere lucrum ex re aliena; ut si ex horto vendito, aut permutato lucrum habere velis; sed in mutuo res fit aliena, scil. mutuatarii, ergo ex tali re illicitum est lucrum capere; tum quia vendere id, quod non est, ex genere, et natura sua est illicitum; sed in mutuo usurario venditur id, quod non est, scil. usus rei fungibilis, qui tamen non est distinctus ab abusu, cum non possimus uti, v. gr. vino, aut pecunia, quin abutamur; ergo: tum denique quia contractus, in quo deficit aequalitas, ex natura sua est illicitus; sed in mutuo usurario deficit aequalitas: nam creditor dat, v. gr. centum cum potestate abutendi, seu consumendi rem fungibilem; mutuatarius vero praeter centum cum simili potestate abutendi reddere debet quinque, sex, vel decem, qui excessus ponit inaequalitatem dati, et recepti; ergo. Ex quo patet, usuras ex natura sua, seu de jure na-

turali, secluso omni jure positivo, esse illicitas; adeoque omni hominum generi prohibitas. Jam conformiter juri naturali usurae prohibentur *jure divino*, Deuter 23. *v.* 19. *non faenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam*, Exod. 22. *vers.* 25. Ezech. 18. *v.* 10. etc. Luc. 6. *vers.* 35. *mutuum date, nihil inde sperantes :* et ideo Alex. III. *cap.* 3. 4. *h. tit.* dixit usuras esse condemnatas utriusque testamenti pagina: nam licet *mutuum dare* sit consilii; tamen si datum fuit, est praecepti, ut nihil inde speretur, hoc est, ex justitia accipiatur, S. T. Thom. *c. l. ad* 4. Prohibentur etiam usurae *jure Can.* ut *Can.* 43. *Apost. Can.* 18. *Conc. Nicaen. Can.* 1. *et seq.* 14. *q.* 3. et toto *h. tit.* Unde in *Clem. unic.* §. *fin. h. tit.* dicitur tanquam haereticus puniendus. qui pertinaciter affirmare praesumpserit, exercere usuras, non esse peccatum. De *jure civili*, licet usurae toleratae fuerint ad majora mala praecavenda nullibi tamen positive approbantur, ut licitae, sed potius condemnantur a Justin. *Nov.* 131. *c.* 1. ubi jubet regulas, seu Canones IV. Concil. observari: constat autem *Can.* 18. Conc. Nicaeni prohiberi usuras, ut refertur *Can.* 2. *d.* 46. et Carol. V. an. 1530. expresse in sua const. prohibet usuras. *Dices:* 1. Pro usu vasis aurei potest pecunia accipi; ergo etiam pro usu, seu jure utendi pecunia. 2. Pecunia, et opera hominis aequiparantur, *l.* 5. §. 1. *ff. pro socio:* sed pro opera hominis potest lucrum exigi: ergo etiam pro usu pecuniae. R. Neg. cons. nam usus vasis est distinctus, et separatus a corpore, seu substantia vasis: et cum sit pretio aestimabilis, pecunia locari potest; e contra usus pecuniae est ejusdem abusus, neque separatur a dominio, et cons. ob inaequalitatem, et injustitiam nihil peti potest pro usu pecuniae, nisi per accidens pecunia locetur, v. g. ad ostentationem, delectationem oculorum, pompam, et splendorem, ut eadem numero pecunia restituatur: quo casu, cum non celebretur mutuum, sed locatio conductio, neque usus consistat in abusu, nihil prohibet aliquid accipi pro locato usu pecuniae, utpote suo domino fructificantis, S. Thom. *loc. cit. ad* 5. *Ad* 2. Pecunia, et opera hominis secundum quid aequiparantur in ordine ad contractum societatis, ubi lucra negotiationis, et damna sunt communia; at in mutuo, ubi idem genus restituitur, non est aequiparatio, quia opera hominis ex se est frugifera, non vero pecunia, cum praeter naturam sit, ut nummus nummum pariat, Arist. 1. *Polit. cap.* 7. Ceterum, quae hic objici solent, ex dicendis solventur, et jam soluta sunt a S. D. *loc. cit. art.* 1. et 2. et apud Cajet. *ibid.*

15. R. 2. Usura censetur committi in seqq. casibus. 1. Quoticscumque mutuatario imponitur extranea obligatio justitiae ad aliquid dandum, vel faciendum, v. g. ut ratione mutui aliquid pendat ultra sortem, obsequia praestet, injuriam, debitum, vel aliam obligationem remittat, preces, intercessiones, et commendationes interponat, officium, vel beneficium procuret; sit in futurum obligatus mutuum dare etc. nam haec omnia sunt pretio aestimabilia, et ultra sortem exi-

guntur. E contra non est usura, si a petente mutuum petas de praesenti aliud mutuum, et sub conditione hujus dare velis mutuum: nam hic nulla obligatio mutuatario imponitur, sed praecise unum beneficium mutui offertur alteri, si et iste simile beneficium vult praestare. Secus esset, si daretur mutuum, ut alter suo tempore obligatus foret aliud mutuum dare: hic enim nova obligatio ei imponeretur.

16. II. Si creditor ratione mutui petit aliquid determinatum ex gratitudine, et benevolentia praestandum, est usura, et oppositam propositionem *num.* 42. damnavit Innoc. XI. nam tali casu alteratur obligatio gratitudinis, quae indeterminata est, et transit in obligationem justitiae, ut in simili casu dixi *tit. de Simon. num.* 7. At si quid sine ullo pacto offerretur ex obligatione pure antidorali; vel si creditor sub sola spe aliquid obtinendi, vel conciliandi sibi benevolentiam mutuatarii, eidem daret mutuum, nulla esset usura; quia nullum gravamen justitiae imponeretur mutuatario.

17. Q. II. *An usurae possint ex certis causis cohonestari, ut sint licitae?* Quaestio ista non procedit de usuris formaliter talibus, quae nunquam cohonestari possunt: quia peccatum ut tale, nunquam potest esse honestum; sed procedit de usuris materialiter spectatis, an scil. materia usurarum subduci possit a praecepto naturali non foenerandi, ita ut ab eo subducta possit esse materia, seu objectum actus boni, et liciti: quo sensu solemus loqui de cohonestatione furti, homicidii, fornicationis etc. et in hoc sensu.

18. R. 1. Affirmative: nam materia usurarum non est ita intrinsece mala, sicut materia mendacii, haeresis, etc. ut in nullo casu variari possit, sed cum subest dominio divino, et variis circumstantiis, ita purificari potest, ut id, quod supra sortem accipitur, juste, et licite accipiatur, ut patebit ex dicendis, ergo.

19. R. 2. Usura cohonestatur, si Deus det jus petendi, et accipiendi aliquid ultra sortem: nam Deus, cum sit dominus omnium, potest ex bonis alienis alteri aliquid attribuere; ergo et illud lucrum ultra sortem mutui. Hoc modo usurae, quas hebraei a gentibus exigebant, dicuntur fuisse licitae, quia hebraei ex voluntate divina lucra ista, tanquam res sibi debitas vindicabant *Can. fin.* 14. *q.* 4. *et Can.* 12. *dixit.* 14. *q.* 5. S. D. tamen dicit usuras istas fuisse solum permissas, non vero licitas, 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 2.

20. R. 3. Usurae moratoriae, seu punitoriae, sunt licitae ex conventione, dummodo sint moderatae, et mora fuerit culpabilis in solvendo, praefixo termino competenti: ita com. DD. nam exactio poenae conventionalis propter moram culpabilem utroque jure approbatur in contractibus *l.* 14. *C. de pactis, lib.* 23. *ff. de O. et A. l.* 13. §. 26. *ff. de action. empt. lib.* 15. *C. h. t. et c.* 4. *et* 9. *de Arbitr.* ergo et in mutuo; cum lucrum hoc poenale non exigatur ratione mutui,

Digitized by Google

sed ratione morae culpabilis. His non obstat *l.* 44. *ff. de usuris et fruct. l.* 15. *C. h. t. et Can.* 11. *fraternitas* 12. *q.* 2. *et Can.* 1. 4. 5. 8. *caus.* 14. *quaest.* 4. nam jura civ. loquuntur de poena excessiva: Canones vero clericis prohibent poenalia lucra ob indecentiam, ne videantur lucris turpibus inhiare.

21. R. 4. Usurae compensatoriae sunt licitae: 1. *Ex titulo damni emergentis*, S. D. *l. c. a.* 2. *ad* 1. seu ratione jacturae, quam patitur creditor ex mutuo dato; ut si nequeat aedes ruinosas reficere, si cogatur postea frumentum, aut vinum carius emere, vel aliunde mutuum accipere cum usuris: nam damnum suum quilibet licite vitare potest; ergo si creditor ex mutuo damnum patiatur, illius compensationem petere potest; dummodo super tali damno pactum liberum praecesserit, et mutuum sit causa hujus damni.

22. II. *Ex titulo lucri cessantis* pro quantitate spei consequendi lucrum: nam creditoris interest, ne tempore illo, pro quo mutuum dedit, suo lucro quaerendo privetur: ergo loco lucri cessantis aliquid peti potest, ut insinuat JCtus, *l.* 60. *ff. pro socio*; dummodo spes certa, vel probabilis lucri manifestetur mutuatario, et mutuum sit causa, cur cessat negotiatio, et lucrum moraliter praesens: secus si lucrum plane sit incertum, S. D. *cit. a.* 2. *ad* 1.

23. III. *Ex titulo periculi* admittendae sortis, si periculum sit extraordinarium, et proximum, nisi aliunde caveatur de sorte: ita Sylv. Reiff. cum citt. contra Nav. Sot. Wading. et alios: nam tale periculum, quod creditor subit, est pretio aestimabile, sicut in fidejussione, *lib.* 19. §. 1. *ff. de donat.* et in casum, quo res tempore solutionis minus sit valitura, *lib.* 5. *princ. ff. de naut. foen. cap.* 6. *h. t.* ergo ratione hujus periculi licet aliquid ultra sortem petere. Favet huic sententiae S. D. *Opus* 73. *de usur. quaest.* 10. et ita videntur excusari mercatores a peccato, qui aliquanto pluris vendunt merces in creditum illis personis, a quibus vix aliquid accipiendum prudenter timent; atque ita exponunt se periculo amittendae sortis, seu justii pretii. Nec obstat, *cap.* 6. *h. t.* nam in priori parte damnatur conventio plus petendi ob dilatam solutionem; non vero ob periculum amittendae sortis.

24. IV. *Ex titulo assecurationis*, dum creditor in se suscipit periculum pecuniae, v. g. per mare trajiciendae, ita ut si deperdita fuerit, debitor ad nihil teneatur: si vero salva ad locum conventum pervenerit, aliquid pro magnitudine periculi ultra sortem tribuatur, S. D. *Opusc.* 73. *de Usur. q.* 9. nam hic duo sunt contractus: *mutui*, ex quo nihil petitur, et contractus *assecurationis*, quo creditor in se suscipit periculum sortis: haec autem assecuratio, quam gratis nemo tenetur praestare, est pretio aestimabilis, ergo ratione ejus aliquid peti potest: unde jure civili approbatur *nauticum foenus tit. ff. et C. de nautico foenore*, et quamvis jura loquantur de periculo marino: tamen ob identitatem rationis intelligenda etiam sunt de periculo terrestri, si creditor in se suscipiat peri-

culum pecuniae, vel alterius rei mutuae per loca periculosa deferendae. His non obstat, *cap. fin. h. t.* nam multi Interpretes legunt negative: *usurarius non est censendus*, alias Papa non fuisset usus particula conjunctiva: *ille quoque*, sed adversativa: *ille vero*, vel *e contra ille*: praesertim cum in isto capitulo agi videatur de his, qui excusantur ab usura. Vel dic, textum istum procedere in casu, quo non adest probabile periculum amittendae sortis, sicut in secura navigatione, vel itineratione ad nundinas; vel si creditor non aliter velit mutuum dare, nisi cum pacto assecurationis, ut exinde aliquid ultra sortem accipiat: et tunc saltem in foro externo censendus est usurararius, quia novum gravamen imponit invito mutuatario, Fagnan. Engl, Reiff. etc.

25. R. 5. *Ex titulo venditionis justae* mutuo immistae non committitur usura: 1. Si praevidetur pretium rei diminuendum, conveniri potest, ut restitutio fiat secundum praesentem aestimationem, v. g. do tibi tres modios tritici, quorum singuli valent duobus florenis, ut restituas certo tempore 6. modios, quorum singuli valebunt uno floreno, vel sex florenos solvas: nam hic formaliter plus non datur, sed idem secundum valorem aestimationis: et ideo si valor unius modii cresceret ad tres florenos, mutuatarius non teneretur dare nisi duos modios, vel sex florenos. 2. Si non praevidebatur pretium augendum, vel minuendum, secluso alio pacto, restitutio mutui fieri debet in natura secundum idem genus, quantitatem, et qualitatem, ut vinum pro vino, avena pro avena, sive pretium crescat, sive decrescat: hec enim fit secundum naturam mutui, excepta pecunia, in qua per se solus valor attenditur, non materia, seu corpus. 3. Si vero praevidebatur pretium diminuendum, damnum est creditoris, qui excessum pretii censetur condonare, cum aliter pacto aestimatorio sibi non providerit. Si tandem praevideatur pretium augendum, regulariter mutuatarius liber est a damno, et restituet secundum publicam aestimationem, v. g. tres modios valentes sex florenis pro sex modiis, qui tempore initi mutui sex florenis valuerunt, nisi pactum de eadem quantitate restituenda intervenisset. Cum ergo casus isti saepius lites pariant, optimum erit, ut mutuum celebretur cum pacto venditionis secundum praesentem valorem: quia hoc modo neutri contrahenti fit injuria.

26. R. 6. *Ex titulo dilatae solutionis*, dum quis obligat se ad non repetendum debitum intra certum terminum, v. g. intra unum, vel plures annos, nihil citra usuram accipi potest: ita comm. DD. nam dilatio solutionis, et obligatio non repetendi debitum intra certum terminum, est intrinseca, et essentialis mutuo ut tali, seu hoc modo celebrato, sed ratione mutui nihil citra usuram peti potest; ergo nec ratione dilatae solutionis: tum quia, secluso alio titulo, pecunia in praefixo termino numeranda tantum valet, quantum praesens numerata pecunia; ergo si quid ultra exigatur, ponitur inaequalitas, et usura, ut patet ex oppotita sententia

Digitized by Google

ab Innoc. XI. damnata *num.* 41. ***Cum numerata pecunia pretiosor sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor ultra sortem aliquid a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*** Et quamvis illa obligatio non repetendi intra certum tempus esset pretio aestimabilis, tamen abunde compensatur per hoc, quod pecunia interim pereat, mutuatario perit. Unde 1. Qui vendit mercem 110. quae valet 100. ob dilatam solutionem annuam, vel qui anticipate emit mercem 90. quae tempore traditionis valeat 100. committit usuram sub contractu venditionis emptionis palliatam. 2. Qui dat triticum antiquum deterius, ut detur novum melius; vel qui dat vinum in autumno, ut antiqius restituatur in vere, vel detur tantum pretium, quantum est in vere, et generaliter qui dat mutuum, ut restituatur plus, vel melius, vel carius, non excusatur ab usura, cum aliquid ultra sortem accipiat.

27. Contendunt Tannerus, Haunoldus et Sa relati a Reinfestuel. lib. V. tit. 19. de Usuris §. 3. per totum, contra commun. DD. usuras, secluso omni alio titulo, cohonestari posse ex causis publicis, quibus innitens princeps lege sua, concedere possit eas tamquam licitas in foro interno, et externo: probantque I. Doctrina generali, quod princeps vi dominii alti, ob causas publicas libere possit disponere de bonis subditorum, prout melius est bono communi ex principio naturali, quod *bonum publicum praeferendum sit bono privato*, et sic si adsint causae publicae, et ita expediat bono communi, poterit princeps lege sua dispensare, ut lucrum illud ultra sortem ex alienis bonis proveniens, cedat creditori: neque appareat hic ulla iniquitas, aut potestatis defectus, cur princeps ob causas publicas nequeat dominium ab uno transferre in alterum civem, et rem unius attribuere alteri. II. Quod non minus usucapiones, et detentiones rei alienae sint ab intrinseco malae, et contrariae praecepto naturali justitiae, quam usurae; et tamen princeps ob publicas causas, eas cohonestavit, ut sint licitae, et justae pro utroque foro juxta communem, quia materia usucapionum ita subducta non amplius continetur sub praecepto naturali non furandi, et suum unicuique tribuendi: ideoque etiam princeps ob causas publicas, cohonestare poterit usuras, ut sint licitae in utroque foro, et in his circumstantiis amplius non contineantur sub praecepto naturali non fenerandi: ajuntque idem argumentum currere in irritatis contractibus pupillorum, minorum, alienationis rerum Ecclesiae, et aliis in quibus princeps ob publicas causas, aliter disponit, quam jus naturale: quia hoc ad similes circumstantias se non extendit.

28. Quibus tamen objici potest. I. quod princeps non potest cohonestare fornicationes, et adulteria, vel mendacia, ergo nec usuras, quae aequiparantur mendacio *cap. 4. h. tit. II. Clem. un. h. tit.* reprobantur omnia principum statuta usuram foventia, et ea defendens puniendus est, ut haereti-

cus. III. Princeps non potest immutare naturas rerum, puta ut ex re in fructifera reddat fructiferam; sed pecunia est infructifera, ergo princeps eam reddere nequit fructiferam, ut lucrum supra sortem pariat, cum praeter naturam sit, ut nummus nummum pariat, *Arist.* 1. *Polit. cap.* 7. IV. Usucapio cohonestatur per hoc, quod res incipiat bona fide possideri, et materia tam remota, quam proxima, scil. possessio rei subsit alto dominio principis: usurae autem non incipiunt bona fide exerceri, nec materia proxima usurae, scil. lucrum ex re infructifera, subest alto dominio principis, cum is ex re infructifera nequeat reddere fructiferam; ergo.

Verum respondent ad I. Negando consequentiam; nam corpora humana non subsunt dominio principis, sed solius Dei, qui dando jus in corpus solutae, aut ligatae, cohonestare potest fornicationes, et adulteria materialiter spectata; e contra bona civium substant alto dominio principis, et cons. princeps ob causas publicas dare potest jus percipiendi lucrum ex re aliena, uti fit in usuris. Comparatio usurae, et mendacii procedit in formali, quia utrumque formaliter, et ab intrinseco est peccatum, sed non in materiali, cum materia mendacii nullo modo, materia vero usurae in certis circumstantiis variari possit. Ad II. Statuta non fundata in causis publicis, et indiscrete foventia quascumque usuras excessivas, et mordentes, ut vocant, arbitrarias, justitiae, et charitati adversas, omnino reprobantur, et qui ea defendit cum errore speculativo pertinaci, haereticus est, et ut talis puniendus: secus dicunt de statutis, de quibus hic loquuntur, quae disponunt circa usuras moderatas, et justitiae conformes, cum istae altum dominium principis non transcendant. Ad III. Pecunia, accedente industria hominis, fit fructifera, sicut domus, vel ager, et ideo parit lucra in societate, et super illa quasi usus, et quasi ususfructus constitui potest *l. 1. etc ff. de usufr. earum rerum.* Praeterea princeps naturas morales immutare potest, ut patet in plurimis contractibus, et actibus, in translatione dominiorum, et jurium etc. ergo etiam id facere potest, ut ex bonis alienis lucrum aliquod capiatur. Ad IV. Quidquid sit de veritate antecedentis, quod hic non impugnant, minime tamen doctrina ista satisfacit eorum argumento: nam agitur hic de jure juste alienum accipiendi: si ergo princeps facere potest, ut aliena bona, v. g. integrae civitates, et principatus licite usucapiantur, ita exigente bono publico, a fortiori facere poterit, ut aliquod lucrum capiatur ex re aliena, sive lucrum istud obveniat ratione rei fructiferae, sive infructiferae. Afferunt hoc obvium exemplum: princeps ex causa publica obligare potest civem, ut alteri civi annuos det 5. florenos, ergo ad eandem quantitatem obligare potest civem sub conditione, si ab altero cive centum mutuos acceperit; dummodo id suadeat causa publica, sine qua jus naturale quoad materiam mutari nequit.

29. Unde hujus sententiae Sectato-

Digitized by Google

res inferunt, quod consuetudo Germaniae accipiendi 5. pro 100. justificetur ex causis publicis, licet deficiat in particulari omnis alius titulus damni emergentis, lucri cessantis etc. Et probant enumeratione talium causarum.

Primo est ut *consulatur necessitatibus et indigentiae civium*, quia per mutuas pecunias multi cives in statum felicem restituuntur, et in eo conservantur, alioquin non evasuri defectu pecuniarum, quae otiosae jacerent in arcis, aut dissolutae in usus privatos converterentur cum ingenti reipublicae detrimento. 2. *Ut homines excitentur ad honesta commercia*, labores, et negotiationes, quibus bonum reipubl. promovetur, tam directe per copiam rerum, et pecuniarum, quam indirecte per evitationem furtorum, depraedationum, et latrociniorum. 3. *Ut consulatur miserabilibus personis*, et locis piis, Ecclesiis, et monasteriis, quae cum per se negotiari non valeant, aliis industriis dominis, et civibus pecuniam mutuam tradunt, ut ex lucris inde provenientibus sustententur. 4. Quia pro justitia talium usurarum militat *duplex generalis praesumptio*, altera ex parte creditoris mutuantis, in quo praesumitur aliquis justus titulus, ut lucri cessantis, periculi ammittendae sortis etc. cujus tituli, et causa mentionem faciunt Recessus Imp. Augustae sub Maximiliano I. *an.* 1500. et ibidem sub Carolo V. 1530. *et* 1548. In comitiis Spirensibus sub Maximiliano II. *an.* 1570. et sub Rudulpho II. *an.* 1600. §. 152. Altera praesumptio est ex parte mutuatarii, in quo regulariter praesumitur industria ad faciendum lucrum ex negotiatione pecuniae, licet per accidens in casu particulari praesumptiones istae deficiant: sed justitia legis non deficit; quia motivum generale *boni publici*, in quo Recessus imperii principaliter fundantur, semper in his circumstantiis durat. 5. Denique causa est, *ut tranquillitati* tam privatae conscientiarum, ne homines sint in perpetuo timore peccati, et damnationis aeternae, quam publicae tribunalium, ne innumerae lites oriantur, et judices circa inquitionem justi tituli continuo fatigentur: cum enim usurae ex genere suo sint illicitae, justus titulus non praesumitur, sed judici probari deberet ad hoc ut licite, et juste debitorem condemnare posset ad usuras. Hoc autem arduum est, quia quilibet mutuatarius facile negare posset titulum, v. g. lucri cessantis; mutuans vero cogeretur ad illum probandum cum diuturna litium protractione, damno, et gravamine tribunalium. Ad quod malum evitandum, sicut introductae sunt usucapiones, ita quoque ob bonum publicum justificatae sunt consuetae usurae in Germania; et ideo judex, sine ulla inquisitione tituli, solet mutuatarium condemnare ad usuras: secus non vident, quomodo tota Germania excusari possit ab usuraria iniquitate, et injustitia manifesta: et sic ob has, et similes publicas causas opinantur istam consuetudinem Germaniae existimandam esse licitam justam, et immunem ab omni usura formaliter tali.

Digitized by Google

30. Ajunt tamen, quod haec opinio modificanda sit, 1. Ut usura sit moderata, quam lex, et consuetudo probata praescribit; sicut in Germania 5. vel 6. pro 100. adeoque si quid ultra accipiatur, est formalis usura, et peccatum restitutioni obnoxium, et poenae confiscandi capitalis, seu sortis substat, vel quoad totum, vel quoad partem, ut disponitur in *citt. Rec.* 2. Ut usurae istae non extendantur ad alium locum, neque ad aliud genus mutui; et ideo pro vino, et tritico, et similibus mutuo datis nihil peti potest ultra sortem, quia non est consuetudo, aut lex id justificans ex causis publicis, sicut est in pecunia. 3. Ut exactio usurae aliunde non sit vitiosa, charitati erga proximum repugnans; ut si proximus per usuras redigeretur in mendicitatem, quia tali casu, sicut charitas dictat mutuum dare, ita quoque dictat usuras non esse recipiendas. Unde existimant a miseris, et pauperibus, qui praecise pro sublevanda miseria, et necessitate mutuum petunt, nihil ultra sortem sine peccato accipi posse; cum hoc sit valde inhumanum, et quodammodo crudele sanguinemque pauperum exugens. Secus esset, si pauper industrius pecuniam mutuam acciperet, et cum ea negotiando ditior evaderet.

31. *Obj.* 1. Praesumptio tituli (qua nititur consuetudo Germaniae, et constitutiones Imperiales) fundatur in facto quod justus titulus adsit; ergo si praesumptio fallat, et factum deficiat, corruit lex, et consuetudo, et cons. non justificat usuras. 2. Leges istae permittunt usuras pro foro externo ut licitas; ergo si in foro interno deficiat justus titulus, usurarii sunt omnes, qui 5. vel 6. pro 100. accipiunt, sicut sub Imperatoribus Gentilibus, et sub Justiniano fiebat. 3. Consuetudo Germaniae melius excusatur a peccato usurae per contractum censualem, quo creditor dans 100. emit a debitore jus percipiendi 5. vel 6. annuos florenos, addito pacto retrovendendi idem jus eodem pretio 100. florenorum, vel per contractum societatis, quo unus dat pecuniam, et alter confert operam, ut ex lucro 5. annua obveniant danti pecuniam.

Respondent ad 1. Negando anteced. fundari enim aiunt principaliter in bono publico, ratione cujus semper censetur adesse justus titulus, quatenus princeps ex causis publicis motus, dat jus percipiendi 5. pro 100. etiamsi per accidens percipiantur ex bonis alienis. *Ad* 2. Doctores ita loquentes non satis capi: nam licet princeps ad majora mala evitanda permittere possit usuras, quasi negative dissimulando poenam. si tamen illicitae sunt, non potest eas positive approbare, praemiare, et eis assistere condemnando debitorem in foro externo, quia hoc intrinsece malum est; ob quam etiam causam usucapiones in mala fide neque licitae sunt in foro externo: sed in Germania experientia quotidiana est, quod judices, nullo quaesito titulo, positive assistant usuris, eis faveant, et debitorem in illas condemnent; ergo vel principes, et judices Germani omnes inique agunt, vel usurae, si sunt lici-

Digitized by Google

tae in foro externo, debent etiam licitae esse in foro interno. Ne ergo tota Germania usurariae iniquitatis condemnetur, dicunt ex communi opinione populi usuras istas justificatas esse pro foro externo, et interno; quod ipsum sine scrupulo judicant viri docti, et pii tam saeculares, quam ecclesiastici, dum, deficiente omni titulo 5. pro 100. annuatim recipiunt. *Ad* 3. Negant ant. nam 1. hoc modo evacuatur, et eliminatur omnis usura, ita ut committi non possit; quia semper allegari poterit contractus censualis expresse, vel tacite initus, quo v. g. pro centum emitur jus percipiendi 5. vel plures florenos. 2. Contractus censualis in hoc puncto, solo nomine differt a contractu usurario, quia in utroque idem re ipsa petitur solo nomine mutato: tum quia in censu vel adest aliquis justus titulus v. g. lucri cessantis, vel non adest: si adest, cessat argumentum de usura, si non adest, ergo re ipsa idem fit in censu, quod in usura, quod scil. ex re aliena percipiatur fructus non alio titulo, quam titulo contractus, quod certe injustum est. Multo minus in tali casu est contractus societatis, ut perpendenti patet. Unde, licet non negent in his casibus celebrari posse contractum censualem, dicunt tamen, si omnis titulus aliquid ultra sortem accipiendi deficiat, illum non aliter hic, et nunc justificari, nisi ex causis publicis, ita disponente principe: vel si ista dispositio non sufficit ad licitatem, usuram in eo committi palliatam, sicut in emptione, dum quis dat 100. ut sibi deinde detur merx constans 105. vel 106.

32. Q. III. *An modus usuris a Justiniano lib. 26. h. tit. praescriptus, sit licitus? Nota* in *citat. loc.* determinari usuras. 1. *Centesimas,* quae intra centum menses, seu octo annos, et quatuor menses adaequant sortem, danturque 12. pro 100. in trajectitia pecunia, seu nautico faenore. 2. *Bessales,* seu centesimae quinquagesimae, quae intra 150. menses, seu duodecim annos, et sex menses aequant sortem, danturque 8. pro 100. et hae mercatoribus permittuntur. 3. *Trientes,* seu tertiae centesimarum, quae 300. mensibus, seu 25. annis adaequant sortem, danturque 4. pro 100. et hae illustribus personis permittuntur. 4. *Semisses,* seu ducentesimae, quae 200. mensibus, seu sedecim annis, et 8. mensibus aequant sortem, danturque 6. pro 100. et hae aliis personis permittuntur. 5. *Quincunces,* seu 5. pro 100. quae intra 20. annos aequant sortem, fitque earum mentio, *lib. 17. princ. ff. et lib. 5. C. h. tit.* Jam R. in Germania ex asserta recepta consuetudine approbantur usurae tantum *semisses, et quincunces* seu 6. vel 5. pro centum; non vero majores, nisi adsit manifestus titulus plus accipiendi: secus creditor in conscientia obligatur ad excessum restituendum. 1. Unde usurae *centesimae* tanquam sanguinolentae, et *bessales,* tanquam excessivae reprobantur, nisi damnum emergens, vel lucrum cessans. vel periculum pecuniae per mare, aut terras trajiciendae tanti aestimetur.

Digitized by Google

Ceterum, licet sententia de hac asserta consuetudine in Germania recepta existimetur probabilis; quia tamen sensus saepe homines fallit; ideo ego humanae prudentiae non innitendam judico, sed infallibili S. Sedis judicio decidendam relinquo.

In literis encyclica Bened. XIV. Vix pervenit-1. *Novemb.* 1745. *ad omnes Italiae Ordinarios refertur, et approbatur, confirmaturque sententia Congregationis specialim a se deputatae circa usuras, aliosque injustos quaestus, contenta num.* 2. *ejusdem litterae videlicet*-Neque vero ad istam labem (*usurae*) purgandam ullum accersiri praesidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus.

§. III.

De Contractibus Usurae affinibus.

Contractus isti sunt: anatocismus, antichresis in pignoribus, cambium, montes pietatis, olla fortunae, emptio chirographi, contractus societatis, et censualis.

33. Q. I. *An anatocismus, et antichresis in pignoribus usuram contineant?* R. Affirmative: nam anatocismus, seu usurae usurarum reprobantur, *lib.* 29. *ff. et lib.* 3. 38. *C. h. t.* easque exercens, infamiae nota notatur, *lib.* 20. *C. ex quib. caus. infam. irrog.* quia de jure non datur accessio accessionis, et servitus servitutis, fructus fructuum, lucrum lucri; ergo nec dari debet usura usurae. Si tamen usura tibi numerata fuit, nihil prohibet eam investire per modum novae sortis, seu capitalis. *Antichresis*, qua fructus ex re pignorata ultra sortem accipiuntur, tanquam usura palliata reprobatur in Concil. Turonen. et Lateranen. sub Alexand. III. *cap.* 1. 2. 3. 8. *h. tit.* Vide dicta tit. de pignorib.

34. Q. II. *An cambium, montes pietatis, olla fortunae, emptio chirographi, seu debiti litigiosi, et difficulter consequibilis, et contractus societatis sint immunia a vitio usurae?* R. Per se loquendo affirmative: nam 1. in cambio tam *reali*, seu *manuali*, in quo pecunia hujus sortis permutatur cum pecunia alterius sortis, ut argentea pro aurea; quam *locali*, in quo pecunia datur campsori in uno loco, v. g. Pragae, ut restituatur in altero, v. gr. Romae, adsunt tituli sufficientes, vi quorum aliquid accipi possit ultra pecuniam permutatam, puta obligatio comparandi pecuniam omnis generis, periculum illam conservandi, lucrum cessans, labor numerandi, scribendi, rationes faciendi, sumptus necessarii ad alendum campsorem, ejusque officiales. 2. In montibus pietatis

Digitized by Google

sunt idem tituli, vi quorum aliquid exigitur ultra sortem; et quamvis olim suspecti fuerint de usura, re tamen diligenter considerata, illos licitos declaravit Leo X. in Conc. Later. *sess.* 10. et favet ei Trid. *Sess.* 22. *cap.* 8. *de reform.* Sunt autem montes pietatis aeraria, seu granaria publica piorum liberalitate constituta, ex quibus indigenti datur certa quantitas pecuniae, aut frumenti, receptis pignoribus, ea lege, ut si praefixo termino non solvat, pignus vendatur, et ita mons pietatis suam sortem, et aliquid ultra recipiat; reliquum vero debitori restituatur. 3. In olla fortunae spes emitur, sicut emi solet jactus retis: talis autem spes est pretio aestimabilis: sed quia in olla fortunae plerumque fraudes committuntur, ideo vix unquam a magistratibus admitti deberet. 4. Chirographum, seu nomen litigiosum, et difficulter evincibile in communi aestimatione minus valet; ergo si minoris ematur, nulla erit usura, nisi princeps, vel praefectus aerarii, quibus debita evincere est facile, nomen emeret. At si nomen, seu debitum liquidum, et facile consequibile, minoris ematur, est usura palliata, ut patet ex *prop.* 41. ab Innoc. XI. damnata: *cum numerata pecunia etc.* nam debitum, v. g. 100. valet omnino 100. neque ob dilatam solutionem fit minoris pretii; ergo si ematur 90. fit usura sub specie emptionis palliata. 5. In contractu societatis, ubi lucra, et damna sunt communia, nihil usurarium apparet; imo contractus iste a jure civ. approbatus, nullibi a jure Can. reprobatur, nisi pecuniam conferens adderet pactum, ut lucrum sit commune, non vero damnum, sed sors sua salva maneat: tunc enim deficit aequalitas, et justitia, estque talis societas leonina ex mente Cassii, *lib.* 29. *§. fin. ff. pro socio.*

35. Q. III. *Quid, et quotuplex sit census, et an sit licitus contractus censualis?* R. 1. Census *objective* est pensio annua; *formaliter* est actus, quo constituitur, et *consecutive*, seu *effective* est jus exigendi pensionem annuam: et qui tale jus habet, seu qui percipit pensionem vocatur: *censualista*, seu creditor; et qui obligatur pensionem dare, dicitur *censuarius*, seu debitor: fundus vero, ex quo pensio debetur, vocatur *censiticus*, vel *censitus*. Sunt autem species principales *census*, quinque: census *legatarius*, qui legato, *donatarius*, qui donatione, *transactitius*, qui transactione, *poenalis*, qui condemnatione judicis, et *emptitius*, qui per contractum emptionis constituitur. Rursum ex modo constituendi dividitur census in *reservativum*, et *consignativum*. *Reservativus* est, dum dominus plenum dominium rei tradit alteri, et sibi reservat aliquam pensionem annuam *lib. fin. C. de rer. permutat.* *Consignativus* est, dum dominus retinet plenum dominium rei, et solum alteri dat, seu consignat jus percipiendi, et exigendi annuam pensionem. Porro hodie raro est in usu; sed locum ejus tenet emphyteusis, in qua utile dominium transfertur sub obligatione praestandi annuum Canonem, seu pensionem: quae si non sol-

Digitized by Google

vatur per biennium, aut triennium, emphyteuta privatur emphytensi *cap. fin. de locato:* at si censuarius non solvat pensiones annuas, has quidem solvere cogitur, sed fundo censuali non privatur, *argum. cap. 6. vers. cum autem de relig. domib.* Censum legato, donatione, transactione, aut condemnatione constitutum, esse honestum, et licitum fatentur omnes. Tota igitur quaestio procedet de censu emptitio, seu contractu censuali, quo venditur, et emitur jus percipiendi annuas pensiones ex re, aut industria personae.

36. R. 2. Censum emptitium, seu consignativum specifice talem dividi: 1. In *realem*, qui constituitur in re frugifera, ut agro, vinea, domo etc. et *personalem*, qui constituitur, non quidem in ipsa persona, sed in personae industria, labore, et artificio: si vero constituatur in re, et industria personae, erit mixtus ex utroque. 2. In *pecuniarium*, qui solvitur in pecunia: et *fructuarium*, qui solvitur in fructibus, vel determinate, v. gr. ut dentur tres modii annuatim; vel indeterminate, v. g. ut detur quarta pars fructuum. 3. In *perpetuum*, quae non finitur morte venditoris, aut emptoris, sed utrinque ad haeredes transit; licet mutuo consensu dissolvi possit: et *temporalem*, qui constituitur ad tempus, vel certum, v. g. 10. annor., vel incertum, v. g. ad vitam censualistae; et vocatur *vitalitius*, qualis dependenter a voluntate superiorum solet quandoque concedi monialibus, et religiosis. 4. In *redimibilem*, qui redimi potest a creditore tantum, vel a debitore tantum, vel ab utroque: ita ut restituto, et recepto pretio, ex utraque parte sit redimibilis: et *irredimibilem*, qui altero invito, tolli, seu redimi nequit; bene vero utroque consentiente. Solent autem censui varia pacta adjici, ut dicetur.

37. R. 3. Emptio census realis est licita de jure naturali, et positivo: ita com. contra Henriq. Salic. et paucos alios: nam spectato jure naturali, licitum est emere jus totale percipiendi omnes fructus ex praedio, ut si totum praedium ematur; ergo etiam de jure naturali licet emere jus partiale ad percipiendos aliquos fructus sive in pecunia, sive in natura praestandos: quid enim hic iniquitatis? non certe est usura, quia haec non datur, nisi in mutuo: non inaequalitas, quia suppono dari aequalitatem inter jus emptum, et pretium lege, aut consuetudine taxatum. Jure positivo Can. *Extrav. 1. et 2. de emption. inter com.* expresse approbatur contractus censualis, quo emitur census realis in re frugifera: tum quia licite emitur ususfructus *lib. 8. princ. ff. de peric. et com. rei vend.* partus, et fructus futuri *lib. 8. §. 2. ff. de contr. empt.* et servitus *§. fin. Inst. de servit.* sed census realis est partialis ususfructus, est jus ad futuros fructus, est quaedam servitus in re constituta, saltem in possessore relato ad certam rem, ergo: tum denique, quia licitus est census consignativus legato, donatione, aut transactione constitutus; ergo etiam emptione constitutus; cum non minus valeat quod emitur, quam quod

Digitized by Google

legatur, donatur, et transigitur, *Dices*: Magna est inaequalitas in hoc contractu: nam si pro 100. emas jus percipiendi 5. intra 20. annos census adaequabit sortem, et post 20. an. eam superabit, et tamen censualistae salva manet tota sors. R. Retorquendo in emptione totius praedii: nam si hoc emas 1000. per 20. an. fructus percepti aequabunt mille, et tamen salvum manet jus vendendi praedium mille florenis; ergo si hic nulla est inaequalitas, et injustitia, ita neque in priori casu. Ratio utriusque est, quia pensiones annuae successive percipiendae moraliter non valent tantum, quantum omnes simul, idque ob varias molestias, difficultates, pericula, aliosque casus contingentes, quibus obnoxiae sunt pensiones annuae.

38. R. 4. Attento jure naturali, licita est emptio census personalis: ita com. DD. contra Navar. Gutier. Fach. etc. Prob. argumentis prioribus, quae huc ob paritatem rationis accomodari possunt: tum quia pensiones personales constitui possunt, donatione, et lege, ut patet in decimis personalibus; ergo etiam emptione: siquidem personae industria est instar agri fertilis, adeoque sicut emi potest jus ad fructus ex agro, ita quoque emi potest ad fructus ex industria, et lucris personae percipiendos. Cessante autem industria personae, etiam regulariter cessare debent pensiones, sicut interitu rei frugiferae intercidit jus ad fructus percipiendos, *Dixi: attento jure naturali*, quia emptio census personalis prohibetur per. Const. S. Pii. V. incip. *Cum. onus*, sed haec Constitutio non est usu recepta in Germania, Belgio, Gallia, Hispania; sed observantur ea solum, quae jure naturali requiruntur; puta ut sit justum pretium lege, vel consuetudine taxatum, ut census anticipate non exigatur; ut in casu, quo res censuaris aut industria personae perit citra culpam censuarii, redditus annui extinguantur.

39. R. 5. Pacta, quae contractui censuali in Germania addi solent, sunt seqq. 1. Pactum durationis ad certum tempus, v. g. ad 20. annos, vel ad tempus incertum vitae, cum jus percipiendi fructus, intra tale tempus sit pretio aestimabile. 2. Pactum de non vendenda re censuali absque consensu censualistae, ne hujus conditio debitor efficiatur. 3. Quamvis a jure positivo approbetur census redimibilis tantum ex parte venditoris, seu censuarii *Extrav.* 1. 2. *de empt. int. com.* Const. S. Pii V. *Cum onus* 1568. 14. *Cal. Febr.* Constit. Carol. V. in com. Augustae 1548. et 1550. Ubi tamen his Constitutionibus derogatum est contraria consuetudine, servata aequalitate contrahentium, addi potest pactum de redimendo censu vel ex parte venditoris, et emptoris, vel utriusque simul: nam contractus ex conventione legem accipiunt *reg.* 85. *in* 6. et aliunde talis redemptio admittitur in aliis emptionibus, venditionibus. 4. Pactum assecurationis de salva futura sorte, si res frugifera, vel industria personae periret: nam pactum assecurationis locum habet in aliis contractibus; ergo et in contractu censuali.

Digitized by Google

§. IV.

De Judice, solutione, restitutione, et poenis usurarum.

40. Q. I. ***Quis sit judex in crimine usurarum?*** R. Crimen usurarum esse mixti fori; adeoque judicem illius esse laicum, vel ecclesiasticum, et ex his, qui praevenerit: ita Sylv. Reiff. et alii contra Clar. Azor. etc. docentes quaestionem juris de usura pertinere ad ecclesiasticum privative. Prob. ex *cap.* 12. *h. tit.* ubi cognitio usurae indiscriminatim attribuitur principibus laicis, et judicibus ecclesiasticis: nam usura plus spiritualitatis non habet, quam alia delicta adversantia justitiae, ut furtum, homicidium etc. ergo, Excipe nisi consuetudo aliud habeat, vel quaestio sit de justitia statuti permittentis usuras: tunc enim judicis ecclesiastici examinare est, an justum, vel injustum sit statutum?

41. Q. II. ***An mutuatarius teneatur solvere usuras promissas mere lucratorias?*** R. Regulariter negative, quia usurae istae injustae petuntur: si tamen promissio usurarum fuit juramento firmata, ob reverentiam juramenti, quod hic sine peccato servari potest, solvendae sunt usurae *cap.* 6. *de jurejur. etc. cap.* 5. *h. tit.* sed solutum mox repeti potest, vel reivindicatione, si pecunia extet, vel condictione, si pecunia bona fide consumpta est. Si vero foenerator ex pecunia usuraria aliquid comparavit, id suum facit, quia consumptione acquisivit, et transtulit dominium pecuniae; sed ad tantundem restituendum obligatur in conscientia. Ne ambages istae fiant; debitor sataget impetrare relaxationem juramenti, quam facere potest Episcopus, et alii privilegiati, qui in votis et juramentis dispensare possunt. Haec pro foro interno, in quo regulariter ad restitutionem adigendi sunt, qui usuras acceperunt maxime a pauperibus, et miserabilibus personis, quae non causa negotiationis, sed praecise propter necessarium sustentationem, vel solutionem, alterius debiti mutuum acceperunt: nam in tali casu non tantum peccatur graviter contra charitatem, sed probabilius etiam contra justitiam; cum deficiente omni justo titulo, non censeatur princeps dare potestatem aliquid exigendi a pauperibus; vel miserabilibus personis. In foro autem externo raro fit talis restitutio; quia judices praesumunt aliquem justum intervenisse titulum.

42. Q. III. ***Quae sint poenae usurariorum?*** R. Seqq. 1. Infamia *lib.* 20. *Cod. ex quib. caus. infam. irrog. Can.* 2. *infames* §. *porro,* 3. *q.* 7. quae tamen infamia cessat ex usu, et aequitate Canonica, si usurarius resipiscat, Bald. Felin. etc. 2. Satisfacere nolentibus neganda est absolutio sacramentalis, Eucharistia, et sepultura ecclesiastica, *c.* 3. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. et clericus eos sepeliens, ipso facto excommunicatur, *Clem.* 1. *de sepultur.* 3. Fiunt irregulares propter infamiam, *Can.* 2. *d.* 37. 4. Fiunt intestabiles active *c.* 2. *h. t.* 5. Confiscatur sors illorum, vel tota, vel pars

pro qualitate delicti. In Germania quarta pars cedit fisco ex Const. Maximiliani I. *an.* 1500. Caroli V. 1548. Rudulphi II. 1577. *Francofurti.* His poenis subjacent usurarii manifesti post sententiam declaratoriam criminis *c.* 15. *h. t.* Probantur autem usurarii manifesti vel ex evidentia facti, quia palam foenus improbum exercent, vel ex confessione propria in jure facta, vel per testes idoneos, aut indicia violenta, et per libros rationum, quos edere tenentur *c.* 15. *h. t. l.* 5. 6. *de prob. Clem. un.* §. *ceterum h. t.*

TITULUS XX.

De Crimine falsi.

Agitur de hac materia in Extrav. Joan. XXII. et com. *h. tit.* In Decreto *Can.* 3. *d.* 19. *et cap.* 80. *quisquis.* 11. *quaest.* 3. In Instit. §. 7. *de publ. jud.* in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 10. In Codice *lib.* 9. *tit.* 22. 23. 24. 25. *Nov.* 73.

1. *Nota*, Crimen falsi definiri, quod sit fraudulenta veritatis imitatio, seu immutatio in praejudicium alterius facta, *Nov.* 73. *princ.* Ex qua definitione patet tria requiri ad hoc crimen: ***fraudem***, seu ***dolum***, ***fictionem***, seu ***immutationem veritatis***, ***et nocumentum*** alteri illatum, vel inferendum, etsi per accidens impediatur, *l.* 1. 6. *ff. de L. Cornelia de fals. lib.* 8. 20. *C. eod.* Licet autem lex Cornelia lata sit de solis testamentis falso conscriptis, suppressis, vel alio modo immutatis, tamen deinde extensa est ad omne genus falsitatis dolosae, ut patet ex *cit. tit. ff. et C. de L. Corn. de fals.* Hoc crimen committitur vel circa personam, vel circa res, *dicto*, *scripto*, *facto*, *et usu*.

2. Q. I. *Quando committatur crimen falsi dicto?* R. Tunc, quando quis dolose in praejudicium alterius falsum profert; quod maxime accidit in judicio, dum testis falsum deponit, et verum occultat, dum advocatus dolo malo causam clientis sui prodit, dum judex dolose sententiam injustam pronunciat, *l.* 1. 20. 27. *ff. h. t.* Poena falsi testis, uti et aliorum falsariorum est deportatio cum publicatione bonorum; vel si persona vilis sit, damnatio ad metallum: ex Const. Carol. *art.* 107. est poena talionis praeter reparationem damnorum. Poena advocati falsi hodie est arbitraria, ut fustigatio, carcer, numellae, relatio *art.* 115. Carpz. Poena judicis falsi pro qualitate personae, et delicti est privatio officii, confiscatio, exilium; imo et poena mortis; et de jure Can. judex per sordes judicans, suspenditur a divinis, *c.* 1. *de sent. et re jud. in* 6.

3. Q. II. *Quando committatur crimen falsi scripto?* R. 1. Tunc, dum litterae, seu quodcumque instrumentum dolose falsatur in nocumentum tertii; ut si falsitas committatur in testamento, instrumento publico, et litteris alicujus momenti; ut si mendici fingant sibi casus fortuitos incendii, morbi, etc. *lib.* 1. *et seq. ff. de L. Corn. de fals.* Poena hujus falsitatis est deportatio cum confiscatione bonorum; vel arbitraria ex Constit. Car. *art.* 112. mi-

Digitized by Google

tius tamen punitur. qui privatas litteras alicujus aperuit, nisi eas adversario ostendisset: secus si aperuit litteras, magistratus, praelati, aut principis.

4. R. 2. Falsarii litterarum apostoli arum sunt illi, qui litteras papales falsas conficiunt, vel falsis sigillis utuntur, vel in litteris apostolicis, sive gratiae, sive justitiae, radendo, addendo, abulendo, vel alio modo aliquid immutant, vel litteras ipsas ex alterius, quam Papae, vel officialium deputatorum manibus recipiunt, *cap.* 4. 5. *h. tit.* Poenae hujus sunt seqq. 1. Falsarii litterarum apostolicarum, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, ipso facto excommunicantur. 2. Clerici omnibus officiis, et beneficiis privantur: et si per se falsitatem exercuerint, degradati curiae seculari traduntur: laici vero juxta leges puniendi sunt. 3. Qui litteris falsis apostolicis utuntur, si clerici fuerint, officiis, et beneficiis spoliandi sunt: laici vero tamdiu debent excommunicati manere, donec satisfaciant competenter: ita *cap.* 7. *h. tit.* cujus dispositio, utpote poenalis, non est extendenda ad clericos falsificantes litteras Imperatoris, S. Poenitentiariae, SS. Congregationum, Legati a latere, proprii Episcopi etc. Sufficit autem ad incurrendas istas poenas etiam unicus actus falsitatis; quia *exercere* in materia poenali verificatur in uno actu, §. 4. *In. de publ. judic.*

5. Q. III. *Quando committatur crimen falsi facto?* R. in seqq. casibus. 1. In partus suppositione, ad cujus accusationem admittuntur soli parentes, et quorum interest *lib.* 30. §. 1. *ff. de L. Corn. de fals.* et supponens praeter reparationem damnorum, subjacent poenae capitali, *lib.* 1. *C. eod.* quae tamen non videtur esse mors naturalis, sed civilis per deportationem, cui hodie successit fustigatio, Carpz. Zoes. 2. Qui eandem rem pluribus vendit, *lib.* 21. *ff. eod.* si vero falso donet, vel pluribus oppignoret, tenetur crimine stellionatus. 3. Qui mercibus adulterinam materiam admiscet, pondera, et mensuras immutat: hi praeter ordinariam poenam deportationis, condemnantur in duplum. *lib.* 32. *ff. eod.* in Germania arbitraria puniuntur, Const. Caroli *art.* 113. 4. Falsarii monetae, qui propria auctoritate monetam cudunt, etiam justi ponderis, et materiae, qui tondendo, radendo, et alio modo pondus monetae publicae diminuunt, qui adulterinam monetam cudunt, v. g. ex cupro: stanno; et hi, praecedente strangulatione, igne puniuntur ex Const. Constantini, *l.* 2. *C. de falsa monet.* tondentes, vel veram monetam cudentes hodie substant poenae arbitrariae. 5. In *Extrav. un. h. t. int. com.* prohibetur moneta ex auro alchymistico; quia sophisticum, et deceptorium est. Qui tale aurum, secuto effectu, faciunt, vel facientibus ministrant, vel eo utuntur in commerciis, in poenam tantum pondus veri auri dare debent: vel corporaliter puniuntur, et infames fiunt: clerici vero praeter has poenas, privandi sunt beneficiis habitis, et inhabiles ad alia obtinenda futuri.

6. Q. IV. *Quando crimen falsi com-*

Digitized by Google

mittatur usu, seu potius abusu? R. 1. Qui nomen, cognomen, patriam, parentes dolose in nocumentum tertii falsificat. 2. Qui illicitis, seu alienae familiae insignibus utitur, fingendo se nobilem, doctorem etc. 3. Qui proposita Edicta dolose corrumpit, vel falsas leges allegat etc. *l.* 13. 27. *§. fin. l.* 32. *et fin. ff. de L. Corn. de fals.* Plures particulares casus reperies in Pandectis, et Codice, *ll. citt.*

7. Q. V. *Quid statuatur in SCto Liboniano?* R. Hoc SCto poena L. Corneliae de falsis extenditur ad eos, qui vocati ad scribenda aliena testamenta, vel codicillos, sibi aliquid in eis adscribunt permodum haereditatis, aut legati, *l.* 15. *C. de L. Corn. de fals. l.* 3. *C. de his, qui sibi adscrib. in testam.* Praeter hanc poenam scribens, fit incapax accipiendi id, quod scriptum est, idque ob praesumptionem falsitatis: unde si aliquid scribenti relinquere vult testator, id alia manu scribendum est. Vide Zoes, *tit. ff. de L. Corn. de fal. num.* 16.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

Agitur de hac materia in Decreto, 26. *q.* 1. *usque ad* 6. in D. Thom. 2. 2. *q.* 92. *usque ad* 98. In Codice *lib.* 9. *tit.* 18.

1. *Nota* 1. Sortilegium, falso affine, late accipi pro superstitione, quae est vitium oppositum religioni secundum excessum; quatenus exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet, S. D. 2. 2. *q.* 92. *a.* 1. Hujus quatuor sunt species: 1. *Idololatria*, quae cultum divinum exhibet creaturae. 2. *Supestitio indebiti modi colendi Deum;* dum quis cultu falso, superfluo, et vano a Deo non revelato, neque ab Ecclesia instituto, colit verum Deum; ut si Christianus colat Deum ritibus Judaicis vel Gentilium; vel si velit missam dici a sacerdote, qui vocatur Joannes etc. 3. *Vana observantia*, dum quis per media inutilia, et a Deo, vel Ecclesia minime ordinata conatur procurare aliquem effectum externum, sive id fiat cum expresso pacto daemonis, sive cum tacito. 4. *Divinatio*, quae est cognitio futurorum, et occultorum ex pacto cum daemone *explicito*, si homo habeat expressam voluntatem aliquid resciendi a daemone: vel *implicito*, si homo pro cognitione occultorum signum aliquod vanum adhibeat, et inspiciat: differt a priori, quia vana observantia tendit ad procurandum effectum externum, ut sanitatem, bellum, promotionem ad officia etc. divinatio vero praecise tendit ad cognoscendum futura, et occulta, S. D. 2. 2. *q.* 92. *a.* 2. *et Can.* 1. *igitur* 26. *q.* 3.

2. *Nota* 2. Divinationis, seu necromantiae, ut fit ex pacto explicito cum daemone, novem esse species: quarum 1. est *praestigiae*, dum daemon variis apparitionibus illudit, et docet superstitiosos. 2. *Divinatio per somnia*, dum per somnia cognitio quaeritur a daemone. 3. *Necromantia*, specifice, dum ad certas preces videntur mortui re-

Digitized by Google

surgere, loqui, et docere. 4. *Divinatio per pythones*, dum daemon per homines arreptitios. 5. *Geomantia*, dum per signa, et corpora terrestria. 6. *Hydromantia*, dum per signa aquea. seu in aquis apparentia, 7. *Aereomantia*, dum per signa in aere apparentia, 8. *Pyromantia*, dum per signa in igne apparentia, et 9. *Aruspicium*, dum per signa in extis animalium sibi immolatorum daemon futura, et occulta docet

3. *Nota* 3. Divinationis, ut fit ex pacto implicito, duas esse species: *Prima* quaerit cognitionem ex consideratione depositionis, vel motus alterius rei, ut *Genethlia* ex siderum motu, et situ, *Augurium* ex animalium vocibus, aut hominum sternutatione, *Auspicium*, ex volatu avium, et motu animalium, *Omen* ex hominum vocibus praeter intentionem prolatis, *Onyrocritica*, ex somniis, *Physiognomia* ex totius humani corpis signis, *Spatalamantia* ex spatulae, seu delectationis signis, *Metoposcopia* ex fronte, *Chiromantia* ex manibus, et variis lineis inspectis. Qui ergo ex talibus signis futura, et occulta praedicit, *Divinus, et Augur* est. *Altera* quaerit cognitionem ex dispositione eorum; quae nos consulto facimus propter aliquod occultum cognoscendum, vel per *Geomantiam*, seu protractionem punctorum; vel *per sortes*, dum occulta inquirimus ex signis resultantibus, v. g. ex schedulis in urnam projectis, ex jactu alearum, ex plumbo liquefacto in aquam projecto, ex eo, quod fortuito nobis occurrit in libro aperto, S. D. 2. 2. *q.* 95. *a.* 1. *et seqq.* ubi dignus est lectu.

4. *Nota* 4. Has superstitionis species esse omnes illicitas, ad quas etiam reducitur *Astrologia judiciaria*, quae ex siderum inspectione praedicit eventus fortuitos a libero arbitrio dependentes: uti et *Magia superstitiosa*, quae daemonis ope mira facit, vel ad proprium commodum, aut ostentationem, vel ad proximi nocumentum: quo sensu dicitur *Maleficium*, vel *Veneficium*. E contra sub genere superstitionis non continetur: 1. *Magia naturalis*, quae per causas naturales, absquo daemonis ope mira operatur. 2. *Astrologia naturalis*, quae ex siderum motu, et concursu effectus naturales praedicit, ut eclypses, pluvias, grandines, ventos, morbos, fertilitatem anni etc. 3. *Physiognomia, et Chiromantia naturalis*, quae ex inspectiono corporis, et lineamentorum arguit ad complexionem, sanitatem, ingenium etc. 4. *Observantia naturalis* ex volatu, et clamore avium, et aliorum animalium, quae naturaliter solent indicare quosdam eventus naturales, ut pluvias, serenitatem, frigus etc. quia revera horum signa sunt, S. T. 2. 2. *quaest.* 95. *art.* 7. Denique a superstitione procul abest notitia prophetica, etiam ex somnio a Deo immisso hausta, *ibid. art.* 6. Plura de his vide in *cit.* S. D. et TT. Mor. Laym. *lib.* 4. *tr.* 10.

5. Q. I. *An sortilegium sit licitum?* Nota ante resp. ex S. D. *l. c. a.* 8. tres esse sortium species: *Divinatorias* quae adhibentur ad occulta, vel futura contingentia cognoscenda. *Consultorias*, quae adhibentur, ut Deus occultam veritatem manifestet, vel anceps consilium

dirigat: et *Divisorias*, quae adhibentur ad jus indivisum, aut dubium pluribus competens inter eos dividendum, vel uni applicandum.

6. R. 1. Sortes *Divinatoriae* sunt graviter illicitae, non tantum quando fiunt per expressam invocationem daemonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta, et eventu futuro habentia, *cit. art.* 8. *et Can.* 6. *et seqq.* 26. *q.* 5. *et cap.* 1. *h. tit.* nam in sortibus istis saltem tacite daemon colitur, tanquam Deus, et revelator occultorum.

7. R. 2. Sortes *Consultoriae* regulariter sunt illicitae, *Can.* 7. *sortes* 26. *quaest.* 5. nam per illas Deus tentatur, et sortilegi exponunt se periculo, ne Deo permittente, a diabolo decipiantur. Si tamen fiant ex levitate, curiositate, et vanitate, absque ullo commercio cum daemone, et sine fide, quasi veritas per Deum hoc modo manifestaretur, saltem sunt peccata venialia; quatenus sortilegi sine ulla urgenti causa Dei providentiam his sortibus alligare velint. *Excipe*, nisi sortes istae ex speciali instinctu divino adhibeantur, qualiter detectum est furtum Achani *Jos.* 7. *v.* 14. Mathias per sortes electus est Apostolus etc.

8. R. 3. Sortes *divisoriae* regulariter sunt licitae, quia mutuo consensu partium, vel mandato judicis fiunt per modum transactionis, et compositionis; uti inter haeredes, socios, commilitones: item si agatur de una re individua, de promotione ad officia secularia, de periculosa statione in bello. de puniendis pluribus reis, quorum omnes puniri nequeunt: et generaliter, dum nulla apparet ratio, cur in aliquo commodo, vel incommodo alter alteri sit praeferendus; res ista sortibus definiri potest; dummodo eventus non expectetur a daemone, sed via ordinaria a Deo, ut litibus finis imponatur. Dixi *regulariter:* nam.

9. R. 4. Electio ad praelaturas, et beneficia ecclesiastica per sortes divisorias, aut consultorias, est graviter prohibita: et quidem jure naturali, si sortibus committantur digni, et indigni; cum id vergat in damnum Ecclesiae ob indignum pastorem: jure vero ecclesiastico. si sortibus committantur aeque digni, etiam in casu, quo duo paria vota haberent, et neutra pars eligentium vellet cedere, *c. fin. h. t. c.* 12. *de elect.* ubi tales electiones ipso jure nullae pronunciantur: nam electio personarum ecclesiasticarum non debet sortibus, seu caeca fortuna fieri, sed ex delectu, et juxta majorem capacitatem, ac dignitatem. Electio compromissariorum per sortes facta reprehenditur quidem *cit. c. fin.* non tamen irritatur. At lites alias beneficiales, et ecclesiasticas, ex mutuo partium consensu, et accedente auctoritate superioris nihil prohibet per sortes terminari.

10. Q. II. *Cujus fori sint sortilegia, et magiae superstitiosae, et quae poenae his constitutae?*

R. 1. Sunt mixti fori: nam ratione peccati etiam ecclesiasticus procedere potest, ut patet ex Constitut. Sixti V. *Coeli. et terrae.*

Digitized by Google

11. R. 2. Sortilegi de jure civ. puniuntur publicatione bonorum, et aliquando poena ignis *l.* 3. 5. *C. de maleficiis:* hodie poena est arbitraria. Magi vero plectuntur gladio, vel igne comburuntur, si magiam exerceant cum nocumento tertii; vel pro qualitate delicti relegantur, Carpzov. 2. De jure Can. clerici sortilegi, seclusa haeresi, verbaliter degradantur, seu deponuntur ab officio, et beneficio, et ad monasterium, vel carcerem detruduntur *Can.* 4. *et seqq.* 26. *q.* 5. *Can.* 15. *admoneant.* 26. *q.* 7. *c.* 1. 2. *h. t.* Laici viles verberantur: honestiores incarcerantur, aut relegantur, *Can.* 10. *contra* 26. *q.* 1. imo excommunicari possunt *cit. c.* 15. vel stigmate notati e diaecesi expelli *Can.* 12. *Episcopi* 26. *q.* 5. Magi vero, et libros magicos edentes, aut legentes, notantur infamia, excommunicantur, et pro qualitate delicti arbitrarie puniuntur. Vide Const. Innnoc. VIII. *Summis.* Leonis X. *Honestatis.* Greg. XV. *Omnipotens.* Sixti V. *Coeli, et terrae.*

Vide etiam Decretum Cong. univers. Inquisit. a me relatum tit. 38. *de poenit. et remiss. post num.* 3. *contra sacerdotes abutentes missae-sacrificio ad sortilegia.*

TITULUS. XXII.

De Collusione detegenda.

Hic revoca dictum *tit. de calumniatoribus, etc.* nam collusio idem est, quod praevaricatio, seu occulta dolosa conventio inter actorem, et reum, ut reus absolvatur.

1. Q. *Quid juris circa collusionem?* R. 1. Si actor, et reus colluserunt circa beneficium ecclesiasticum, ita ut actor in gratiam rei pateretur sibi litem fieri circa illud, uterque illo privandus est, *c.* 3. *h. t.* ne patronis, et collatoribus jus conferendi laedatur.

2. R. 2. Si accusator in criminalibus collusit reo accusato, uterque fit infamis, *l.* 4. *ff. de praevar.* Accusator extraordinarie punitur, vel poena talionis: reus vero absolutus, iterum accusari, aut inquiri potest, *arg. c. fin. h. t. l.* 3. §. 1. *ff. de praevaric.* quia sententia, ex collusione lata est invalida *l.* 3. *ff. de collus. deteg.*

3. R. In civili causa non datur proprie collusio, seu praevaricatio; quia actor, et reus in civilibus transigere inter se possunt. At procuratores in civilibus judiciis colludere possunt, uti et advocatus, licet hic falsarius potius, quam collusor dicendus sit, ut dixi *tit.* 20. *num.* 2.

TITULUS XXIII

De Delictis Puerorum.

1. Nomine puerorum venit hic uterque sexus, annos pubertatis necdum ingressus. Quamvis vero in ordine ad matrimonia ineunda, ubi potentia generandi attenditur, mas praesumatur pubes an. 14. completo, et foemina viripotens an. 12. *c.* 3. *et* 14. *de despons. impub.* tamen in ordine ad de-

licta, et poenas nulla videtur esse distinctio aetatis inter marem, et foeminam, ut innuit Const. Carolina; quia judicium, et capacitas doli, ac providentiae non advenit citius in foemina, quam mare; et ideo neque puella fit citius majorennis. An vero pubertas anno 14. an 17. vel 18. adveniat pro judicio criminali, mathematice definiri nequit: sed totum hoc pendet a circumstantiis, et cons. judicis arbitrio relinquitur.

2. Q. I. *An, et quibus poenis substent infantes, pueri, et minorennes delinquentes?* R. 1. Infantes nec civili, nec criminali poenae substant, *l.* 12. *ff. ad L. Corn. de sicar. l.* 5. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* nam infantes septimum annum non egressi, propter defectum judicii non praesumuntur doli capaces; ergo nec poenae. Infantibus comparantur amentes, furiosi, et similes usu rationis destituti. Quod vero in uno, vel altero malitia aetatem praevertat, id tanquam rarum non est trahendum in consequentiam.

3. R. 2. Pueri ob delicta omissionis raro ad poenam tenentur, *l.* 2. *C. si advers. delict.* quia imprudentia potius, quam malitia actum debitum omisisse praesumuntur; nisi probetur dolum in omissione intervenisse, *l.* 14. *ff. de SCto Syllan.* Magistri tamen, et parentes pueros, qui officia sua non implent, missas diebus festivis, et Dominicis non audiunt, et alia necessaria exercitia omittunt, moderate castigare debent, ne peccare assuescant.

4. R. 3. Pueri ob delicta commissionis, v. g. ob furta, homicidia, et similia, puniri possunt, et debent, sed poena mitiori, attenta, non tam aetate, quam qualitate doli, et malitiae. Ita *c.* 1. *h. t. l.* 14. *ff. de SCto Syllaniano:* nam pueri, quatenus sunt capaces doli, substant poenae; quatenus vero patiuntur defectum judicii, merentur remissionem majoris poenae ex *reg.* 108. *ff. fere in omnibus poenalibus judiciis, et aetati, et imprudentiae, succurritur*, ergo. *Dices:* Pupilli sine auctoritate tutoris obligari non possunt, *pr. Inst. de auct. tut. et l.* 22. *pr. ff. de L. Corn. de fals. l.* 1. *v. impuberes C. de fals. monet. et c.* 2. *h. t. in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis severius corrigendum.* R. Dist. ant. obligari ex contractibus conc. ant. ex delictis neg. ant. ceterae leges procedunt in delictis omissionis: et *c.* 2. *h. t.* loquitur comparative, quod pueri tam severe non puniantur, ac alii.

5. R. 4. Minorrennes 25. annos non egressi ob delicta commissionis puniri possunt poena ordinaria *l.* 9. §. 2. *l.* 37. §. 1. *ff. de Minor.* regulariter tamen ob fragilitatem aetatis non solent ordinaria poena puniri, nisi gravissima delicta concurrant, ut haeresis, simonia, veneficium, laesae majestatis, repetitio delicti etc. modo delinquens sit major 14. annis. Imo pueri, si malitia supplet aetatem, tenentur de adulterio, aliisque delictis carnalibus *l.* 36. 38. §. 4. *ff. de L. Jul. de adult. et lib.* 37. §. 1. *ff. de Minor.*

6. Q. II. *An pater teneatur ex delicto filii quoad poenam pecuniariam?* R. Negative, si delicti particeps non

Digitized by Google

fuit, *tit. C. ne filius pro patre:* nam nemo *alieni criminis successor constituitur l.* 26. *ff. de poenis* et peccata suos tenent auctores *l.* 22. *C. de poen.* ergo. Unde pater non tenetur solvere ex peculio profectitio *l.* 58. *ff. de R. J.* neque ex bonis adventitiis, ne usufructu privetur, neque ex legitima, quia hanc ante mortem suam dare non tenetur. Idem dic, de praelato, qui ex delicto monachi non tenetur, ne delictum personae noceat monasterio. *Dices:* 1. Pater ex L. XII. Tabb. non secus ac dominus, judicio noxali conveniri potest ex delicto filii. 2. Pater saltem ex peculio filii solvere tenetur *l.* 1. *C. ne filius pro patre*, ibi: *neque amplius, quam de peculio actionem sustinere cogitur.* 3. Frustra alias filius ex delicto conveniretur. R. *Ad* 1. cessante potestate vitae, et necis in filium, cessat istud judicium noxale §. *fin. In. de noxalib. actionib. Ad* 2. Ex contractu filiifam. pecunia peculiaris solvenda est, non vero ex delicto. *Ad* 3. Neg. seq. quia si filius ex peculio castrensi satisfacere nequit, alia poena puniri potest.

Hactenus examinata fuerunt delicta fidei, religioni, justitiae, et charitati proximi adversantia: nunc a *tit.* 24. *usque ad* 33. examinabuntur illa delicta, quae potissimum a clericis committuntur. Sit.

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 8. *et seqq. d.* 86. *et Can.* 1. *d.* 34. et Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. 12. *V. vestitu, circa fin. de refor.*

1. *Nota* hic non agi de venatione *oppressiva* hominum, sicut Nemroth fuit robustus venator *Gen.* 10. hoc est, oppressor hominum *Can. fin. in fin. Scholii d.* 6. neque de venatione *arenaria*, seu pugnatione cum bestiis; sed de venatione *occupativa* ferae liberae, quae ad ferarum, volucrum, et piscium capturam ordinatur; estque duplex: *Clamorosa*, quae fit cum magno tumultu armorum, retium, canum, et aliorum requisitorum. *Quieta*, quae fit sine magno strepitu, v. g. ad lepores, aves, et ejusmodi feras capiendas. Venatio ista sylvatica, licet per se sit licita, per accidens tamen fit illicita; ut damnum fiat proximo, si missa die festo omittatur, et si ob graves causas aliquibus personis prohibeatur.

2. Q. I. *Quae venatio sit clericis prohibita?* R. Clamorosa, seu tumultuosa *c.* 1. *et fin. h. t.* nam talis venatio non convenit modestiae clericali, neque lenitati propter immitem calidi sanguinis effusionem: et potissimum, quia vehementer distrahit, et avocat animos ab orationibus, et officiis clericalibus. At modesta, et quieta venatio, si fiat necessitatis, aut honestae recreationis causa, et rarius citra turbationem officiorum spiritualium, permissa est clericis, ut probat consuetudo optima legum interpres. Quamvis autem nomine clericorum in materia odiosa non veniant Episcopi, et monachi, hic tamen in hac materia accommoda veniunt, ut patet ex *c.* 1.

Digitized by Google

et fin. h. t. imo quia Episcopi, et monachi gravius obligantur vacare exercitiis spiritualibus, gravius peccant venando; nisi in sylvis suis per alios venentur, sicut *c.* 21. *de censib.* ubi fit mentio de spallis, seu armis Episcopo ab Abbate offerendis. Nec obstat *Can.* 33. *v. taxantur de consecr. d.* 5. nam piscatio moderata non tantum distrahit, quantum venatio: et piscatores Sanctos in Evangelio legimus, non vero vel unum venatorem, S. Hier. *Can.* 11. *d.* 86.

3. Q. II. *Quae sint poenae clericorum venatorum?* R. ex *c.* 1. *h. t.* Episcopus jubetur tribus mensibus a communione arceri: presbyter duobus: diaconus vero suspendi ab officio, puta ad arbitrium Episcopi: ceteri vero beneficiati arbitrarie puniendi sunt: quas tamen poenas regulariter monitio praecedere debet. Et quamvis Wagnereck, et alii dicant in multis locis poenas istas contraria consuetudine abrogatas esse; si tamen venatio impedit debita exercitia clericalia, praesertim episcopalia, et monachalia, jus naturale, cui consuetudo non praevalet, obligat ad omittendas istas venationes; praesertim si scandalo sint conjunctae.

Vide notata post. c. 1. h t. p. 1.

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

Agitur de hac materia in Decreto *dist.* 45. *per tot. et c.* 25. *d.* 86.

1. Q. *Quis dicatur clericus percussor, et quae poena illius?* R. 1. Clericus, praesertim in sacris constitutus, tunc dicitur percussor, dum laicos etiam delinquentes, sive fideles sive infideles, propriis manibus percutit, quod est contra modestiam, et mansuetudinem clericalem, *Can.* 1. *et seqq. d*, 45. Poena illius est correctio arbitraria: et si se non emendaverit, sed consuetudinarius sit in percutiendo, jubetur deponi *c.* 2. *h. t.* imo etiam ob unam percussionem gravem. et lethalem deponi potest, *c.* 2. *eod.*

2. R. 2. Praelatus Episcopo inferior clericos sibi subditos disciplinae causa potest propria manu percutere, non vero Episcopus *Can.* 25. *d.* 86. sed is verberationem istam demandare debet alteri clerico, et ex hodierna consuetudine etiam laico; quia executio hujus verberationis non satis decet clericos: ita tamen ut castigatio sit moderata, alioquin mandans, et mandatarius incurret excommunicationem Canonis, *si quis suadente.*

3. R. 3. Clerici magistri, si verba non proficiunt, possunt discipulis suis clericis etiam moderata verbera infligere, *Can.* 19. *de poen. d.* 1. *c.* 10. 54. *de sent. excom.* nam talis potestas censetur esse quasi necessaria ad docendum, et corrigendum, ne magister clericos docens sit in periculo excommunicationis. Similiter senioribus sacerdotibus permittitur, ut pueros minoristas inquietos, et divina officia, turbantes leviter percutere possint, *c.* 16. *et* 54. *de sent. excom.* De clerico in bello percutiente dixi *tit. de homic. n.* 38. *et* 39.

Digitized by Google

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

Agitur de hac materia in Decreto *dist.* 46. *et* 24. *q.* 3. *sparsim.*

1. *Nota* Maledictum esse malum sermonem de alio: cujus tres sunt species. ***Blasphemia***, dum quis male loquitur de Deo, vel Sanctis, sive affirmando, quod Deo non convenit, ut quod sit crudelis; sive negando, quod ei convenit, ut quod non sit providus; sive imprecando malum Deo, v. gr. ut pereat, punire non possit, sive indecentia verba in Deum, et Sanctos proferendo, ut contemptim dicendo Christum esse fabrum, vel B. ejus Matrem non esse Virginem etc. vel denique creaturae attributum divinitatis attribuendo, v. gr. daemonem esse omnipotentem etc. Dum error haeresis miscetur, vocatur blasphemia qualificata, secus, blasphemia simplex. Vide S. D. 2. 2. *q.* 13. et 14. Altera species est ***detractio***, seu mala locutio de proximo absente. Tertia est ***calumnia***, seu mala locutio de proximo praesente; ut si quis in faciem ei objiciat, quod sit fur, adulter, illegitimus etc. Vide S. D.

2. Q. I. ***Quae sit poena blasphemantis?*** R. 1. De jure div. *L.* 24. *c.* 16. fuit lapidatio: hodie de jure civ. *Nov.* 77. *c.* 1. §. *fin.* et Reces. Imp. sub Car. V. 1548. blasfphemi in Deum puniuntur morte, vel mutilatione: blasfphemi in Sanctos fustigatione, linguae sectione etc. quae tamen poenae mitigantur, si blasphemia indeliberate prolata est; nisi prolata fuisset ex ira ob officium juste perditum, vel pecuniam in lusu amissam, Clar. Menoch. Farin. 2. De jure Can. clericus blasphemus deponebatur, laicus excommunicabatur, *Can.* 10. *si quis* 22. *q.* deinde jure Decretal. indicta est poenitentia publica, et multa pecuniaria, ut describitur *c. fin. h. t.* Hodie plerumque particularia statuta observantur, quia Const. Leon. X. incip. *Supernae* Julii III. ***In multis*** S. Pii V. ***Cum primum***, non sunt usu receptae.

3. Q. II. *Quae sit poena maledicentis principi?* R. 1. Si qui Papae, vel Imperatori ex levitate, insania, aut temulentia maledixerit, et injuria vergat praecise in personam eorum, convenienter ab utroque injuria remittitur ad imitationem mansuetudinis Christi *Can.* 27. *int.* 23. *q.* 4. *l. un. C. si quis Imp. maled.* Idem faciet Episcopus, et praelatus regularis, ut personalem injuriam maledicenti subdito mansuete remittat, *cit. Can.* 27. *et l.* 10. *de Episc. et Cler.* ubi tamen judici laico praecipitur, ut injuriam Episcopo illatam vindicet, ***nec expectet, ut Episcopus injuriae propriae ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit.*** Exemplum est in Sancto Pio V. qui auctorem famosi criminis in se conficti liberum dimisit. 2. Si maledictum redundet in Sedem apostolicam, vel majestatem, vel seditio, aut aliud grave malum immineat, locus est poenae arbitrariae pro qualitate delicti, cum certa non statuatur *c.* 1. *h. t. et Can.* 24. *d.* 63. *et Can.* 30. *Guilisarius* 23. *q.* 4.

Digitized by Google

4. Q. III. *Quae sit poena maledicentis privato?* R. Clericus, maxime sacerdos, in proximum maledicus, olim cogebatur ad petendam injuriae veniam; secus degradabatur, hoc est, suspendebatur usque ad satisfactionem praestitam *Can.* 3. *d.* 46. Hodie maledici tenentur actione injuriarum, et palinodiae, seu recantationis, *l.* 15. §. 27. *ff. de injur.*

5. Q. IV. *An maledictum sit mixti fori?* R. Affirmative, excepta blasphemia haereticali, quae pertinet ad cognitionem solius judicis ecclesiastici; licet de consuetudine etiam laicus punire soleat tales blasphemos.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

1. Q. I. *Quae sit poena clerici censura irretiti exercentis actum Ordinis sacri?* R. 1. Poena est depositio ab officio, et beneficio per sententiam infligenda *c.* 4. *h. t.* licet Episcopus, si velit, possit prius monere reum, *c.* 3. *h. t.* 2. Est privatio beneficiorum, et quidem ipso jure, *c.* 6. *h. t.* Tiraq. 3. Est irregularitas ipso jure, et facto incurrenda: ita disponitur de excommunicato *Can.* 6. *et seq.* 11. *q.* 3. *c. fin. h. t.* de suspenso *c.* 9. *h. t. c.* 1. *in fin. de sent. et re jud.* in 6. de interdicto personaliter *c.* 18. §. *fin. et c.* 20. *de excom. in* 6. dummodo censuratus exerceat *actum proprium Ordinis, et temere*, sine urgenti causa: secus non fit irregularis; quia poena irregularitatis lata est in temerarium violatorem censurae *Can.* 6. *siquis* 11. *q.* 3. *c.* 1. §. *fin. de sent. et re jud. in* 6. ibi: *damnabiliter ingesserit se divinis.*

2. Unde non fit irregularis. 1. Qui in censura suscipit ordinem, licet supendatur *c.* 1. *de eo, qui furtiv.* qui matrimonio assistit, sed illud non benedicit, qui absolvit a censuris, vel dispensat in votis, modo id fiat sine stola, qui baptizat privatim, non solemniter, qui canit Evangelium sine stola, et epistolam sine manipulo etc. quia in his casibus non exercetur actus proprius Ordinis. 2. Qui in extrema necessitate exercet actum ordinis, v. gr. absolvendo moribundum, vel si excommunicatus toleratus ex officio suo ad instantiam petentis conferat sacramentum; quia in his casibus temere non exercet actum ordinis. 3. Excusatur ab irregularitate, qui ignorat se esse censuratum *c.* 9. *h. t.* qui metu gravi injusto adigitur, vel timore propalandi delicti, infamiae, et scandali inde secuturi, exerceret actum ordinis; quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. Item si sententia est evidenter nulla, vel si reus contra illum appellavit, vel si est parvitas materiae; ut si sacerdos censuratus in horis Can. dicat: *Dominus vobiscum:* denique si justa causa excusat a mortali, sine quo poenalis irregularitas non incurritur.

3. R. 2. Si actus ordinis ex defectu intentionis est invalidus, probabiliter non incurritur irregularitas: nam

actus iste, etiam ut procedit a tali agente, non est usus ordinis, sed fictio; licet in foro externo habeatur pro irregulari. At si actus ex alio capite, v. g. defectu materiae, fuit invalidus, locus est irregularitati; quia vere violatur censura, et exercetur ordo, licet per accidens invalie. Similiter, si sacerdos censuratus distribuat Eucharistiam, vel suppleat caeremonias baptismi, probabilius fit irregularis; cum distributio Eucharistiae, et suppletio caeremoniarum per se pertineat ad officium sacerdotis.

4. R. 3. In dubio, an censura lata sit, exercens actum ordinis, post sufficientem veritatis inquisitionem, non fit irregularis; quia temere non violat censuram, licet ad cautelam absolvi debeat, *c.* 5. *h. t.* Ast in dubio, an censura sit valida, vel invalida, debet se gerere pro censurato, et sub poena irregularitatis nequit exercere actum ordinis: ita com. *arg. c.* 5. *h. t. c.* 40. *de sent. excom.* quia sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, est timenda *Can.* 1. *sententia* 11. *q.* 3. Nec prodest appellatio, quia ista non parit effectum suspensivum, sed devolutivum, ut dixi *tit. de appell.* Hactenus dicta non habent locum in casu excommunicationis minoris; quia hic irretitus, exercendo actum ordinis, non fit irregularis, ut dicitur, *c. fin. h. t.*

5. Q. II. ***An censuratus exercens actum Ordinis minoris fiat irregularis?*** R. Affirmative de rigore juris, quod non distinguit inter actus majorum, et minorum ordinum, ut declaravit Sixtus V. Const. incip. *Sanctum* 1588. *Non. Jan.* Hodie vix unquam irregularitas ista incurritur; quia actus minorum ordinum non aliter peraguntur a clericis, quam secularibus.

6. Q. III. ***Quae sit poena clerici depositi, in ordine ministrantis?*** R. Excommunicatio ferendae sententiae, *c.* 1. *et* 2. *h. t.* et si monitus se non emendaverit, tanquam incorrigibilis plectendus est exilio, *cit. c.* 2. *h. t.* et tandem degradatione *c.* 10. *de judic.*

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato, ministrante.

1. Q. I. *Quae poenae sint clerici ministrantis in ordine non suscepto?* ut si sacerdos simplex confirmet, Ecclesias consecret, aliosque actus ordinis episcopalis exerceat, vel si diaconus missam legat, minorista epistolam, et Evangelium solemniter canat cum manipulo, et stola etc. R. 1. Poena est excommunicatio ferendae sententiae *c.* 1. *h. t.* 2. Suspensio ad biennium, vel triennium ab ordine ultimo suscepto *c. fin. h. t.* quae suspensio in hac materia poenali non porrigitur ad alios ordines. 3. Irregularitas partialis, ne clericus iste ad superiores ordines promovere possit, *c.* 1. 2. *h. t.* si vero clericus exerceat actum ordinis, a quo suspensus est, fit plene irregularis, ut *tit. praeced.* dictum.

2. Requiritur autem ad hanc irregularitatem, ut clericus scienter, et temere exerceat actum ordinis non su-

Digitized by Google

scepti, *c.* 1. *h. t.* ibi: *propter temeritatem*, adeoque simplicitas, et ignorantia excusat illum ab hac poena. Censetur autem ordo non susceptus etiam ille, qui susceptus est invalide, seu cum defectu substantiali. Hodie cum in minoribus ministrare laici possint, vix unquam irregularis fiet clericus exercens actum alicujus ordinis minoris non suscepti.

3. R. 2. Clericus exercens actum ordinis non suscepti, etsi non habeat intentionem illum exercendi, fit tamen irregularis: ita Suar. Reiff. et alii contra Tabien. Navar. Bonac. Hurtad. etc. nam jus indistincte loquitur de clerico non ordinato ministrante: imo is ex defectu potestatis nec potest habere intentionem istam: et aliunde poenae istae eluderenter per hoc, quod quisque dicere posset, se non habuisse intentionem seriam ministrandi in ordine non suscepto: nisi ex adjunctis constet jocum fuisse, vel scenicam repraesentationem: secus actus externus serio positus, tanquam sacrilegus substat his poenis. *Dices:* rebaptizans sine intentione, non incurrit irregularitatem, ut com. docet, ergo a pari. R. Neg. cons. nam irregularitas ex rebaptizatione lata est occasione haereticorum, in quibus supponitur animus rebaptizandi: at in nostro casu irregularitas statuta est contra clericos sacrilege ponentes actum ordinis, quem non susceperunt.

4. Q. II. *Quas poenas incurrat laicus exercens actum Ordinis sacri?* R. 1. Si missam celebret, vel sacramentales confessiones audiat, tanquam reus gravissimi sacrilegii, et suspectus de haeresi, ab Inquisitoribus, et Ordinariis locorum judicari, et velut idolatra, et falsarius Curiae seculari tradi potest, e debet ex Constit. Clem. VIII. incip. *Etsi alias:* at irregularitatem ipso jure non incurrit; quia irregularitas ista nec est expressa in *cit.* Constitutione Clem. neque *h. tit.* loquente de solis clericis ministrantibus in ordine non suscepto.

Ex Constit. Bened. XIV. Sacerdos in aeternum-20 *Aprilis* 1744. *missam celebrans ad presbyteratus Ordinem non promotus, Curiae seculari tradendus est, etiam pro prima vice, praevia degradatione, si alium Ordinem susceperit, quamvis unam tantum missae partem celebraverit; si tamen elevationem Hostiae, vel Calicis, seu utriusque peregerit, etiam non prolata consecrationis forma. Nec privilegium aetatis minoris annis viginti quinque* ei *suffragatur, quin condignis poenis a Curia seculari afficiatur; dummodo vigesimum annum expleverit juxta ampliationem factum ab Urbano* VIII. *Constit.*-Apostolatus officium-*quae hic innovatur. Si vero elevationem non peregerit, mitiori poena damnari permittitur.*

Eisdem poenis subjiciuntur confessionem sacramentalem audientes, non promoti ad presbyteratum, si absolutionis formam protulerint, etiam pro prima vice.

Praeterea statuitur, quod licet delictum celebrationis missae non satis plene probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio seculari, quando te-

stes inducti in suis quique depositionibus singulares dignoscuntur: nihilominus indicia per ejusmodi depositiones acquisita satis relevantia judicari debeant, ut reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem. Fisci vero intentio satis probata intelligatur, si ex extrajudicialibus litteris Ordinariorum rei constet, hunc ad presbyteratus Ordinem non fuisse promotum: cui tantum incumbere debeat onus concludenter probandi, se fuisse promotum.

Ex alia ejusdem Bened. Const. Divinarum 4. *nonas Aug.* 1757. *praedictis reis non amplius suffragatur, ut olim, sincera hujusmodi delictorum a se patratorum confessio facta judici, cum primum ab eo interrogati fuerint, an sciant qua de causa carceribus inclusi sint, ad obtinendam promeritae poenae minorationem, scilicet triremium, et carceris inperpetuum loco mortis, sed omnino tradi debent, servatis servandis, brachio seculari, capitali poena puniendi.*

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

Agitur de hac materia in Decreto *Can. un. d.* 52. *et Can.* 2. *et fin. d.* 59. Trid. *S.* 23. *c.* 2. *de sacr. Ord. et c.* 11. *et* 14. *de ref.*

1. Q. I. *An clericus per saltum valide ordinetur?* R. Affirmative, excepto episcopatu; quia essentialiter praesupponit sacerdotium, cum illis sit ultimum complementum. Inter ceteros autem ordines non datur essentialis ista connexio, et praehabitio, sed qui illicite suscepit sacerdotium, debet deinde reliquos inferiores ordines suscipere; nec prius ei licet in ordine per saltum obtento ministrare.

2. Q. II. *Quae sit poena clerici per saltum promoti?* R. 1. Suspensio, vi cujus clericus nequit in ordine per saltum suscepto ministrare, nec ad superiores ordines ascendere, nec omissum ordinem sine dispensatione recipere: quae suspensio ipso jure, et facto incurritur ut com. docet, contra Turrecr. Archid. quia Trid. S. 23. *c.* 14. *de refor.* dat Episcopo potestatem dispensandi cum promoto per saltum, ut prius recepto inferiore ordine, valeat ministrare in ordine per saltum suscepto; ergo Trid. supponit suspensionem istam ipso jure incursam fuisse. Et hoc sensu explicatur *c. un. h. t.* ibi: *a sacerdotali officio illum prohibeas,* seu declares prohibitum. Eandem suspensionem ex declaratione S. Cong. Conc. incurrit suscipiens minores ordines absque prima tonsura; quia ista est saltem necessaria ad ordines dispositio, reddens subjectum capax licitae ordinationis. Secus est si omittatur Confirmatio, qoae de sola congruitate praerequiritur ad ordines; et aliunde nomine ordinum non venit.

3. R. 2. Episcopus ex Trid. S. 23. *c.* 14. *de refor.* dispensare potest in hac suspensione, ut prius suscepto omisso ordine, promotus per saltum ministret in ultimo ordine, si antea in hoc non ministraverit, sive ignoranter, sive scienter promotus fuerit, cum

Trid. non distinguat. E contra Episcopus non potest dispensare; imo probabilius nec Papa, ut non recepto inferiori ordine, recipiatur superior; quia ex institutione Christi ordines gradatim sunt recipiendi: neque Episcopus dispensare potest, si promotus in ordine per saltum recepto ministraverit, quia Trid. conditionate loquitur, *si non ministraverit*. Si tamen delictum cum suspensione, et irregularitate occultum sit, poterit in his Episcopus dispensare vi Trid. S. 24. *c.* 6. *de ref.* At promotus per saltum non indiget ulla dispensatione administrandum in prioribus ordinibus rite susceptis; quia suspensio ista ad illos se non extendit, ut patet ex dictis, neque fit irregularis; cum id nullo jure caveatur.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive Ordinem suscepit.

1. Qui furtive ordinem suscepit, hoc est, sine licentia Episcopi, et praevio examine immiscet se ordinandis, aut eodem die duos sac. ordines suscipit, regulariter valide ordinatur; non obstante consueta protestatione Episcopi, quae fit potius animo deterrendi quam non ordinandi, nisi expressa esset voluntas Episcopi eos non ordinandi. Unde regulariter furtive ordinati non sunt reordinandi, *c.* 1. *h. t.*

Vide additionem part. 1. *tit.* 12. *post. num.* 5.

2. Q. *Quae sint poenae furtive ordinati?* R. 1. Suspensio ab ordinibus ita susceptis, *c. fin. h. t.* 2. Suspensio, ne ascendat ad altiores ordines *c.* 1. *h. t.* non tamen irregularitas; quia clare non colligitur ex *cit. c.* 1. Per accidens, si Episcopus sub excommunicatione prohibuit furtivam ordinationem, ita ordinati, utpote excommunicati exercere nequeunt ordines antea rite susceptos.

3. R. 2. Dispensare in hac suspensione regulariter potest Episcopus; nisi furtiva ordinatio prohibita fuisset sub excommunicatione; quo casu dispensat solus Papa: Episcopus vero, vel praelatus dispensare potest, cum eo, qui postea monasterium ingressus est, *c.* 1. 2. *h. t.* In occulta suspensione dispensat Episcopus vi Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Dispensatione non videtur opus cum eo, qui ignoranter, per vim, aut gravem metum furtive suscepit ordinationem; quia causae istae excusant a poenis.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Praelatorum, et subditorum.

Agitur de hac materia in Sexto et Clem. *h. t.* et in Decreto sparsim *d.* 86. *et* 2. *q.* 1.

I. Q. I. *Qui sint excessus praelatorum?* R. Plures enumerari *h. t.* et quidem 1. Si subditos gravent indebitis oneribus, exactionibus, censuris non promeritis, *c.* 1. *h. t.* 2. Si illorum jura diminuant, vel Ecclesias eis subjectis eripiant, *c.* 2. *eod.* 3. Si beneficia, quorum collatio ad subditos spectat, sibi retineant, aut conferant,

c. 3. *eod.* 4. Si beneficia conferant indignis, c. 11. *eod.* 5. Si aliquid praecipiant, vel prohibeant contra privilegia apostolica: quo casu *liberum est abbatibus*, seu regularibus, *auctoritate apostolica quod petitur, denegare* c. 5. *eod.* nam Episcopi, utpote inferiores, non possunt tollere privilegia apostolica, sed tenentur ea conservare c. 16. *de M. et O.* et ideo excommunicatio lata contra subditum, qui non paret contra privilegium, est ipso jure nulla c. 7. *h. t.* Alia gravamina Regularibus illata vide c. 16. *et* 17. *et Clem. un. h. t.* 6. Si praelati Episcopo minores Ecclesias propria auctoritate uniant, c. 8. *h. t.* vel si, secluso privilegio, indulgentias concedant, publicas poenitentias imponant, et alia Episcoporum propria exerceant, c. 12. *eod.* Ceteros excessus praelatorum vide hic in textu

2. Q. II. *Qui sint excessus subditorum erga praelatos?* R. seqq. 1. Si festa, interdicta, et alias censuras ab Episcopo latas non observent; cum in his Episcopo parere etiam Regulares exempti teneantur c. *fin. h. t.* Trid. *sess.* 25. c. 12. *de Regg.* 2. Si privati clerici sibi faciant commune sigillum, et alia collegii jura usurpent, c. 14. *eod.* 3. Si negent Episcopum esse suum pastorem, cumque trahant ad judicium seculare, aut invadant: pro quo excessu deponendi, officiis, et beneficiis privandi sunt, c. 15. *eod.* 4. Si mutent sibi causam possessionis in beneficio; ut si vicarius sibi arroget titulum rectoris principalis, ob quod tanquam perjurus, et infamis ab executione officii amovendus est. c. 6. *eod.* Alios excessus subditorum passim in jure reperies, uti etiam poenas eis debitas.

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

1. Titulus, iste pertinet ad excessus praelatorum, et subditorum, dum aedificant Ecclesias, domos, et alia pia opera in praejudicium alterius; cujus delicto occurritur per novi operis denunciationem a jure civili *tit. ff. et C. de N. O. N.* introductam, et a sac. Canonibus receptam, c. 1. *h. t.* ubi ponitur celebris illa regula: *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Porro novi operis nunciatio est legitima prohibitio, ne opus aliquod extruatur, vel extructum immutetur, aut in coepta aedificatione, aut mutatione procedatur, donec intra tres menses constet de jure aedificantis, vel eo nomine idonea cautio detur c. *fin. h. t. l.* 1. §. 11. *ff. et l. un. C. eod.*

2. Q. I. *Quod dicatur novum opus nunciabile?* R. Illud tantum, quod est *conjunctum solo, novum* simpliciter, et *futurum.* Unde locum non habet nunciatio contra eum, qui messem colligit, arbores succidit, qui vetus aedificium reficit, pristinam ejus faciem, seu formam non mutando, et qui absque prohibitione totum opus complevit, *l.* 1. §. 1. 11. 12. *ff. de operis nov. nunc.* Adversus opus praeteritum, seu

Digitized by Google

jam factum, et completum non competit hoc edictum, seu interdictum, sed aliud *Quod vi, aut clam, cit. l.* 1. §. 1. nisi quis prohibitus, non impetrata nunciationis remissione, nec data satisdatione, aedificaverit: tunc enim actor in optione habet experiri, vel *interdicto de N. O. N.* vel interdicto *quod vi, aut clam. l.* 7. §. 2. *ff. quod vi aut clam.*

3. Q. II. *Quis, et cui nunciare possit novum opus?* R. 1. Nunciare potest omnis, cujus interest, vel alius ejus nomine, ne contra jus illius aedificetur: et quidem 1. Si aedificium vergit in praejudicium boni publici, quilibet de populo nunciare potest *l.* 3. §. *fin. et l.* 4. *ff. h. t.* cum omnium intersit bono publico non noceri. Mulier tamen, et pupillus, nisi specialiter eorum intersit, uti et infamis non admittuntur ad popularem actionem, *l.* 5. *eod. et l.* 4. 6. *ff. de popul. act.* 2. Si novum opus vergit in praejudicium boni privati, illud nunciare potest non tantum dominus directus, sed etiam vasallus, emphiteuta, superficiarius, creditor hypothecarius, vel eorum nomine filius, servus, mercenarius, procurator, negotiorum gestor, amicus; dummodo hi, non habentes mandatum speciale, caveant de rato; ita haec omnia habentur *l.* 1. *et seqq. ff. h. t.* Pupillus saltem verbaliter nunciare nequit, ne alterum fateatur esse in possessione; nisi adsit auctoritas tutoris, *l.* 3. *pr. ff. eod.* fructuarius non nunciat, sed agit confessoria, ne impediatur in usufructu, *l.* 5. §. *fin. eod.*

4. R. 2. Opus novum nunciari potest cuivis, etiam superiori, qui in praejudicium alterius illud molitur *l.* 8. *pr. ff. h. t.* sive iste sit dominus, sive dominum repraesentans, ut servus, fabri, opifices; item sive sit mas, sive foemina, infans, furiosus, amens; modo aliquis in loco sit praesens, qui nunciationem factam intelligat, *l.* 5. §. 3. *l.* 10. *eod.* sive sacrum, sive profanum aedificet, *c.* 2. *h. t.* sive non habeat, sive habeat jus aedificandi, si hoc non fit notorium *c.* 1. *h. t. l.* 20. §. 1. *eod.* nam si jus aedificandi habet, facile apud judicem impetrabit remissionem, seu cassationem nunciationis ex interdicto *tit. ff. de remissionib.*

5. Q. III. *Qua forma fieri debeat nunciatio novi operis?* R. 1. Oportet, ut nunciatio fiat, vel *solo verbo* extrajudiciali, adversario prohibendo, ne aedificet, vel coeptum prosequatur; vel *facto* significante prohibitionem novi operis, quod fit per *appositionem manus*; ut si lapides, vel materiam ad aedificandum paratam dispergas, lapidem jacias in opus coeptum, vel ex eo lapidem amoveas; dummodo per verba, aut alia signa significetur per actiones istas fieri nunciationem novi operis; vel denique judicialiter petendo a judice, ut novum opus prohibeat, *l.* 5. §. 10. *ff. h. t.* ubi etiam Ulp. dicit, si in nostro aedificetur, meliorem esse nunciationem judicialem per praetorem, et realem per jactum lapidis, quam verbalem: quia verbaliter nuncians, fatetur adversarium esse in possessione. 2. Testes utiliter adhibentur, non quidem ad substantiam, sed ad faciliorem probationem factae nunciationis. 3.

Nunciatio facienda est in loco, vel prope locum, ubi intenditur extructio operis *l.* 5. §. 2. *eod.* de tempore non curatur, quia etiam die feriata opus novum nuntiari potest, et praetor adiri, ut de plano cognoscens, absque cognitione tribunalitia prohibeat novum opus. 4. Proponi debet causa, ob quam nunciatur; puta conservatio juris nostri, quod opere novo laeditur, vel aversio damni, et praejudicii, quod ex opere novo timetur, vel defensio juris publici, *l.* 1. §. 15. *ff eod.*

6. Q. IV. *Quis sit effectus nunciationis legitime factae?* R. 1. Obligatio non aedificandi, aut ab opere coepto desistendi, donec causa discussa, constet de jure aedificantis, et prohibentis, *l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* Unde siquis, non impetrata remissione, vel non praemissa satisdactione de aedificato destruendo, quae locum remissionis tenet, novum opus aedificaverit, ante omnia tenetur illud destruere propriis sumptibus, et in pristinam formam reducere; ita ut non audiatur volens dare cautionem de opere destruendo, si nuncians jus, et interesse suum probaverit: ita de utroque jure *l.* 20. *pr. cum seqq.* §§. *ff. h. t. c.* 1. 2. *h. t.* etsi postea appareat jus aedificandi fuisse; quia interdictum praetorium temerario aedificatori hanc poenam salubriter statuit, ne in praejudicium aliorum nova opera fiant; nisi forsan eo casu nuncians elegerit interesse. 2. Alter effectus nunciationis *verbalis* est, quod accepta remissione, et satisdatione, possessio transeat in adversarium, ut ante dictum ex *l.* 5. §. 10. *eod.* quia post remissionem, et satisdationem aedificari permittens, fatetur adversarium possidere, *l.* 7. §. 2. *ff. quod vi, aut clam.* 3. Nuncians, si nolit cautionem recipere de aedificato destruendo, potest, et debet jus, ac interesse suum probare intra spatium trium mensium *c. fin. h. t.* quo tempore si jus suum non probet, adversarius, impetrata remissione, opus novum tuto aedificabit, *l. un. ff. de remission.* 4. Dominus soli propria auctoritate in continenti diruere potest quidquid alius in eo aedificavit, *l.* 27. *ff. de S. P. U. l.* 3. §. 9. *ff. de vi arm.* tum quia aedificatum in solo, cedit domino soli; tum quia in continenti vim vi repellere licet. At si quis in solo suo aedificet, non licet alteri aedificatum diruere, sed adhibenda est nunciatio conformiter *l.* 5. §. 10. *ff. h. t.* si autem post nunciationem dominus soli aedificare pergat, poterit nuncians vim vi repellere, et propria auctoritate aedificatum diruere ex interdicto *ff. quod vi, aut clam.*

7. Q. V. *In quibus casibus locum non habeat nunciatio novi operis?* R. seqq. 1. Si jus aedificandi sit notorium *l.* 20. *pr. ff. h. t.* quo casu non est necessaria auctoritas praetoris; cum jus sit liquidum, et nunciatio notorie injusta. 2. Si judex revocet nunciationem, ejusque remissionem faciat *l.* 16. *ff. h. t.* ex quacumque justa causa; maxime si nuncians intra trimestre non probet jus suum, *c.* 3. *et fin. h. t. l* 20. §. 14. *ff. et l. un. C. eod.* 3. Si nuncians aedificanti remittat nunciationem, vel cautionem acceptet de opere destruen-

Digitized by Google

do, si deinde constiterit non adesse jus aedificandi *c.* 2. 3. *h. t. l.* 8. §. 1. *et l.* 20. §. 9. *ff. eod.* vel si nuncians nolit jurare de calumnia, quia praesumitur calumniose nunciare, *l.* 5. §. 14 *eod.* 4. Si nuncians, re integra, moriatur, *l.* 8. §. 6. *eod.* quia nunciatio ex parte nunciantis est mere personalis, neque transit ad haeredes, nisi et horum nomine fuisse nunciatum. At contra nunciatio morte ejus, cui nunciatum est, non extinguitur, *cit. l.* 8. §. *fin.* quia hoc respectu realis est, et transitoria ad haeredes *l.* 10. *ff. h. t.* imo etiam ad successores particulares, ut emptorem *l. fin. eod.* Ceterum regulariter loquendo, si jus alienum non obstet, quilibet in suo fundo aedificare potest quodlibet, *l.* 8. *C. de servit.* nam juxta com. brocardicon: *Si domus mea est, est mea usque ad caelum sursum, et usque ad infernum deorsum.* Plura alia de aedificatione traduntur a Civilistis ad §. 29. *et* 30. *Instit. de rer. divis.*

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, et Excessibus Privilegiatorum.

Agitur de hac materia in *Sexto, Clem. et Extrav. Joann. XXII. et Extrav. com. h. t.* In Decreto 25. *q.* 2. In Trid. *Sess.* 6. *c.* 3. *Sess.* 7. *c.* 14. *Sess.* 14. *c.* 5. 8. *Sess.* 24. *c.* 11. *de reform.* et alibi frequenter, ubi privilegia multa revocantur. In Pandectis *l.* 14. 15. 16. *ff. de LL. et l.* 1. §. *fin. ff. de Const. Princ.*

1. Prima pars hujus rubricae hic incidenter ponitur: alias tractatio de privilegiis, tanquam privatis legibus magis proprie spectaret ad *tit. de Const.* sicut fit in jure civili. Altera vero pars de *excessibus privilegiatorum* huc proprie spectat, cum excedere in privilegiis delictum sit. Agam hic 1. De privilegiis in communi. 2. De quibusdam privilegiis in specie. 3. De excessibus privilegiatorum.

§. I.

De Privilegiis in communi.

Hic considerari solet natura, divisio causae, effectus, amissio, et revocatio privilegii.

2. Q. I. *Quid sit privilegium?* R. Quoad nomen est *lex privata Can.* 3. *d.* 3. quoad rem privilegium formaliter est jus singulare contra tenorem juris communis ob aliquam utilitatem a principe concessum: ita in re com. ex *l.* 16. *ff. de LL. Dicitur* 1. *Jus* per modum generis, in quo convenit cum lege, cum adinstar legis obliget. *Dicitur* 1. *Singulare*, quia datur uni, vel alteri personae singulari, aut communitati minori, tanquam personae singulari fictae, licet ex consequenti obliget totam communitatem principi subjectam, ne privilegiatum in usu privilegii impediat. *Dicitur* 3. *contra tenorem juris communis;* quia privilegium, seu lex privata, debet esse contrarium juri communi, ut asserit JCtus et *l.* 14. *et seqq. ff. de LL.* Unde id, quod conceditur, *prater*, aut *juxta jus*

Digitized by Google

commune, non est in rigore privilegium, sed potius *gratia*, *beneficium*, aut *declaratio principis*; licet in communi usu frequenter dicatur privilegium, quem usum non damno; quia de vocibus non libenter contendo. *Dicitur* 4. *ob aliquam utilitatem*; quia ex hoc, quod quibusdam personis concedatur exemptio a quibusdam legibus, et oneribus communibus, magna utilitas, et emolumentum reipubl. sequi solet; ut consideranti patet in privilegiis pupillorum, minorum, clericorum, militum etc. *Dicitur* 5. a principe, seu suprema potestate, quae sola derogare potest juri communi. Ita proportionaliter discurrendum de privilegiis, quae inferior conditor dat contra jus suum territoriale. Praeterea pluribus aliis modis accipi potest privilegium; puta *instrumentaliter* pro ipsa scriptura, consecutivo pro facultate, quam privilegiatus accipit: *formaliter* vero pro ipso jure singulari a principe constituto.

3. Q. II. *Quomodo dividatur privilegium?* R. 1. In *affirmativum*, quo conceditur actus alias jure prohibitus; ut eligere in aliena Ecclesia: et *negativum*, quo conceditur omissio actus jure praecepti; ut non solvere decimas. 2. In *mere gratiosum*, quod datur ex pura benevolentia principis; cum et ista sit causa sufficiens ad dandum privilegium, licet ordinarie alia causa concurrat: et *remuneratorium*, quod datur ob merita personarum; sicut pleraque privilegia Regularium. 3. In *favorabile*, *et odiosum*, in quibus explicandis variant DD. In meliori sententia illud est privilegium *favorabile*, quod primario et per se conceditur in favorem personae, licet per accidens odium, seu praejudicium alterius contineat; sicut privilegium aetatis, SCti Vellejani etc. *Odiosum* est illud, quod per se, et principaliter in odium, et detestationem alterius conceditur; sicut privilegium SCti Macedoniani in odium foeneratorum, quartae pianae in odium injusto exhaeredantium, vel emancipantium arrogatos impuberes, privilegium retrahendi libertum ingratum in servitutem, vel revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii etc. Fateor tamen in communi usu saepe vocari privilegia *odiosa*, quae adversantur juri communi, aut tertii, seu gravamen, et praejudicium alterius continet; ut privilegium decimandi, pontificalia exercendi in alia dioecesi etc. 3. In *onerosum*, seu *conventionale*, quod mediante pacto datur ex justitia: et *purum*, seu *non onerosum*, quod sine ullo pacto, et titulo justitiae datur. 4. In *perpetuum*, quod de se perpetuo durat; sicut lex, nisi revocetur: et *temporale*, quod durat ad tempus limitatum: et hoc non videtur differre a dispensatione. 6. In concessum *motu proprio: et ad instantiam supplicantis*. Tunc privilegium conceditur *motu proprio*, dum clausula ista *motu proprio* exprimitur, seu causa finalis concessionis; et cons. preces privilegiati vel nullae praecesserunt, vel si praecesserunt aliquae, tamen concedens non attendit eas, ut causam finalem concessionis. Tunc vero conceditur *ad instantiam*,

Digitized by Google

seu *preces*, dum pro causa concessionis allegantur preces supplicantis. 7. In *absolutum, et conditionatum, ecclesiasticum, et politicum, clausum in corpore juris communis, et extravagans, et* alia, quorum notitia ex vocibus innotescit. 8. Privilegium celebri divisione dividitur in *personale, et reale:* licet aliqui, qui amant terminos carpere, aut entia multiplicare sine necessitate, eam rejiciant contra *l.* 196. *ff. de R. J.* ubi Modestin. ait: *privilegia quaedam causae sunt, quaedam personae. Personale* est, quod per se conceditur personae independenter a causa, seu re, fundo, officio, aut simili titulo perpetuo, et cum persona extinguitur, *reg.* 78. *ff. et reg.* 7. *in* 6. uti est privilegium competentiae datum parentibus, patronis, marito, militi, clerico §. 37. *et seq. Instit. de act. Reale* est, quod conceditur personis dependenter a causa, seu ratione rei, fundi, castri, dignitatis, officii, status, et communitatis: et hoc transit ad successores in eadem re, *cit. l.* 196. ut privilegium eligendi annexum dignitati, privilegium asyli, fori clericalis etc. Ex privilegiis realibus aliqua quoad usum competunt tantum *communitati, qua tali;* ut privilegium liberae electionis etc. alia *singulis membris;* ut privilegium fori clericalis, et multa privilegia Regularium.

4. Q. III. *Quae sint causae privilegii?* R. 1. *Materia*, seu objectum privilegii proprie talis, est actus jure communi praeceptus, aut prohibitus; ita ut respectu privilegiati desinat esse praeceptus, aut prohibitus: nam privilegium est jus singulare contra tenorem rationis communis *l.* 16. *ff. de LL. Can. fin.* §. *si ergo* 25. *q.* 1. Privilegia declaratoria juris communis, et privilegia praeter jus non sunt in rigore privilegia, licet vulgo ita dicantur: quo sensu explicari solet *c.* 7. *de proc. c.* 26. *v. fin. de jurej.* In dubio, an sit privilegium *declaratorium*, an *concessivum* contra jus com. censendum est concessivum, utpote proprie tale. Unde privilegium testandi datum Episcopo intelligitur de testamento quoad bona ecclesiastica, non patrimonialia etc. Illi autem actus, qui substant juri naturali praeceptivo, non sunt objectum privilegii humani; quia princeps non est supra jus naturale: unde nec privilegium dare potest contra pacta justitiae, quibus ipse obligatur, nisi causae gravissimae suaderent, ut Papa de absoluta sua potestate relaxaret aliqua pacta, etiam publica, quae semper a fidelibus fiunt, salva auctoritate Vicarii Christi.

5. R. 2. *Forma* intrinseca privilegii, sicut legis, est actus principis, ut legitime manifestatus: forma vero extrinseca desumenda est ex stylo cujusque Curiae principalis: et si in scripto detur, eadem proportionaliter est forma, quae in rescriptis. Ceterum ad valorem privilegii per se non requiritur scriptura, *c.* 7. *institutionis* 25. *q.* 2. *et Clem.* 2. *v. nos etenim de sepult.* ibi: *universa privilegia verbo, seu scripto concessa; et Extrav.* 5. *de poenit. inter com.* ibi: *tam verbo, quam scriptis, confectis inde litteris, vel non:* nam totus valor, sicut legis,

ita et privilegii, pendet a voluntate principis; ergo sive scripto, sive verbo, sive alio signo voluntas principis intimetur, valebit privilegium; nisi in casu particulari expresse scriptura requiratur; uti in collationibus, confirmationibus, et unionibus beneficiorum a Sede apostolica factis, *Extrav.* 1. *de elect. int. com.* in delegationibus judicum papalium ex *reg.* 24. *Cancell.* in facultatibus non residendi in beneficio, Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de refor.* et ingrediendi monasteria monialium, *sess.* 25. *c.* 5. *de Regg.* etc. Hodie ex Const. Urb. VIII. incip. *Alias*, et Greg. XV. incip. *Romanus* privilegia apostolica non valent, saltem pro foro externo, nisi authentizata sint per officiales publicos, quibus id in Curia apostolica incumbit.

6. R. 3. Causa *efficiens* privilegii est princeps; cum iste solus, relaxare possit jus commune: et quidem tribus modis. 1. *Personali concessione.* 2. *Praescriptione*, aut *consuetudine*, rationabili, et legitima, quae nititur generali, seu legali consensu principis, *c. fin. de consuet. c.* 18. *de praescript.* 3. *Communicatione*, dum princeps privilegium uni concessum deinde communicat, seu concedit alteri, vel *relative*, seu *adinstar*, hoc est, indirecte accessorie; sicut multa privilegia viris regg. concessa communicantur monialibus, illorum familiaribus, medicis, advocatis etc. vel *absolute*, seu *pariformiter*, *et aeque principaliter*, seu directe, ac si specialiter his concederentur: ita hos terminos sumi patet ex pluribus Bullis Pontificiis, in specie ex Bulla Greg. XV. incip. *Ad uberes fructus*, ubi terminus *adinstar* opponitur termino *pariformiter:* sic enim §. 1. communicans Scholis Piis privilegia Regularium, inquit: *pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter perinde ac si illis nominatim, et in specie concessa fuissent etc.* Ex quibus conciliabis P. Schmalz. et alios DD. qui terminos istos aliter usurpant, et subdividunt. Porro hoc interest inter privilegia *adinstar*, *et pariformiter concessa*, quod illa minuantur, et amittantur, si priora privilegia contingat minui, vel amitti; ista vero nec minuantur, nec amittantur, etiamsi priora contingat amitti, vel minui; quia illa, et non ista per se dependent a prioribus.

7. R. 4. Causa *finalis*, seu finis generalis privilegii est aliqua utilitas redundans in bonum reipubl. *l.* 6. *ff. de LL.* finis vero partialis, seu causa motiva concessionis est illud motivum, quo princeps motus, concedit privilegium. Circa hanc causam eadem observantur, quae circa causam rescripti. Vide *tit. de rescript. a num.* 5.

8. R. 5. *Subjectum*, cui privilegium stricte tale datur, debet esse subditus principis, jure communi obstrictus, saltem in transitu, sicut externi, et peregrini: nam privilegium est liberatio ab obligatione juris communis. At privilegium late tale, acceptum pro gratia, et beneficio, concedi potest etiam non subdito; cum sit actus merae liberalitatis, et praeter jus, sicut Theodosius Imp. concessit judicibus ecclesiasticis cognoscere causas temporales laicorum, *Can.* 35. *quicumque* 11. *q.* 1. Porro

licet princeps absolute dare possit privilegium independenter a consensu privilegiarii, regulariter tamen solet illud dare quasi conditionate, *si privilegiarus illud acceptaverit*, tum ne gratia principis contemnatur: tum quia privilegium vim habet donationis, quae non est absoluta, nisi acceptetur a donatario: et hoc intellige de privilegiario directo: in caeteris enim nullus requiritur consensus; ut si alicui communitati concedatur exemptio, potestas absolvendi etc. imo sine ullius consensu, Papa motu proprio posset aliquam Religionem eximere a jurisdictione Ordinarii, a consuetis processionibus etc.

9. Q. IV. *Quis sit effectus privilegii?* R. 1. Ex parte privilegiarii est jus utendi privilegio secundum tenorem, et rectam interpretationem illius: ex parte vero aliorum est obligatio non impediendi usum privilegii, *c.* 26. *h. t.* Debet autem in usu privilegii observari locus, tempus, modus, et aliae conditiones in privilegio expressae: si autem locus, vel tempus non sint expressa, neque subjecta materia aliud suadeat, concessa gratia porrigitur ad omne tempus, et omne territorium concedentis; ut si obtinuisti privilegium legendi libros haereticos, praedicandi Evangelium in omni Ecclesia etc. imo si gratia tollit solam inhabilitatem, vel concedit actum nullo speciali jure loci prohibitum, licitus est usus illius etiam extra territorium concedentis, ut ubique legere libros haereticos, celebrare ante auroram etc.

10. R. 2. Privilegiatus non tenetur uti privilegio privato, *c.* 6. *h. t.* quia favori suo renunciare potest, nisi per accidens obligatio oriatur, ut audire missam die festo tempore interdicti. At si privilegium sit ex fine suo publicum, tenetur eo uti, sicut clericus privilegio fori *c.* 12. *de for. comp.* quia favori publico privatus renunciare nequit.

11. R. 3. In concursu duorum privilegiatorum discrimen faciendum est et quidem 1. Si privilegia sint aequalia, sibi non opposita, privilegiatus utitur privilegio advers. privilegiatum; quia is quoad hunc effectum non censetur privilegiatus. Sic Ecclesia, vel minor laesus restituitur contra Ecclesiam, vel minorem laedentem; quia non laedentibus, sed laesis restitutio promissa est. 2. Si privilegia sint respectiva, et circa idem sibi opposita, speciale praevalet generali; quia species derogat generi ex *reg.* 34. *in* 6. Si vero utrumque sit aeque generale, vel aeque speciale, id praevalebit, quod est fortius hoc est, antiquius, vel a majori potestate concessum, v. g. Dominicanus Ordo habet privilegium, ne alius Ordo monasterium aedificare possit intra certum spatium, alter vero Ordo habet privilegium aedificandi, hic praevalebit privilegium, quod est specialius, vel antiquius, si ambo sint aeque specialia. 3. Si privilegia tantum apparentem habent contrarietatem, praevalet magis absolutum; alterum vero quasi tacite conditionatum cedit ei. Sic Ecclesia privilegiata a solvendis decimis praevalet alteri Ecclesiae privilegiatae ad exigendas decimas ab omnibus Ecclesiis; quia in hoc secundo

privilegio tacita inest conditio: *ab omnibus, si non sunt exempta a solvendis decimis.* 4. Si privilegium ab ipso jure praelationem habet, praevalebit alteri: sic enim filiusfam. non utitur SCto Macedoniano contra minorem, a quo mutuam pecuniam accepit; quia majus est privilegium aetatis, quam SCti *l.* **11.** **§.** *fin. ff. de minor.* Item inter duos minores certantes de damno vitando, vel de lucro capiendo, potior est conditio possidentis, et consumentis, ut dixi *l.* 1. *tit.* 41. *n.* 5. ex his facile conciliabis illud tritum: ***Privilegiatus non potest uti privilegio adversus privilegiatum.***

12. Q. V. *Quomodo liceat uti privilegio per viam interpretationis?* R. 1. Non pro arbitrio, sed secundum regulas communiter a DD. receptas, quas dedi *tit. de Const. a n.* 39. ut verba privilegii, quantum materia patitur, proprie, et generaliter, prout sonant, intelligantur: privilegia odiosa, seu adversa juri communi, aut juri quaesito tertii restringantur: mere autem favorabilia, tanquam beneficium principis latissime interpretentur etc. personalia ad personam, realia etiam ad successores rei porrigantur. In dubio privilegium favorabile censetur reale, uti et conventionale ex pacto, cujus naturam sequitur: at privilegium praejudiciosum censetur personale, uti etiam remuneratorium; licet hoc frequenter sit reale; quia merita antecessorum prosunt etiam successoribus.

13. R. 2. Privilegia admittunt interpretationem comprehensivam, non vero mere extensivam, ob paritatem, aut majoritatem rationis: ita comm. contra Saa, docentem privilegia extendi ad casus similes; et contra Sanchez, qui talem extensionem admittit in favorabilibus, saltem si pro casu omisso expressa sit causa concessionis. ***Ratio*** 1. Quia interpretatio comprehensiva detegit casum, aut personam; quae quidem in privilegio non exprimitur, virtualiter tamen, et implicite continetur, quatenus casus iste, aut persona in mente legislatoris, seu principis privilegiantis fuit comprehensa. Et hic valet illud brocardicon: ubi ***est eadem ratio, eadem est juris, aut privilegii dispositio.*** Unde privilegium de non evehendo frumento, comprehensive intelligitur de non evehenda farina: privilegium filiorum, fratrum, virorum Regularium commune est filiabus, sororibus, Monialibus; dummodo materia sit eis accommoda etc. 2. Pars sumitur ex *c.* 9. *h. t.* ubi summarium ita concipitur: ***Privilegium uni concessum, non potest ad alium extendi propter identitatem rationis, et*** *l.* 14. 15. *ff. de LL. et l.* 1. §. *fin. ff. de Const. princ.* ubi JCti docent privilegia non esse producenda in consequentias, aut in exemplum trahenda. Ratio est; quia vis privilegii, licet hoc ob rationem detur, non oritur ex ipsa ratione, sed ex voluntate principis, sicut omnia jura; ergo licet pro casu, vel persona non expressis militet similis, aut major ratio, quam pro expressis, tamen privilegium ad non expressa extendi non debet etiam in favorabilibus. Unde qui propter merita, aut scientiam accepit privilegium obtinendi plura beneficia,

Digitized by Google

vel legendi libros haereticorum, non potest hoc privilegium extendere ad personam non expressam, quae habet eadem merita, et eandem scientiam: qui propter urgens studium accepit privilegium non recitandi breviarium, nequit illud extendere ad omissionem missae die festivo etc. Ex his explicantur *l.* 12. *ff. de LL. l.* 8. *ff. de Senator. l.* 1. *C. de dignitatib. c.* 27. *de decimis,* 13. *qui filii legit. in fin. pr. quod in majori conceditur, licitum esse videtur, et in minori c.* 11. *h. t. in* 6. *etc.*

14. Q. VI. *Quomodo amittantur privilegia?* R. Seqq. modis: 1. *Interitu subjecti:* et ita privilegium personale, pereunte persona, perit, *ex reg.* 7. *in* 6. et pereunte re totaliter perit privilegium reale ei inhaerens; ut si destruatur Ecclesia sine spe aedificationis; nisi privilegium inhaereret pavimento, vel communitati, quae alio translata trahit secum privilegium, sicut religiosi, vel academici alio translati, *c.* 2. *de relig. domib. Can.* 48. *et seq.* 16. *q.* 1. 2. *Lapsu temporis,* pro quo data sunt, vel non servata conditione, cum qua data sunt; ut si religiosus profiteatur aliam religionem; quo casu privilegia prioris Ordinis amittit. 3. *Non usu,* seu *usu contrario* illa tantum privilegia amittuntur, quae gravamen tertii continent; ut privilegium affirmativum decimandi, et negativum non solvendi decimas: nam si quis legitimo tempore non utatur privilegio, dum eo uti posset, et deberet, tacite censetur illi renunciare, illudque submittere praescriptioni extintivae, sicut qui non utitur servitute rustica *l.* 6. *pr. ff. de servitut.* qualiter etiam amittitur jus, seu privilegium nundinarum, utpote onerosum, et sub conditione usus concessum, *l.* 1. *ff. de nundinis.* Si amissio privilegii fit per tacitam renunciationem, tantum tempus requiritur, quantum sufficit ad faciendam praesumptionem, quod quis privilegio se abdicaverit; si vero fit per praescriptionem, servanda sunt tempora, et requisita praescriptionum. At contra privilegium, quo datur mera facultas agendi, vel omittendi, non usu non amittitur; ut privilegium sacrificandi ante auroram, vel post meridiem, non jejunandi, non recitandi horas Can. non comparendi in choro etc. 4. *Abusu:* quia meretur privilegio privari, qui in illo abutitur vel *excedendo fines privilegii,* vel *sumendo ex illo occasionem liberius peccandi,* vel *contra privilegii finem agendo Can.* 7. *ubi d.* 74. *c.* 18. *de Regul. c.* 24. *h. t.* etc. Sic beneficiarius ratione studiorum absens, si studio omisso, vagetur, meretur privilegio privari. 5. *Libera renunciatione,* si privilegium contineat privatum favorem personae; quia juri, et favori suo quilibet renunciare potest ex antiqua *reg.* 29. *C. de pact. c.* 6. *in fin. h. t.* Et quidem si renunciatur in gratiam aliorum, requiritur eorum consensus, et acceptatio: si vero in nullius gratiam renunciatur, requiritur consensus concedentis *arg. c.* 7. *de procur. in* 6. secus privilegium durabit, quamdiu durat voluntas concedentis. At si privilegium contineat favorem publicum, privatus ei renunciare nequit ex *reg. l.*

Digitized by Google

58. *ff. de pact.* sicut clericus nequit renunciare privilegio fori, religiosus privilegio sui Ordinis, *c.* 12. *de for. compet. c.* 5. *de arb.* Praelatus regulariter nequit renunciare privilegio utili, et honorifico, si vel unus ex capitulo reclamaret; bene vero privilegio inutili, modo adsit consensus capituli, et renunciatio non cedat in praejudicium tertii, ut Ecclesiae, Sedis apostolicae etc. *c.* 8. *de const. c.* 22. *de praeb.* 6. *Cessante causa;* sed hic discrimen faciendum est: et quidem *primo,* si causa cessat ante actualem concessionem, nulla fit concessio privilegii, quia deficit voluntas principis, mota a causa finali, quae non existit. *Secundo,* si privilegium, stante causa, unico actu perfecte, et integre consummatum est: cessante causa non cessat: quia in conservando non pendet a tali causa, et locus est *reg.* 73. *in* 6. *factum legitime, retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.* Sic irregularis, qui ex causa paupertatis accepit privilegium, seu dispensationem recipiendi ordines, et beneficium, licite deinde evadat dives, tamen licite exercet actus ordinum, et retinet beneficium; quia irregularitas unico actu sublata est. Vide dicta *l.* 4. *in fin. tract. de dispens. matr. Tertio,* si actus privilegio concessus habeat tractum successivum per dies, menses, et annos, cessante causa *contrarie,* ita ut ex actu, seu usu privilegii licito fiat illicitus, cessat privilegium, cum hoc super actu illicito dari nequeat. Sic enim cessat *privilegium decimandi,* si per hoc Ecclesia depauperetur, ut ministros alere non possit, *c.* 9. *de decim.* privilegium *non residendi,* si ex absentia ministrorum praesertim curatorum, Ecclesia damnum patiatur, et div. cultus destituatur *c. pen. de Cler. non resid.* Et generaliter privilegia particularium religiosorum cessant, si incipiant esse noxia disciplinae regulari, ita ut haec commode observari nequeat, *arg. cit. c. pen.* At si causa privilegii cesset tantum negative, quia non existit, usus vero privilegii non reddatur illicitus, non cessat privilegium, semel perfecte datum. Sic ob paupertatem obtinens jus decimandi, potest decimare, licet deinde paupertas cesset. *Quarto,* si causa privilegii non existit tota simul, sed habet tractum successivum, ea cessante, cessat privilegium, vel saltem suspenditur, donec causa redeat: nam tali casu privilegium in conservando pendet a causa; ergo ea cessante, cessat, *cum cessante causa, cesset effectus c.* 60. *de appell.* Sic in quadragesima ex causa debilitatis dispensatus ad esum carnium, vel ad non recitandum horas Can. cessante debilitate, tenetur abstinere a carnibus, et recitare horas Canon. quia in tali casu virtualiter tot sunt dispensationes, quot dies. 7. Denique amittitur privilegium *revocatione,* vel quoad totum, vel quoad partem.

15. Q. VII. *Quis, quo modo, et quae privilegia revocare possit?* R. 1. Solus princeps, vel ejus successor revocare potest privilegia: nam inferior nequit tollere jus superioris. Fit autem revocatio ista, vel *expresse,* dum princeps per verba aperta privilegium

datum aufert, vel *tacite*, dum ponit actum, seu legem directo contrariam privilegio, *c.* 28. *de rescript.* Porro revocatio per legem universalem non sortitur suum effectum, nisi lex promulgata fuerit solemniter in locis solitis; quia lex non promulgata non obligat: item per clausulam generalem: ***non obstantibus quibuscumque privilegiis*** non revocantur privilegia specialibus munita clausulis, ne revocari possint, nisi de illis specialis mentio fiat; cum clausula generalis non contradicat clausulis specialibus. Si autem fiat revocatio specialis per hominem, tunc primo sortitur suum effectum, cum privilegiato debite intimata fuerit; quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi debet ex *reg.* 1. *in antiq.* Cetera omnia servantur, sicut in revocatione legum, et sic privilegium speciale derogat generali, lex contraria posterior derogat privilegio anteriori clauso in corpore juris communis; quia hoc princeps non censetur ignorare, non vero privilegiis extra jus commune vagantibus; quia haec probabiliter ignorat, nisi et horum mentio fiat, *cap.* 1. *de Constit. in* 6.

16. R. 2. Papa, vel alius princeps non potest revocare privilegia ex pacto, seu contractu oneroso concessa, nisi in casu extraordinario ex re gravi, et publica causa: nam princeps non potest subdito tollere jus quaesitum, nisi vi dominii alti ex gravi, et publica causa; siquidem princeps subditur juri naturali, quod dictat: *neminem laedere*; sed per privilegium ex pacto, seu contractu oneroso concessum, subditus titulo justitiae habet jus quaesitum, ergo. Idem dic do privilegio remuneratorio, ex titulo justitiae dato: ac proinde si princeps talia privilegia revocet, tenetur compensationem facere subdito; quia hic non tenetur jus suum gratis remittere. At privilegium mere gratuitum valide quidem revocatur absque ulla justa causa; cum totaliter pendeat a gratiosa voluntate principis, non tamen honeste, et decenter; quia talis revocatio sapit levitatem, et inconstantiam.

17. R. 3. Tridentinum non revocavit omnia anteriora privilegia Regularium, ita *Sess.* 25. *cap.* 20. *in fin. de Regular.* ibi: ***in ceteris omnibus praefatorum Ordinum privilegia, et facultates, quae ipsorum personas, loca, ac jura concernunt, firma sint, et illaesa.***

18. R. 4. Tridentinum revocavit omnia privilegia Regularium, adversantia decretis *sess.* 25. *de Regular.* non vero adversantia aliis decretis clausulam derogatoriam non habentibus. 1. *Pars* habetur *cit. sess.* 25. *c.* 22. ubi S. Synodus praecipit decreta ista de Regularibus observari ab omnibus Regularibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis. *Secunda pars* est Rodriq. Suar. Reiff. Schmalz. et aliorum contra Donat. Peyrin. et alios docentes revocata fuisse privilegia Regg. cuicumque decreto Tridentini adversantia. *Prob.* 1. negative, quia ex nullo textu Tridentini, vel Pontificis declarantis constat, omnia privilegia, quae alicui decreto Tridentini clausulam de

Digitized by Google

rogatoriam habenti adversantur, sublata esse 2. *Prob.* positive, quia legislator condens jus commune, non censetur derogare juri particulari, ut particularibus locorum statutis, consuetudinibus, pactis, et privilegiis specialibus extra jus commune vagantibus, nisi horum mentionem faciat, cum ista probabiliter ignoret *c.* 1. *de constit. in* 6. sed Tridentinum in suis decretis condit jus commune; ergo sicut non derogat particularibus locorum statutis, et consuetudinibus, ita quoque nec derogat privilegiis Regularium, exceptis decretis clausulam derogatoriam habentibus, prout id ipsum interpretatur consuetudo, optima legum interpres: tum quia Trid. quibusdam decretis addit clausulam derogatoriam, quibusdam non addit: ergo, ne dicamus clausulas istas esse superfluas, fateri cogimur illa tantum privilegia esse sublata, quae adversantur derectis clausulam derogatoriam habentibus. *Dices:* 1. Trident. *sess.* 25. *cap.* 22. *de Regg.* expresse dicit: ***haec omnia, et singula in superioribus decretis contenta*** etc. ergo omnia decreta Trident. observanda sunt, sublatis privilegiis. 2. Pius IV. Const. 94. incip. ***In Principis Apostolorum Sede*** (***habetur ad calcem Trid.***) declarat omnia privilegia decretis Tridentini adversantia sublata esse, et ad formam Trid. reducta. 3. Alex. VII. damnavit hanc propos. *nu.* 36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per concilium Trid. 4. Universalis reformatio omnia sibi adversa excludit; sed in Trident. fit universalis reformatio populi christiani; ergo excludit omnia decretis suis adversantia. R. *Ad* 1. in *cit. c.* 22. sermo est de superioribus decretis in *sess.* 25. *de Regg.* editis, non vero de decretis aliarum sessionum; alias decreta consequentia non essent observanda. *Ad* 2. Bulla Piana, utpote confirmatoria, sequitur naturam Tridentini, et revocat omnia privilegia, quae constat a Trid. sublata esse: jam autem ex Trid. non constat illa privilegia Regg. sublata esse, quae extra *sess.* 25. *de Regg.* adversantur decretis Trid. clausula derogatoria carentibus. Sic etiam intelligitur clausula bullaris: ***dummodo decretis Tridentini non adversentur. Ad*** 3. id ego non affirmo, neque hoc colligitur ex hac sententia, imo contrarium, *Ad* 4. Dist. maj. omnia quae sunt juris communis, conc. maj. juris particularis, uti privilegia, et particularia locorum statuta, neg. maj. jura particularia, nisi eorum mentio fiat, non excluduntur etiam in universali reformatione, cum probabiliter a conditore reformationis ignorentur, *c.* 1. *de const. in* 6.

19. R. 5. Privilegia vivae vocis oraculo concessa hodie revocata sunt per Const. Urban. VIII. incip. *Alias*, et Gregor. XV. incip. *Romanus:* quae vero post dictas Bullas viva voce concessa sunt, probabilius valent pro foro interno, cum ad substantiam privilegii scriptura non requiratur: at in foro externo non prosunt, nisi fuerint authentizata per publicos officiales Papae ad id constitutos, ut statuitur in cit. Const. Urb. VIII.

Vide infra post n. 24.

§. II.

De quibusdam privilegiis in particulari.

20. Q. I. *Quid sit privilegium exemptionis, et quid juris circa illud?* R. 1. *Exemptio* est personae, aut loci, vel utriusque liberatio a jurisdictione Ordinarii, sive acquiratur privilegio Papae, sive praescriptione, aut concessione Episcopi ex justa causa, et de consensu capituli in limine fundationis, vel postea. 2. Est triplex: *Personalis, localis, et mixta:* quarum prima personam, secunda locum, tertia utrumque eximit a potestate Episcopi. Rursum exempti, alii sunt *nullius dioecesis*, qui cum clero, populo, et toto territorio eximuntur: alii sunt *in dioecesi*, sed non *de dioecesi*, qui quoad personas, et locum exempti sunt; sed certum populum cum territorio exemptum non habent. Item alia est exemptio *in capite, et membris*, dum et Ecclesia principalis, et capellae, seu Ecclesiae ei annexae exemptae sunt; alia *in capite tantum*, dum Ecclesia principalis exempta est, non vero capellae ei annexae; et ideo Abbas, cujus Ecclesia tantum principalis exempta est, ratione capellarum subditur Ordinario, ad Synodum venire, ejusque decreta recipere tenetur, *cap.* 17. *h. t.*

21. R. 2. Privilegium exemptionis, utpote praejudiciosum, stricte secundum terminos est intelligendum. Unde 1. Si exempta sit Ecclesia principalis non hoc ipso exemptae sunt capellae: si clerici exempti, non hoc ipso exempta est Ecclesia: si Praelatus ratione sui exemptus, non eo ipso exempti sunt clerici: at si exempta sit Ecclesia, hoc ipso etiam exemptus est praelatus cum clericis, ut decidditur *c.* 9. *h. t. in* 6. nam appellatione Ecclesiae, vel monasterii venit etiam praelatus cum clericis, et monachis; sed non e contra. 2. Exempti tantum ratione loci, si extra locum exemptum delinquant, contrahant, aut rem sitam habeant, conveniuntur in foro Ordinarii *c.* 4. *et fin. de for. compet.* nisi etiam quoad haec tria exempti sint, sicut ii, qui personalem exemptionem habent, coram Papa, vel suo praelato, aut Legato a latere conveniuntur *c.* 1. *de V. S. in* 6. *c.* 35. *de elect. in* 6. non tamen coram Nuncio Apostolico, aut Legato nato, nisi ad hoc specialem facultatem habeant.

22. R. 3. Exemptus renunciare nequit suae exemptioni, etiam privatae, *c.* 5. *de arbitr. c.* 2. *h. t. c.* 2. *de in integr. restit.:* nam talis renunciatio est praejudiciosa Sedi Apostolicae, qui per exemptionem jus speciale acquiritur in exemptum: unde, v. g. religiosi exempti, nec de licentia Generalis subjicere se possunt Ordinario in casibus non permissis.

33. R. 4. In causa exemptionis judex est Papa privative, *c.* 12. *de judic.* quia privilegium, et jus papale inferior authentice interpretari non potest. Probatur autem exemptio ex instrumento authentico, re judicata, praescriptione 40 ann. cum titulo: non tamen ex privilegio fructus terrae colligendi;

quia per hoc non probatur monasterium esse exemptum, *c.* 19. *h. t.* Jam si allegetur privilegium, jus ei favet, atque ita, pendente lite, reus defenditur in possessione certa: si vero possessio est incerta, vel si allegetur praescriptio, jus assistit Episcopo, isque jurisdictione utitur, donec lis decidatur.

24. R. II. *Quae sint privilegia Regularium?* Ad hanc quaestionem multa scribenda forent, quae in scriptoribus regg. fuse et confuse reperiuntur, et multa jam in decursu juris hujus attuli; et ideo hic breviter me expediam. R. seqq. 1. Exemptio a lege dioecesana, non vero jurisdictionali; nisi quibus id specialiter concessum est, ut dixi *lib.* 1. *tit. de off. Ord.* 2. Privilegium eligendi judicem conservatorem *tit. de off. deleg.* 3. Privilegium non solvendi decimas secundum dicta *tit. de decim.* 4. Privilegium asyli *tit. de immun. Eccl.* 5. Privilegium sepulturae *tit. de sepult.* 6. Privilegium dispensandi in votis non reservatis, et plura alia, quorum memini suis locis et titulis.

Nota, quod Clem. XII. complura privilegia a suis Praedecessoribus concessa revocavit, et I. Constit. Romanum 13. *Joan.* 1731. *revocavit, et ad terminos juris communis reduxit privilegia, seu exemptiones quomodocumque, et quibuscumque etiam Ordinibus regularibus Societatis Jesu, Praedicatorum, et Eremitarum S. Augustini concessas in damnum Camerae Apostolicae.*

II. Constit. Romanus Pontifex 12. *Febr.* 1732. *revocavit varias facultates, et indulta concessa per vivae vocis oraculum vel rescripta suorum Decessorum; non tamen concessa per quasvis litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis expeditas, aut rescripta a sacris Congregationibus edita et a praedecessoribus Pontificibus approbata; nec non ab officio S. Poenitentiariae quomodolibet concessa.*

III. Item Constit. Romanus Pontifex 30. *Mart.* 1732. *revocavit, et ad termines juris communis reduxit alia quamplurima privilegia concessa Ordinibus regularibus a Bened. XIII., videlicet – Theatinorum Constit.* Vita, et morum – *Praedicatorum Constit.* Pretiosus *una cum declarationibus sub die* 28. *Septemb.* 1728. *ab eodem Pontifice factas super quibusdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipsa Constitutione contentarum exortis - Universo Ordini S. Francisci quoad Tertiarios Const.* - Paterna sedis - *Minorum Conventualium Const.* - Singularis devotio - *Capucinorum Constit.* - Ratio Apostolici - *Augustinianorum Const.* - Libenter ea - *Servorum B. V. Const.* - Exponi nobis nuper - *Item privilegia ab eodem Bened. XIII. concessa Const.* - Summe decet - 2. *April.* 1727. - Exponi nobis fecit - 21. *Mart.* 1729. - In Sede 1. *April.* 1729.

25. Q. III. *An Regulares habeant inter se mutuam privilegiorum communicationem?* R. 1. Mendicantes aeque principaliter, seu pariformiter communicant in omnibus privilegiis intuitu status religiosi concessis: ita com. ex plurimis Bullis pontificiis Leonis X. Clement. VII. Clem. VIII. incip. *Ratio*

pastoralis 1597. 20. *Decembr.* idque procedit de privilegiis non tantum concessis, sed etiam concedendis in futurum, ut clare exprimitur in iisdem Bullis pontificiis, uti etiam de privilegiis habentibus clausulam incommunicabilitatis, sicut const. Greg. XIII. incip. *Satis*, *superque*, et alia incip. *Pium, et utile*, ut dixi *lib.* 1. *tit. de temp. ordinat. n* 14.

26. R. 2. Mendicantes participant privilegia omnium Ordinum non mendicantium, Congregationum, confraternitatum, et aliorum piorum locorum: ita com. ex iisdem Bullis pontif. At contra Ordines non Mendicantes illi tantum communicant in privilegiis Mendicantium, quibus hoc specialiter concessum est, ut Congregationi Cassinensi, Lateranensi, et 12. Congregationibus; et siquis cum eis in privilegiis communicant, uti fere omnes religiosi ad hanc communicationem sunt admissi: et merito, ut eadem sit omnium communio, quorum in votis essentialibus eadem est cum Deo unio. Talem communicationem accepit etiam Religio nostra Scholarum Piarum per Const. Greg. XV. incip. *Ad uberes fructus* 1622. *die* 15. *Octobr.* cum clausula §. 1. expressa: *pari modo, non solum ad eorum instar. sed pariformiter, et aeque principaliter, perinde acsi illis nominatim, et in specie concessa fuissent, uti, frui, et gaudere libere, et licite valeant etc.* Quam concessionem proportionaliter suae dispositioni renovavit Alex. VII. Const. incip. *Cum sicut* §. 3. ibi: *cum omnibus gratiis* etc. et plenissime Clem. IX. Constit. *Ex injuncto nobis*, §. *Nos prospero*, ibi: *ad fruitionem omnium, et singulorum privilegiorum etc.*

27. R. 3. Religiosi non communicant: 1. In privilegiis adversantibus eorum instituto; sicut sunt privilegia Ordinum militarium, vel laxioris Religionis, quae strictiori accomodari nequeunt. 2. In privilegiis poenalibus, et odiosis; nisi et hoc cederet in favorem Religionis, 3. In privilegiis exorbitantibus, quae non intuitu Religionis, sed causae alterius particularis sunt concessa, v. g. ratione hujus Ecclesiae, imaginis miraculosae etc. ex quo fundamento docent Scriptores Minorum S. Francisci indulgentiam Portiunculae non communicari aliis.

28. R. 4. Modus in communicandis privilegiis conformiter cuique Religioni observandus est. Unde Societas Jesu, ejusque religiosi participant privilegia aliorum Regularium illimitate data, cum modo limitationis, et dependentiae a Praeposito Generali, quia attentis Constitutionibus pontificiis, omnes gratiae Apostolicae per dictum Praepos. Generalem derivari debent ad religiosos Societatis; e contra plerique alii Regulares, non tantum sua, et aliorum Regg. sed etiam privilegia Societatis cum modo limitationis, et dependentiae data, participant immediate, et sine tali modo, conformiter suae Religioni: quia dependentia ista, utpote restringens usum privilegii, est quoddam onus, et odium, quod in communicationem non cadit, *arg. reg. odia in* 6.

29. R. 5. Sicut privilegiorum, ita et Indulgentiarum communicatio datur

inter Regulares; dummodo Indulgentiae intuitu Religionis ejusque Sanctorum sint concessa: ita com. nam et Indulgentiae veniunt nomine privilegii late sumpti. Unde religiosus, praestitis praestandis, non tantum lucrari potest Indulgentias cuicumque Religioni, Congregationi, aut sodalitati concessas, sed etiam ipsae Indulgentiae datae, v. g. pro festivitate S. Fundatoris Ordinis, applicantur festivitati Fundatoris alterius Ordinis in privivilegii communicantis etc.

Circa communicationem privilegii altaris attendendum est sequens Sac. Indulgent. Cong. responsum ad generale dubium tertio loco eidem discutiendum propositum 5. *Febr.* 1748. *et* 2. *Martii ejusdem an. a Bened. XIV. approbatum.*

Tertio - An privilegium altaris sit communicabile.

Ad tertium. Negative.

§. III.

De Excessibus Privilegiatorum.

20. Q. I. *Qui sint notabiles excessus Privilegiatorum.* R. Seqq. qui maxime in Templariis, et Hospitalariis sunt animadversi. 1. Recipere Ecclesias, vel decimas a manu laici non privilegiati, *c.* 3. *h. t.* 2. Non vitare excommunicatos, et nominatim interdictos, instituere, vel amovere presbyteros in Ecclesiis pleno jure non subjectis absque auctoritate Episcopi, celebrare in Ecclesiis interdictis, vel sepelire corpora defunctorum, *ibid.* 3. In privatis oratoriis campanas publicas habere, casque pulsare, *c.* 10. *h. t.* 4. In Ecclesia polluta ante reconciliationem celebrare, vel suspensos ab Episcopo absolvere, *c.* 11. *eod. et c.* 18. *de sentent. excom. in* 6. 5. Ecclesias, aut capellas aedificare in locis non exemptis absque licentia Episcopi; in exemptis vero absque licentia Papae *c.* 4. *h. t. in* 6. quo casu praeter poenam arbitrariam Ecclesia aedificata cedit Episcopo, *c.* 14. *h. t.* 6. Extremam unctionem, et Viaticum ministrare, vel matrimonia solemnizare sine licentia parochi: quo casu religiosi ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam Papae, et per locorum Ordinarios publice denunciabilem, *Clem.* 1. *h. t.* ubi plures alii excessus religiosorum enumerantur. Quia vero excommunicatio ista lata est contra eos, qui haec facere *praesumpserint*; ideo ab hac censura excusatur religiosus, qui ex simplicitate, et ignorantia, etiam modicum crassa, dummodo non sit affectata, talia sacramenta administravit. Corripi tamen potest, et debet pro qualitate culpae, et ignorantiae. Poenam excommunicationis, contra solemnizantes matrimonia absque licentia parochi latam a Trident. *S.* 24. *c.* 1. *de refor. Matr.* in suspensionem fuisse commutatam dixi *lib.* 4. *tit.* 5.

31. Q. II. *Quae sit poena excedentium in privilegiis?* R. Amissio privilegii praeter alias poenas delicto proprias; quia meretur quis in eo puniri, in quo deliquit. Sicut e contra, qui privilegiatum impedit in usu privilegii, meretur suis privilegiis, et juribus spo-

liari, c. 1. *h. t.* Cetera particularia de privilegiis vide hic in textu: consule Bullaria Religiosorum; et inter plures de privilegiis Scribentes, vide etiam Salmant. Moral. *trat.* 48.

TITULUS XXXIV. et XXXV.

De Purgatione canonica, et vulgari.

Agitur de hac materia in Decreto 2. *q.* 5. *et* 15. *q.* 5. Nec hic scrupulose inquirendum, an duo isti tituli recto ordine sint collocati.

1. *Nota* 1. Purgationem in materia criminali esse actum solemnem, quo innocentia rei contra objectum crimen ostenditur. Est duplex: *Canonica* a Sac. Canonibus introducta, quae licite adhibetur ad ostendendam rei diffamati innocentiam. *Vulgaris*, a vulgo reperta, quae temere, et illicite usurpatur ad ostendendam rei innocentiam, ut per duellum, per contactum ferri candentis etc:

2. *Nota* 2. Modum purgationis canonicae fuisse varium. 1. Per *judicium sanctae Crucis?* dum ad eam, vel preces fundebantur; vel sortes jaciebantur, vel ea contacta, juramentum praestabatur. 2. Per juramentum ab accusatore, et reo praestitum ad sepulchra, et Reliquias SS. Martyrum, *Can.* 6. *et seqq.* 2. *q.* 5. 3. Per susceptionem SS. Eucharistiae, seu celebrationem missae, *Can.* 23. *ibid.* Sed hi, et similes modi, in desuetudinem abjerunt. Hodie purgatio Can. fit per juramentum super sancta Dei Evangelia praestito: et quidem reus facit juramentum super veritate, quod innocens sit a delicto; compurgatores vero, seu testes purgantis se a delicto, super credulitate, quod credant illum esse innocentem, *c.* 5. *h. t.*

3. Q. I. *Quis, cui, et super qua materia indicere possit purgationem Canonicam?* R. 1. Judex Ecclesiasticus competens, seu suus, indicit purgationem Can. secus praeceptum Judicis non sui non obligat. *c.* 6. 10. 15. *h. t.* nam purgatio ista est actus judicialis, adeoque expediri debet a judice suo in foro Ecclesiastico.

4. R. 2. Purgatio Can. indicitur regulariter personis Ecclesiasticis, quarum fama integra est valde necessaria populo christiano; uti sunt Episcopi, praelati, sacerdotes, concionatores, religiosi, et moniales *c.* 3. 4. 5. *et seqq. h. t.* Laicis nobilibus in foro canonico conventis raro indicitur, nisi causae gravitas postulet, et crimen sit Ecclesiasticum; ut haeresis, simonia etc. *c.* 1. *h. t.* Viles autem, et plebejae personae, si de crimine graviter suspectae sint, ad torturam trahuntur; quia in eis periculum est perjurii et compurgatores facile reperire non possunt.

5. R. 3. Purgatio Can. indicitur super delicto diffamato, quod non est notorium, neque probabile per testes idoneos; ita tamen ut adsint indicia verosimilia, et praesumptiones cum infamia apud graves viros, aut scandalum publicum generetur *c.* 15. *in fin. h. t. Can.* 3. *et seqq.* 2. *q.* 5. Item super defectu Canonico, v. g. natalium, vel alio impedimento c. 14. *h. t. Ratio* horum est, quia personae ita dif-

Digitized by Google

famatae melius est purgatam esse, et famam restitutam, quam suspectam. At si delictum sit notorium, vel probabile per testes, vel indicia adsint ad torturam sufficientia, non est locus purgationi, tanquam remedio extraordinario, sed proceditur via ordinaria ad sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam, *c.* 4. 5. 8. 10. 15. *h. t.* Porro hic adverte, si crimen diffamatum sit tale, cui debetur poena depositionis, reum suspendi debere ab officio, donec se purget legitime, *c.* 2. *h. t.* imo in crimine tractum successivum habente, ut in concubinatu, si reus ter monitus non resipuerit, et occasionem peccandi non vitaverit, suspendendus est etiam a beneficio, *c.* 10. *h. t.* quia opinio personae Ecclesiasticae in nullo vacillare debet, *Can.* 6. *d.* 33.

Dices: Purgatio Can. est valde fallax; quia testes seu compurgatores non deponunt de veritate, sed credulitate, cujusmodi testimonium non valet, *l.* 18. *C. de testib.* estque collusioni obnoxium. 2. Famae non est credendum *c.* 8. *de cohabit. Cler.* et actore non probante, reus absolvendus est *l.* 9. *C. de O. et A.* ergo. R. *Ad* 1. Purgatio Can. in foro externo praesumitur vera, donec contrarium clare innotescat, aut collusio probetur. *Ad* 2. Famae fundatae in verosimilibus indiciis creditur ad effectum purgationis; neque reus absolvitur, donec probet suam innocentiam; cum Ecclesiae requirat ministros non solum a crimine, sed etiam a suspicione, et infamia criminis alienos.

6. Q. II. *Quid juris circa compurgatores?* R. 1. Compurgatores debent esse personae honestae, fide dignae, et in judicio propter crimen non condemnatae *c.* 7. 9. *h. t.* 2. Debent esse personae vicinae, ita ut notam habeant vitam purgandi *c.* 10. 11. *h. t.* 3. Debent esse ejusdem ordinis cum purgando, Episcopi pro Episopo, presbyteri pro presbytero, *cit. c.* 10. sed qualitas ista, uti et numerus compurgatorum hodie est in arbitrio iudicis, cum jura ubique aequaliter non loquantur, ut patet ex *Can.* 15. *et* 19. *caus.* 2. *q.* 5. *c.* 10. *et* 12. *h. t.* neque compurgatores tam stricte examinandi sunt, ac testes cum non deponent de veritate, sed credulitate.

7. Q. III. *Quis sit effectus purgationis Canonicae?* R. 1. Ut *indictae*, effectus est obligatio eam praestandi, nisi ex justa causa reus ab ea appellet; ut si non est diffamatus, si Ordinarius nolit admittere testes, nisi extraneos, inter quos reus non vixit, inimicos etc. Gloss. in *c. fin. h. t.*

8. R. 2. Effectus purgationis, *ut praestitae*, est absolutio rei, non tantum a suspensione, si haec ab initio lata fuit, sed etiam ab objecto crimine, ita ut reus declaretur innocens, suoque honori, et famae restituatur, neque deinceps super eodem crimine accusetur, nisi nova infamia, et indicia criminis superveniant: ita *Can.* 6. *et seq.* 2. *q.* 5. *c.* 8. 10. *h. t.*

9. R. 3. Effectus purgationis, *ut recusatae*, aut *non praestitae*, est, quod reus deficiens in purgatione, seu nolendo jurare, seu non habendo com-

Digitized by Google

purgatores, habeatur pro convicto, et poena ordinaria, vel plerumque arbitraria puniri possit, *c.* 7. *v. deficientem h. t.* Quod si judex Ecclesiasticus clericum in judicio purgationis degradatum Curiae seculari tradat, non potest laicus illum punire poena mortis; quia non fuit vere convictus, sed tantum praesumptive, aut interpretative: secus si delictum confessus, aut plene convictus fuit.

10. Q. IV. *An modi purgationis vulgaris sint liciti?* R. 1. Negative *Can.* 7. 20. *caus.* 2. *q.* 5. *c. fin. de purg. vulg.* nam modi isti sunt cum superstitione gentilium, et praestigiis conjuncti. inepti ad veritatem manifestandam, et quibus Deus tentatur ad faciendum miraculum; uti sunt duella, contactus ferri candentis, vel aequae ferventis, fluxus sanguinis ex cadavere occisi ad praesentiam occisoris etc. *Dices* 1. Adulterium apud Judaeos probabatur per aquas amarissimas *Can.* 21. *in libro* 2. *q.* 3. ex *num.* 5. *v.* 18. 2. In lege nova extant plura exempla purgationis vulgarius: S. Brictius enim tulit ardentes prunas in veste sua usque ad sepulchrum S. Martini; et multae Sanctae contactu ferri candentis suam innocentiam probaverunt, et *Can.* 24. *Conc. Mogunt.* occidens presbyterum, si servus sit, purgare se debet super 12. vomeres ardentes. R. *Ad* 1. Probatio ista, ob promissionem divinam olim fuit licita; hodie vero cessat cum aliis caeremoniis judaicis. *Ad* 2. Miracula ex instinctu S. Spiritus facta, non sunt trahenda ad exemplum: *cit. c.* 24. reprobatus est a pluribus Pontificibus, et ideo *c.* 2. *de poenitent.* omittuntur illa verba: *super duodecim vomeres ferventes se expurget*, quae ponuntur in *palea; qui presbyterum* 17. *q.* 4.

11. R. 2. Sententia lata ex purgatione vulgari, est invalida: nam est contra ordinem judiciarum, et nititur fallacibus probationibus: unde reformari debet, comperta veritate: sicut *c.* 2. *h. t.* cadentes in duello purgativo, dum furtum apud alios repertum fuit, recipiunt omnia bona, quibus spoliati erant

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, et damno dato.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* in Decreto 15. *q.* 1. et in jure civili *de injuriis* agitur in Institut. *lib.* 4. *tit.* 4. in Pandectis *lib.* 47. *tit.* 9. in Codice *lib.* 9. *tit.* 35. *et* 36. De *damno dato* in Institution. *lib.* 4. *tit.* 3. in Pandectis *lib.* 9. *tit.* 2. in Codice *lib.* 3. *tit.* 34.

1. *Nota* ex *pr. Inst. h. t.* injuriam tripliciter accipi; 1. Pro omni eo, *quod non jure fit.* 2. Pro damno culpa dato, sicut in L. Aquilia. 3. Specialiter pro contumelia, seu dolosa laesione honoris alieni. Idem docet Ulp. *l.* 1. *ff. h. t.* Item accipitur injuria pro injustitia, et iniquitate: et in hoc sensu complectitur omne peccatum contra justitiam, quo laeditur jus alienum. Hic agam 1. De injusta accepta pro contumelia. 2. De injuria accepta pro damno culpa dato.

Digitized by Google

§. I.

De Injuria contumeliosa.

2. Q. I. *Quibus modis fiat injuria, seu contumelia?* R. Duobus: *re*, seu *facto* in corpus, dignitatem, et famam; ut si qui alterum verberet, alapam ei infringat, matronae honestae comitem abducat, pudicitiam matrisfam. vel praetextatae, seu virginis ingennae attentare, aut affectari praesumat, puta sequendo illam ex intentione stupri inferendi. *Verbis*, sive prolatis in dedecus alterius; et tunc est *convitium:* quasi *convocium*, sive scriptis; et tunc est *famosus libellus l.* 1. 15. §. 2. *ff. h. t.* ut si quis alterum compellet furem, adulterum, illegitimum, servum etc. Multa, et pulchra exempla injuriarum legere utiliter poteris *ff. h. t.* Ex his colliges injuriam aliam esse *realem*, aliam *verbalem*, et utramque, vel *levem*, qua leviter honor proximi laeditur; vel *gravem*, seu *atrocem*, qua attentis omnibus circumstantiis, graviter honor laeditur.

3. R. 2. Injuria censetur committi in seqq. casibus; I. Si quis verum crimen alteri objiciat extra judicium: nam hic adest animus injurandi, libido privatae vindictae, et laesio honoris alieni; ergo est vera injuria poenis obnoxia *l.* 5. *C. h. t. et arg. l.* 1. *C. de famos. libel.* At si verum crimen objiciatur in judicio, et republ. intersit illud revelari, non fit injuria, modo crimen probetur, *l.* 3. *C. de off. rector. Provin.* secus si reipubl. non intersit crimen revelari: nam illo, et non isto casu studetur bono reipub. ne crimina maneant impunita. De jure Can. ex lege charitatis regulariter requiritur praevia monitio; nisi aliud postulet qualitas delicti bono communi nocentis.

4. II. Si quis injuriosa facta, aut verba alteri inferat cum *protestatione honoris*, v. g. si alterum voces adulterum, vel alapam ei infringas, dicendo: *salvo honore tuo:* nam protestatio facto contraria nihil operatur; imo factum contraria declarat voluntatem.

5. III. Si quis verbalem injuriam passus, aliam injuriam faciat. delictum objiciendo, quod nihil prodest ad priorem injuriam tollendam; ut si alter te compellavit furem, et tu illum reciproce compelles latronem, vel adulterum: nam *non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur l.* 5. *pr. ff. de publ. judic.* tum quia talis retorsio delicti fit animo vindictae privatae; ergo est vera injuria. At si delictum objciatur ad tollendam injuriae notam, v. g. *mentiris, donec probes delictum mihi impactum:* vel ad necessariam defensionem, v. g. si actori objiciatur excommunicatio, testi infamia, adultero petenti dotem adulterium, damnificanti agenti ad interesse damnum simile ab eo factum, nulla committitur injuria; cum delictum non objiciatur animo injuriandi, sed praecise animo se defendendi, et alterum repellendi a judicio: quo sensu explicatur *l.* 3. *ff. de J. et J. l.* 10. §. *quoties ff. de compens. l.* 14. §. 6. *ff. de bonis libert. l.* 25. *ff. do procurator. c.* 1. 2. 8. *de except. c. fin. de adult.*

Digitized by Google

6. Q. II. *Quis, et cui injuriam inferre possit?* R. 1. Omnis doli capax, qui potest habere animum injuriandi, injuriam inferre potest, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* imo si facta, aut verba injuriosa ponantur, semper praesumitur animus injuriandi; nisi probetur contrarium, v. g. loco aliquid dictum esse: nam in materia generaliter proibita praesumitur dolus, et actus animo malo factus; nisi agens contrarium probet, *l.* 5. *C. h. t. l.* 1. *C. ad Cornel. de Sicar.* 2. Infantes, furiosi, amentes, perfecte ebrii, cum doli capaces non sint, non possunt injuriam inferre, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* Semiebrii, vel qui inebriarunt se, ut audaciores essent ad conviciandum, non excusantur ab injuria illata, uti nec iracundi *l.* 5. *C. h. t.* Parentes, Superiores, magistri etc. si quando prorumpant in verba, aut facta contumeliosa contra suos, regulariter non praesumuntur facere injuriam; quia talia agunt ex causa correctionis, et sine animo injuriandi; nisi aliud colligatur; ut si concionator aliqua proferat, quae in particulari unius, vel alterius honorem laedunt; vel si magistratus, non servato juris ordine, aliquid decernant, *l.* 7. §. 2. 3. *et l.* 32. 33. *ff. h. t.*

7. R. 2. Injuria inferri potest cuicumque personae, etiam amenti *l.* 3. §. 1. *eod.* vel absenti; ut si ad domum ejus cornua appendantur, vel aliud quid dedecorosum; item *directe in se*, *et indirecte in persona conjuncta;* sicut injuria illata prolibus, religiosis, novitiis, et uxori, redundat in patrem, Religionem, et maritum *l.* 1. §. 2. *eod.* At injuria illata marito, vel fratri non redundat in uxorem, et fratrem, cum casus isti non sint jure expressi, §. 2. *Inst. h. t.* ubi seq. §. 3. dicitur, quod servis nulla injuria fieri intelligatur; sed si atrox sit, et in contumeliam domini, ipsi domino injuria fieri videatur. Sed doctrinam istam sane intellige, quod scil. servo non concedatur actio injuriarum: alioquin pro foro interno contra servum vera, et mortalis injuria committi potest; imo et pro foro externo a praetore inulta relinqui non debet; maxime si verbera servo inflicta sint, *l.* 15. §. 35. *ff. h. tit.*

8. Q. III. *Quae actio oriatur ex injuria?* R. 1. Actio *civilis* ex L. XII. Tabb. qua propter membrum ruptum agebatur ad poenam talionis, et propter os fractum ad poenam pecuniariam. Sed haec actio in desuetudinem abiit §. 7. *In. h. t.* Hodie viget *actio praetoria* ex edicto praetoris descendens *l.* 7. *pr. l.* 15. §. 2. *et* §. 25. *ff. h. t.* et actio *civilis* descendens ex Lege Cornelia pro casu injuriae, quo quis *se pulsatum*, *verberatumve; vel domum suam vi introitam esse dicit,* §. 8. *Instit. h. t. l.* 5. *pr. ff. eod.* ubi *seq.* §. 1. JCtus differentiam ponit inter *verberare, et pulsare:* quia *verberare est cum dolore cedere*, *pulsare sine dolore.* Utraque hac actione agitur, vel *civiliter* ad poenam privatam, quanti injuria ab actore aestimata, et a judice moderata, seu definita fuit, ut actori pro suo interesse applicetur: vel *criminaliter* ad vindictam publicam: et tunc extraordinaria poena indicitur pro

qualitate delicti, et personae, sive corporalis, sive pecuniaria fisco applicanda, §. 10. *Inst. et l.* 37. *et fin. ff. h. t.* Cum vero utraque ista actio sit *poenalis*, tendens ad eundem finem, seu ad poenam pro injuria infligendam, altera alteram consumit, et una electa, non est regressus ad alteram, ne idem bis vindicetur, *l.* 6. *in fin. ff. eod.*

9. R. 2. Actio poenalis injuriarum ex L. Cornel. descendens est perpetua, quia civilis: descendens vero ex jure praetorio est *annalis*, sicut actiones aliae praetoriae poenales *l.* 5. *C. h. t.* item est actio *famosa*, quia condemnatum ex injuria facit infamem, *l.* 7. *pr. ff. et l.* 5. *C. h. t.* Habent autem viri illustres privilegium ex Const. Zenoniana §. 10. *In et l. fin. C. h. t.* quod conventi actione injuriarum, judicium suscipere possint per procuratorem: quo casu sententia lata in procuratorem nec ipsum, nec principalem infamat. Item evaditur infamia, si judex in sententia expresse famam, et honorem conservet condemnato. Ceterum in judicio criminali injuriae regulariter non admittitur procurator, quia judex in arbitrio habet infligere poenam, etiam corporalem, quae his eluderetur; nam principalis eam non sustineret, quia condemnatus non fuit, neque procurator, quia iste est innocens.

10. R. 3. Praeter actionem poenalem tum praetoriam, cum civilem, datur adhuc contra injuriantem actio civilis *rei persecutoria*, quae dicitur *Recantatoria*, seu *ad Palinodiam*, moribus potius, quam jure scripto introducta, qua agitur ad famam recuperandam, ut scil. verbalem injuriam inferens, dicta contumeliosa judicialiter revocet, et injuste a se prolata fateatur. Quodsi vero alterum non infamavit, sed tantum objecit defectum naturalem, v. g. quod spurius, gibbosus, vel surdaster sit, non est locus huic actioni, sed solum christianae deprecationi.

11. Porro licet actio poenalis injuriarum civilis, et criminalis cumulari nequeant, ut ante dictum, tamen actio *recantatoria*; item, si damnum culpa datum sit, *actio L. Aquiliae* cumulari possunt cum actione poenali injuriarum; cum tendant ad diversos fines, scil. persecutionem rei, puta famae, vel interesse ratione damni, et persecutionem poenae pro quantitate injuriae, *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Sic etiam cumulari possunt actio furti, et condictio furtiva, §. *fin. In. de oblig. ex delict. Dices.* Actio recantatoria est criminalis, quia infamat: ergo non cumulatur cum poenali. R. Neg. ant. neque ratio est ad rem, quia multae actiones infamant; ut actio depositi, mandati etc. neque tamen sunt criminales, sed civiles. Ceterum probabilius est, actionem recantatoriam non esse famosam; cum id nullo jure constet, nec colligatur ex Const. Caroli V. qua actio ista videtur introducta.

12. R. 4. Actio ob famosum libellum criminaliter intentata tendit ad poenam capitalem, si crimen capitale impactum fuit, *l. un. C. de famosis libell.* et Const. Carol. *art.* 110. vult imponi poenam talionis. Secus est poena exilii, et deportationis, et hodie arbitraria, qua tenetur auctor famosi libelli, et divulgator, *cit. l. un. et Can.* 1. *qui in alterius*

5. *q.* 1. Typografi vero amittunt impressa exemplaria, et potestatem imprimendi, aliisque arbitrariis poenis subduntur.

13. R. 3. De jure Can. percutiens clericum incurrit excomunicationem *Can.* 29. *si quis suadente* 17. *q.* 4. et si S. R. E. Cardinalem, vel Episcopum percutiat, quasi reus criminis laesae majestatis punitur, *c.* 5. *de poen. in* 6. *et Clementina* 1. *eod.* Haec de actionibus injuriarum, quae competunt injuriam passo, sive directe in se ipso, sive indirecte in persona subjecta §. 2. *Inst.t. l.* 1. §. 3. *ff. h. t.*

14. Q. IV. *Quomodo expiret actio injuriarum?* R. seqq. modis 1. *Retorsione apta*, dicendo: *mentiris.* 2. *Satisfactione l.* 7. §. 6. *ff. h. t.* 3. *Remissione* expressa, vel tacita injuriae; quam tamen facere nequeunt personae subjectae, ut filiusfam, religiosus: bene vero pater, vel praelatus, etiam istis reclamantibus *l.* 17. §. 12. *ff. eod.* ubi tamen *seq.* §. 13. excipitur casus, quo patris persona est vilis, filii vero honesta: et tunc pater nequit remittere injuriam alio illatam. Remissione poenae non censetur remissa reparatio damnorum ex injura secutorum, utpote diversa. 4. *Praescriptione* unius anni probabilius utilis, intra quem actiones praetoriae extinguuntur; *l.* 5. *C. h. t.* Sed actio recantatoria, et ex L. Cornelia, cum utraque sit civilis, durat perpetuo, seu 30. annis. 5. *Morte* injuriantis, vel injuriati ante litem contestatam; quia actio poenalis ex delicto regulariter ad haeredes non transit, *l.* 13. *ff. h. t.* Sacramento tamen poenitentiae non tollitur ista actio, quia potest quis esse amicus personae, et inimicus causae.

§. II.

De Damno dato.

15. Hic non agitur de damno *lucroso* ex bonis alienis, dum damnificans ex bonis alienis ditescit; ut per furtum, rapinam, usuram etc. sed de damno *non lucroso*, dum alterum damnificans, nullum exinde commodum reportat; quo sensu damnum est *delictum privatum, quo res aliena animata, vel inanimata dolo, vel culpa destruitur sine ullo damnificantis lucro;* ut si animal destruatur, vinum effundatur etc. Hoc delictum coercetur ex L. Aquilia, cujus tria erant capita. *Primo capite* cavetur, ut qui alienum servum, vel quadrupedem injuria occiderit, tantum det, quantum ea res illo anno plurimi fuit *pr. Inst. et l.* 2. *pr. ff. ad L. Aquil.* nomine quadrupedis intelligitur pecus gregatim pasci solitum, ut equi, asini, muli, oves, boves, caprae, sues; non vero ferae bestiae, aut canes, *ibid. Secundo capite* quid statutum fuerit, non constat; atque ita *caput secundum L. Aquiliae in usu non est* §. 12. *in eod.* Cujac. et alii existimant caput istud fuisse non de damno rei nostrae, sed de quovis alio damno, v. g. de intercepta nobis utilitate, Gottofr. *cit.* §. 12. *Tertio capite* cavetur de omni cetero damno rei nostrae, si praeter servum, et pecudem occisum, damnum

testate mandantis constitutum. 2. Contra haeredes defuncti non datur, nisi lis cum defuncto fuerit contestata *l.* 9. *ff. eod.* quia actiones ex delicto non transeunt ad haeredes. At de jure Can. damnum culpa theologica datum resarciendum est ab haeredibus defuncti; quia cum hoc onere bona ad eos transeunt *c. fin. de Sepultur. c.* 5. *de raptorib.*

19. Q. III. *Quid veniat in actionem L. Aquiliae?* R. I. AEstimatio damni: et quidem ex *c.* 1. *L. Aquil.* quanti plurimi res valuisset illo anno, et ex *c.* 3. quanti valuisset ante 30. dies, v. g. occidisti equum coecum, qui ante caecitatem hoc anno valuit centum florenis, teneris igitur ex capite primo L. Aquil. dare centum, licet tempore occisionis valeat tantum decem. Item effudisti vinum, quod ante 30. dies valuit 20. teneris 20. dare, licet tempore effusionis non valeat nisi 15. ac proinde quoad hunc excessum actio L. Aquiliae est poenalis §. 9. *Inst. ad L. Aquil.* ibi: *qua ratione creditum est poenalem esse hujus legis actionem.* Sed ut notant Stryck, Lauterb. Schmier, et alii, modus iste aestimandi, et excessus in desuetudinem abjit: et hodie fit aestimatio damni secundum tempus praesens, quanti res valeat eo tempore, quo servus, vel pecus occiditur, aut alia res corrumpitur.

20. II. Venit in hanc actionem non tantum corpus laesum, sed omne, quod extrinsecus interest, seu omne damnum ratione corporis laesi causatum, v. g. expensae in medicos, operae cessantes, lucra, aut pretia diminuta; ut si ex quadriga, ex choro comoedorum, aut musicorum aliquis laesus, ac occisus sit, et ob id pretium aliorum equorum decrescit, musicis, aut comoedis lucrum cessat etc. *l.* 21. *in fin.* 22. 23. *ff. eod. l.* 29. §. 3. *C. eod.* His non obstat *l.* 21. *ff.* §. 3. *ff. de action. empt. l.* 63. *ff. ad L. Falcid.* nam prior procedit de lucro remoto, et incerto; posterior de imputatione praesentium bonorum in falcidiam: at respectu L. Aquiliae consideratur lucrum, et damnum moraliter certum, licet hic, et nunc non habeatur.

21. III. Actio L. Aquiliae in *duplum* est tantum pro casu infficiationis, si damnificans neget damnum a se factum, et super hoc convincatur, *l.* 2. §. 1. *l.* 23. §. 10. *ff. eod.* Hinc etiam actio ista est *arbitraria:* quia judex, si damnificans nolit parere illius praecepto, dato ad simplum solvendum, deinde ex arbitrio suo reum convictum condemnat in duplum, §. 25. et 31. *Inst., de action.*

22. IV. Cum actione L. Aquiliae concurrunt plures aliae actiones; ut familiae herciscundae, communi dividundo, furti, vi bonorum raptorum, injuriae, L. Corneliae de sicariis: si quis tamen una recepit suum, altera experiri nequit, nisi in illud *plus*, quod per aliam actionem obtinere potuisset, *l.* 34. *pr. ff. de O. et A. et l.* 23. §. 9. *ff. ad L. Aquil.* ubi JCtus ait per Aquiliam non praejudicari Corneliae. *Dices: Interdum evenit, ut praejudicium judicio publico fiat, sicut in*

missam celebrare non poterit; bene vero alia ministeria ordinum exercere, ut confessiones audire, concionari etc. 2. *Inhabilitas ad recipienda beneficia*, ita ut collatio beneficii irregulari facta probabilius ipso jure sit nulla, *c. fin. de Cler. pugnant. in duell.* Trid. S. 14. *c.* 7. *de refor.* nam inhabilis ad ordinem, ejusque usum, etiam est inhabilis ad beneficium, quod ordinis usum requirit. Si tamen irregularitas sit partialis ex *defectu* ordini superveniens, non impedit validam, et licitam collationem beneficii ; saltem si defectus non impediat usum ordinis in beneficiato requisiti, *arg. c.* 2. *de cler. agrot.* 3. Irregularitas per se non privat beneficiis antea obtentis, donec delinquens per sententiam judicis condemnatoriam, vel criminis declaratoriam iis privetur, *c.* 5. *Ne clerici c.* 6. 7. *de Cleric. excom. ministr. c.* 10. *de excessib. praelat.* ubi ad talem privationem, ceu poenam vindicativam, requiritur officium judicis: interim vero beneficiatus tenetur per alium administrare, donec dispensationem impetret: et si hanc non vult, vel non potest obtinere, tenetur dimittere beneficium: quia sine causa illud possideret. In casu necessitatis, scandali, infamiae, et alterius gravis incommodi, quod sequeretur, si, v. g. parochus factus occulte irregularis, abstineret ab usu ordinum, non obstante irregularitate, potest exercere ordines, quatenus exercitium necessarium est ad mala ista praecavenda, donec celeriter sibi provideat de dispensatione: nam praeceptum Ecclesiae non obligat cum tam gravi incommodo. Si vero per Vicarium idoneum administratio fieri possit, nec timeantur mala ista secutura, parochus irregularis tenetur vices suas committere Vicario, cum nulla sit necessitas violandi praeceptum Ecclesiae.

Circa dispensationem in irregularitate servantur ea, quae dixi tit. de homicid. a *num.* 48. et alia communia ceteris dispensationib. in jure com. faciendis.

Vide additiones meas hac par. II. post n. 50. *et* 51.

24. Q. III. *Quos effectus habeat poena privationis officiorum, et beneficiorum, et inhabilitas ad illa?* R. 1. Si privatio ipso jure est incursa, sequitur ex illa amissio tituli, seu juris in re, amissio fructuum a die commissi criminis, impotentia ad resignandum beneficium in favorem tertii, et vacatio beneficii ex delicto non per mortem, etsi interim beneficiatus moriatur *c.* 28. *de praeb. in* 6. *Extrav.* 2. *de Sim. int. com.* At si privatio inducta est per sententiam condemnatoriam, effectus isti non incurruntur, nisi a tempore sententiae latae. 2. Effectus inhabilitatis ad officia, et beneficia praecipuus est, quod collatio inbabili facta, non teneat.

25. Q. IV. *Quid sit depositio, et quid juris circa illam?* R. 1. Depositio proprie dicta est poena solis clericis statuta, qua clericus perpetuo removetur, vel totaliter a *beneficio, officio, et ordine:* vel partialiter a *beneficio,* vel *officio,* seu usu jurisdictionis, vel *ordine,* seu usu ordinis: et vocatur dispositio *simplex*, seu *verbalis*, et con-

tradistinguitur depositioni solemni, seu degradationi. Differt depositio a *privatione beneficii;* quia illa, et non ista inducit inhabilitatem ad alia beneficia: a *suspensione totali*; quia ista non tollit titulum beneficii, et officii; bene vero depositio: licet suspensio totalis frequenter confundatur cum depositione.

26. R. 2. Depositio olim infligebatur etiam ob minora delicta *c.* 4. §. *de adulter. de judic.* hodie nonnisi ob enormia crimina, et valde scandalosa; uti est homicidium praemeditatum, furtum sacrilegum rei pretiosae; fornicationes notoriae post monitionem continuatae etc. Sic depositus clericus retinet privilegium fori, et canonis, nisi et isto per sententiam privetur, *c.* 10. *de judic.* si vero ob adulterium, et minora delicta depositus est, peracta poenitentia, poterit cum eo jam emendato Episcopus dispensare *cit. c.* 4. *de judic.* quia misero misericordia non est deneganda: neque hoc modo restituitur ei fama directe, sed indirecte, quod potestatem Episcopi non excedit, *arg. l.* 1. §. 10. *de postulat.*

27. Q. V. *Quid sit degradatio, et quid juris circa illam?* R. Degradatio est poena Ecclesiastica, qua clericus solemniter, et authentice dejicitur ab ordine, et statu clericali. Est duplex: *verbalis*, seu *sententialis*, qua profertur solemnis sententia privans clericum statu clericali. *Realis*, seu *actualis*, qua clericus executive in forma Ecclesiae dejicitur a statu clericali. *Verbalis* degradatio differt a *depositione;* quia a sententia depositionis immediate transiri nequit ad degradationem sine nova sententia degradationis; bene vero a degradatione verbali ad realem. Rursum degradatio *verbalis* differt a *reali;* quia *verbalis* fieri potest per Episcopum tantum confirmatum, exercite non tollit privilegium fori, et canonis, et verbaliter degradatum Episcopus restituere potest: e contra degradatio realis fieri debet ab Episcopo consecrato, cujus ordini est annexa ex praecepto Ecclesiae, exercite privat privilegio fori, et canonis, et realiter degradatus a solo Papa restitui potest.

28. R. 2. Clericus ob nullum crimen, nisi jure expressum degradari potest: ita com. ex *c.* 10. *de judic.* ubi praescribitur ordo puniendi clerici; ut primo deponatur ab officio, et beneficio; deinde crescente contumacia, excommunicetur, et anathematis mucrone feriatur: tandem, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat, seculari potestati tradatur puniendus. Ita procedendum est in casu incorrigibilitatis. Praeter hunc incorrigibilitatis casum, dantur in jure com. 4. casus, in quibus clericus, non expectata incorrigibilitate, statim degradari potest: 1. Ob crimen *haeresis* praesertim cum reincidentia, *c.* 9. *de Haeret. et c.* 4. *eod. in* 6. 2. Ob *conspirationem* in proprium Episcopum, *Can.* 18. *siquis sacerdotum* 11. *qu.* 1. 3. Ob crimen *falsationis* Litterarum apostolicarum, *c.* 7. *de crimine fals.* 4. Ob crimen assassinii *c.* 1. *de homicid. in* 6. Extra corpus juris sunt tria crimina degradatione digna. *Sodomia* frequen-

tata, Const. S. Pii V. incip. *Horrendum illud scelus. Celebratio missae, et sacramentalis auditio confessionum* a non sacerdote exercita, Const. Clem. VIII. incip. *Etsi alias.* Et pro Italia observatur Const. Urban. VIII. incip. *In suprema* de clericis monetariis. Extra hos casus, si aliud enormissimum delictum a clerico perpetretur, recurri debet ad Sed. apostolicam pro licentia degradationis. Vide meas *resol. Can. tit. de judic. resol.* 1.

Est etiam solicitatio ad turpia in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiares quaedam circumstantiae ex Const. Greg. XV. Universi 30. *August.* 1622. *quamvis Cardinal Albitius tract. de Inconstan. in fide par.* 1. *cap.* 15. *asserat d. Constit. quoad hanc poenam non fuisse usu receptam. Item furtum sacrilegum SS. Eucharistiae, sive quis cum sacra pixide sive sine illa sacram Hostiam surripiat, et praesumat apud se retinere, aut alio transferre ex Constit. Innoc. XI. et Alexand. VIII. confirmatis a Benedicto XIV. Constitut.* Ab augustissimo 5. *Mart.* 1744. *Item abortus foetus animati, sive quis eum procuraverit per se, sive per alium ex Const. Sixti V.* Effraenatam *juxta moderationem factam a Gregor. XIV. Const.* Sedes Apostolica: *cum Sixtus hanc poenam extenderit etiam ad foetum inanimatum.*

Ab aliquibus recensetur etiam inter crimina degradatione digna maleficium, seu sortilegium, ex quo unius, aut plurium mors sequuta comprobetur ex Constit. Greg. XV. Onnipotentis 20. *Martii* 1623. *verum perperam. cum. d. Const. non loquatur de degradatione, ut observat Card. Albit. loc. cit. c.* 52. *n.* 150. *Item polygamia cum quis nempe falsum professus nomen, agnomen, uxore vivente, aliam duxerit ex Const. Urban. VIII.* Magnum 20. *Jun.* 1637. *sed neque in ista degradationis mentio ulla fit, ut animadvertit Bened. XIV. de synod. diaec. lib. IX. c.* 6. *n.* 7. *et seqq.*

29. R. 2. Degradatio clericorum facienda est a proprio Episcopo: si vero clerici, et religiosi exempti sunt, a Papa *Can.* 4. 7. *caus.* 5. *q.* 6. Trid. *sess.* 13. *c.* 4. *de refor.* Plerique tamen praelati regg. habent privilegium degradandi suos religiosos. Compend. Privileg. Societ. Jesu *v. praelatus.*

30. R. 3. Forma degradationis verbalis de jure antiquo *Can.* 5. *et seqq.* 15. *q.* 7. *et c.* 2. *h. t. in* 6. in eo consistit, ut Episcopus coram 12. Episcopis, presbyter coram 6. diaconus, et subdiaconus coram 3. Episcopis: minorista vero coram Episcopo, et capitulo cathedrali sententialiter degradetur. At de jure novo Trid. *cit.* S. 13. *c.* 4. *de refor.* si tot Episcopi haberi nequeunt, sententialis degradatio, etiam presbyteri, fieri potest coram totidem Abbatibus usum mitrae, et baculi habentibus, Episcopo, vel ejus Vicario generali assistentibus: vel si nec hi commode interesse possunt, coram *aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves, ac juris scientia commendabiles existant. ibid.* Porro assistentes isti in judicio degradationis habent votum

decisivum; et probabilius sententia eorum debet esse concors, et non tantum a majori parte, *c.* 3. *de sent. et re jud.* nam factum *concorditer* opponitur facto a majori parte *c.* 30. *de elect.* maxime in hac materia criminali, ut non sit locus *arg. a sensu contr. ex Can.* 1. *siquis* 6. *q.* 4. Quia vero circa degradationem minoristarum non est tantus rigor juris, sufficit sententiam ferri ex voto majoris partis.

31. R. 4. Forma degradationis realis traditur in Pontificali rom. ut scil. fiat ab Episcopo consecrato proprio, vel alio consecrato deputato *c.* 2. *h. t. in* 6. et praesente judice seculari, clerico vestibus sacris induto, gradatim ipsae vestes sacrae usque ad cottam inclusive auferantur; et deinde reus judici seculari tradatur cum seria protestatione, et intercessione pro reo, ut citra mortem puniatur, *c.* 27. *de V. S.* Si tamen talis intercessio omitteretur, Episcopus non fieret irregularis, cum id nullo jure caveatur, neque omissio intercessionis sit cooperatio ad necem.

32. R. 5. Judex secularis, extradito sibi reo, non potest cognoscere de valore degradationis, neque de crimine fori Ecclesiastici, uti est haeris, simonia, sacrilega missae celebratio etc. cum cognitio ista sit actus jurisdictionis spiritualis, qua laicus caret. At si crimina sint mixti fori, ut assassinium, sodomia, homicidium etc. si laicus non vult stare processu judicis Ecclesiastici, potest novum processum instituere, degradatum, si opus est, pro elicienda veritate torquere, et prout probationes suadebunt, reum vel condemnare ad mortem, vel ad poenam aliam mitiorem; praesertim si princeps gratiam reo faciat.

§. III.

De Poenis temporalibus utriusque fori.

Poenae propriae fori civilis sunt: ultimum supplicium, et mutilatio, ad quas judex Ecclesiasticus condemnare nequit: secus efficitur irregularis, *c.* 5. *ne clerici.* Ceterae poenae fere omnes sunt mixti fori, ut infamia, confiscatio bonorum, flagellatio, exilium etc.

33. Q. I. *Quid juris circa infamiam?* R. 1. Infamia est privatio bonae famae, et existimationis. Est duplex: *infamia facti*, quae ex pravis moribus oritur, et per emendationem aboletur, *l.* 2. *C. de dignitat. Infamia juris*, quae auctoritate juris ob turpe crimen infligitur, tribusque modis contrahitur; *ipso jure*, dum jus ante ullam sententiam aliquibus delictis annectit infamiam, ut crimini laesae majest. haeresi. usuris, lenocinio etc. modo crimen sit notorium. *Sententia judicis*, dum judex ob certa delicta infamantia condemnat reum, ut de rapina, furto, calumnia, praevaricatione, de dolo in tutela, deposito etc. *Genere poenae*, dum quis ignominiae causa ab officio amovetur, ut a militia, dignitate, vel condemnatur ad poenam infamantem, ut deportationem, fustigationem etc. Delicta, et causas, ex quibus infamia nascitur, vide *tit. ff. de his, q. notant. infam. tit. C. ex*

quib. caus. infam. irrog. et Can. 2. *infames. §. porro infam.* 3. *q.* 7. *et Can.* 17. *infam.* 6. *q.* 7.

34. R. 2. Poena infamiae juris facit reum irregularem, privat, et removet ab honoribus, dignitatibus, actibus legitimis, et officiis publicis, ut judicis, advocati etc. *c. fin. d.* 51. *c.* 2. *infames* 3. *q.* 7. et a nullo, nisi principe tolli potest, *Can.* 7. §. *hinc colligitur* 2. *q.* 3. *l.* 6. *C. ex quib. caus. infam. irrog.*

35. Q. II. *Quae poenae, praeter infamiam, a judice Ecclesiastico infligi possint?* R. 1. Poena *pecuniaria*, non Episcopo, aut mensae capitulari, aut officialibus Episcopi, sed piis locis applicanda, Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.* et consuetudo in contrarium videtur esse corruptela, et bonis moribus adversa; quia intuitu pecuniae avaritia fovetur, poenae efficaciores negliguntur, et emendatio seria non procuratur. Secus evenire solet, si juxta saluberrimum praeceptum Trid. poena delicto debita commutetur in eleemosynam piis locis et pauperibus distribuendam. 2. Poena confiscationis bonorum *c.* 19. *de Haeret. in* 6. et quidem si bona sunt Ecclesiastica, applicantur Ecclesiae; si patrimonialia, cedunt fisco Ecclesiastico: et alicubi fisco seculari, sicut alia bona secularia. 3. *Verberatio, et flagellatio* clericorum, attamen citra mortis, et mutilationis periculum, *Can. fin. d.* 35. Sed haec poena, uti et detrusio in arctum monasterium exolevit. 4. Carcer est frequens poena clericorum, et Regularium, *c.* 3. *h. t. in* 6. cum enim Ecclesia non possit infligere poenam mortis, utitur carcere pro malefactoribus, honesto tamen, lucido, et decenti pro personis sacris: de quo plura vide in mea *Epitome judic. sum.* §. 7. 5. *Exilium*, seu *relegatio*, quam infligere potest Episcopus pro sua dioecesi, et Archiepiscopus pro sua provincia *Can.* 8. *d.* 45. *et Can.* 13. *in fin.* 16. *q.* 5. quamvis autem Gloss. in *c.* 2. *in fin. de Cler. excom. v. regis judicio* sentiat ab Episcopo non posse imponi tale exilium, quod patriae, ac civitatis juribus privat: id tamen non procedit, nisi respectu clerici degradati, de quo sermo est in *cit. c.* 2. alioquin Ecclesia non solum mediam, sed et maximam capitis diminutionem infligere potest, v. g. revocando clericum ingratum in servitutem, *c.* 5. *de serv. non ordin.* Poenae apud Regulares usitatae, hauriondae sunt ex statutis cujusque Ordinis.

36. Q. IV. *Quae poenae sint in foro seculari?* R. 1. *Capitales*, quae mortem naturalem, aut civilem inferunt; ut gladius, laqueus, rota, ignis, scissio in partes, submersio in aquis; et olim crucifixio *l.* 28. §. 15. *l.* 38. §. 1. *et seqq. ff. h. t.* Maxima capitis diminutio per servitutem, uti et media per amissionem civitatis, cui hodie aequivalet proscriptio, seu bannitio ex Imperio, aut regno, damnatio ad triremes. 2. Non capitales sunt inustio stigmatis, exoculatio, amputatio linguae, manus, et aliorum membrorum, statio ad numellas, relegatio, confiscatio, multa, pecuniaria, et aliae plures, de quibus

videri potest Carpzov. in Practic. crim. Carcer tamen de jure civ. non est proprie poena *l.* 8. §. 9. *ff. h. t.* ibi: *carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.* Idem statuitur *l.* 6. *C. eod. et l.* 5. *C. de custod. reor.* Jura romana vide *tit. ff. et C. de poenis.*

37. Q. V. *An hodie bona damnatorum publicentur?* R. Negative, sed relinquuntur descendentibus, vel ascendentibus ex *Nov.* 134. *c.* 13. *in fin.* et quidem usque ad tertium gradum; secus cedunt fisco ex Jure antiquo. Vide *tit. ff. et C. de bonis damnator.*

Ex Const. Bened. XIV. Rerum humanarum 16. *Decemb.* 1746. *pro reformatione Tribunalium urbis, ab initio inquisitionis damnatorum facienda est descriptio bonorum eorumdem, tam mobilium quam immobilium, inserenda in processu, et Commissario Camerae Apostol. intimanda, ut eadem Camera post eorum condemnationem repetere possit viatica aliasque expensas: quae descriptio, si neglecta fuerit in commissionibus tribunalis Vicarii, et Auditoris Camerae, judices, e notarii nihil pro viaticis, et cibariis a d. Camera Apostolica repetere possunt.*

38. Q. VI. *Qui sint interdicti, et deportati?* R. *Interdicti* sunt, quibus certus locus prohibetur: *relegati*, quibus integra provincia, vel regnum prohibetur: *deportati*, quibus praeter relegationem insula, seu certus locus assignatur, e quo egredi eis non licet, *l.* 7. *pr. ff. de interdictis, et releg.* Deportatus patitur mediam capitis diminutionem; atque ita amittit civitatem, ejusque jura: libertatem tamen retinet, et consequenter acquirit sibi, licet moriens fiscum relinquat haeredem *l.* 15. *ff. eod.* Si interdictum violet suam poenam, punitur relegatione: relegatus deportatione, et deportatus ultimo supplicio. Vide *cit. tit. ff. de interd. et releg.* ubi etiam *l.* 7. §. 20. reperies interdictum poenale, seu quandam civilem irregularitatem, ne quis ad honores promoveatur.

39. Q. VII. *An sententiam passi restitui possint?* R. Possunt, sed a solo principe, qui non ligatur sententiis suorum inferiorum, *l.* 7. *et* 10. *C. de sententiam passis, et rest.* dummodo nullum sequatur praejudicium partis, *Can.* 10. *denique* 10. *q.* 5. Porro restitutio ista fieri potest duplici modo: 1. *imperfecte, et extra ordinem*, dum solus reditus in patriam conceditur *l.* 2. *et seqq. C. eod.* 2. *perfecte, et pleno jure*, dum a principe non tantum reditus in civitatem conceditur, sed omnia priora jura, bona, dignitates, honores, actiones, reales, non tamen personales, quae censentur extinctae per deportationem. Hac plena restitutione facta, redit patria potestas, testamentum deportatione irritum convalescit, non secus ac jure postliminii; ea tamen, quae temporo intermedio a filio gesta sunt, rata manent, quia filiusfam. pro eo tempore censetur esse paterfam. seu homo sui juris *l.* 1. §. *fin. C. h. t.* Eadem proportionaliter observantur in foro Can. si Papa ex urgentissima

causa clericum, aut religiosum plenissime restituat in omnia priora jura. Et haec de restitutione gratiosa per viam indulgentiae. Si vero restitutio sit justitiae, quia innocens condemnatus est, v. g. ad deportationem, tunc prorsus omnia redintegranda sunt, etiam alienata, cum suis fructibus; quia in his initium vitiosum fuit, ob quod cetera non subsistunt. Cetera vide in textu *tit. ff. et C. de sententiam passis, et restitutis.* An cadavera punitorum manere possint insepulta, an vero tradenda sepulturae Ecclesiasticae, dixi *tit. de sepultur.* Vide *tit. ff. de cadaverib. punitur.*

TITULUS XXXVIII.

De Poenitentiis, et Remissionibus.

Agitur de hac materia in sexto, Clementin. et Extrav. com. *h. t.* in Decreto 33. *q.* 2. *et q.* 3. *in Tract. de poenitentia per* 7. *distinct.* in Trid. *sess.* 14. *de sacram. poenit. et sess.* 24. *c.* 8. *de refor.* Item Theologi fuse agunt de poenitentia, ut est virtus, et ut est sacramentum, ad quos pro doctrina ista te remitto.

1. Post poenas in foro externo, agitur hic de poenitentiis in foro interno: et quia poenitentiae istae solent quandoque relaxari, additur altera pars rubricae de *Remissionibus.* Est autem poenitentia satisfactio condigna pro peccatis imposita, vel *publica* pro peccatis manifestis *c.* 1. *h. t.* vel *privata* pro peccatis occultis. Rursus publica est duplex: *solemnis,* quae olim imponebatur ab Episcopo initio quadragesimae pro delictis toti reipubl. noxiis, et scadalosis, ratione quorum poenitentes fiebant infames, ut ordinari non potuerint, *c.* 15. *de privil. Can.* 64. *et seqq. d.* 50. *Non solemnis,* quae etiam a presbytero imponi potuit pro delictis publicis, non tamen reipubl. ita noxiis, eamque peragentes non fiebant infames. *Remissio* hic est relaxatio poenarum temporalium, quae hodie fit per Indulgentias ex thesauro Ecclesiae per applicationem meritorum Christi, Sanctorum, *Extrav.* 1. *h. t. int. com.* Trid. *sess.* 25. *in decr. de Indulg.* Est autem Indulgentia varia: 1. Pro *vivis* per modum absolutionis: et pro defunctis per modum suffragii, seu solutionis. 2. *Personalis,* quae directe datur personis: et *realis,* quae dependenter a re aliqua vel loco conceditur; ut si Indulgentia affixa sit Ecclesiae, altari, numismati etc. 3. *Perpetua,* quae semper durat, nisi revocetur: et *temporalis,* quae ad certum tempus durat. 4. *Plenaria,* quae totam poenam peccatis debitam remittit: et partialis, quae partem poenae remittit; vel indeterminate, ut tertiam partem; vel determinate, ut poenam 10. annorum, 40. dierum etc. *Carena* est poenitentia sustinenda per jejunium in pane, et aqua per 40. dies. *Quadragena* est poena per quadragesimam sustineri solita. Quae poenitentiae si relaxentur, dicitur indulgentia *carenae,* vel *quadragenae,* unius, vel plurium.

2. Q. I. *An confessio sacramenta-*

Digitized by Google

lis sit in praecepto? R. 1. Affirmative, ut scil. omnis utriusque sexus fidelis in peccatum lapsus, saltem semel in anno confiteatur; et ad minus in Pascha Eucharistiam sumat: secus praecepta ista negligentes, vivi arcendi sunt ab ingressu Ecclesiae, et mortui a sepultura Ecclesiastica: ita Innoc. III. in Conc. Later relato *c.* 12. *omnis h. t.* ubi determinatur praeceptum divinum, quo fidelis obligatur per confessionem se reconciliare Deo, et manducare Corpus Christi. Idem confirmat Trid. *sess.* 15. *c.* 5. *et can.* 8. *de sacram. poeniten.* Non satisfit autem huic praecepto per sacrilegam confessionem, et communionem: et oppositam propos. *n.* 15. damnavit Innoc. XI. Neque ab ejus observantia excusantur peccatores publici, ut meretrices, usurarii etc. quod vero poenae executioni non dentur, id fit causa majoris mali evitandi.

Neque satisfacit, qui Eucharistiam sumit a Regularibus intra dies a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive; et his, non obstantibus ipsorum privilegiis, prohiberi potest, ne eam administrent secularibus personis in die Paschatis, licet hae satisfecissent eidem praecepto in Ecclesia parochiali; non autem in aliis diebus intra dictum tempus interclusis, in quibus tamen Eucharistiam sumentes ab eisdem non satisfacerent praecepto, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relat. a Bened. XIV. de synod. diaec. lib. IX. cap. 6. n. 4. et 5. ac in Thes. resol. in suessana 3. Decem. 1735. tom. 7. pag. 161. et 18.

3. R. 2. Mulieri, quae ex adulterio prolem suscepit, vel alienum partum supposuit, si ex metu gravis mali nolit delictum manifestare, non est deneganda poenitentia: ita decidit Innoc. III. *c.* 9. *h. t.* nam cum tanto periculo famae, et vitae mulier non tenetur damnum alienum, utpote minus, avertere; sicut fur, qui rem sine majori suo periculo restituere nequit, deobligatur a restitutione. Excipe, nisi uxor alias sit malae famae, de adulteriis graviter infamata; vel si ex non revelatione majus malum sequeretur, ut si haereticus succedere deberet in regno etc. regulariter vero bonum vitae, et famae, cujus periculum uxori, et proli imminet, praevalet bonis fortunae, utpote ordinis inferioris.

Ex binis Constitutionibus Benedicti XIV. Sacramentum poenitentiae 1. *Junii* 1741. *et* Apostolici muneris 3. *Februarii* 1745.

I. *Reservatur summo Pontifici facultas absolvendi calumniantes, per se ipsos vel per alios, de solicitatione confessarios, excepto mortis articulo.*

II. ***Sublata est ipso jure cuicumque confessario, etiam tempore Jubilaei, aut in vim Bullae cruciatae, sive alterius indulti, confessiones audienti jurisdictio absolvendi complicem in peccato contra sextum decalogi praeceptum sub poena excommunicationis Papae reservatae incurrendae, etiamsi complex reperiretur in mortis articulo; quando tamen absque illius infamia, vel scandalo, et quidem non conficto, haberi potest alius sacerdos, qui illius confes-***

sionem exciperet. Complex vero in hujusmodi articulo constitutus, etiamsi aliussacerdoshaberipotuisset,etob confessarii complicis malitiam adhibitus non fuisset, remaneret valide absolutus.

III. *Ex decreto Cong. sacrae Inquisitionis* 5. *August.* 1745. *coram eod. Benedict. XIV. et ab ipsomet confirmato, ac relato in appendice tom.* 2. *ejus Bullar. num.* 8. *confessarii tam seculares, quam regulares cujuscumque Ordinis. et Instituti-* Vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut praetextu, ad turpia solicitantes, vel sacrificio missae abutentes ad sortilegia, poenas contra *solicitantes, et sacrilegos jam alias statutas*, perpetuam etiam inhabilitatem incurrunt ad praefati sacrificii celebrationem - *Haec tamen poena non habet locum in casibus occultis.*

IV. *Ex Constitutionibus ejusdem Pontificis* - In Suprema - *et* - Ubi primum - *editis pro regnis Portugalliae, et Algarbiorum, deinde ad universum catholicum orbem extensis Constit.* - Ad eradicandum - *Peccat lethaliter confessarius exquirens nomen, et habitationem complicis, cum quo poenitens peccatum perpatravit, etiam praetextu procurandae illius correctionis, aliorumque bonorum colligendorum: multoque magis si deneget absolutionem, quando poenitens ejusdem complicis nomen renuat revelare. Ob quae denegatae absolutionis crimen ne dum suspensioni ab audiendis confessionibus decernitur subjiciendus, sed etiam Sacr. Inquisitioni intra terminum dierum in illius edictis praefigi solitum, et sub poenis contra non denunciantes per eadem edicta infligi consuetis, denunciandus, et ab Inquisitoribus prout in causis fidei puniendus* - dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convenstitus, quae sic agentem confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, *de expetendo nempe complicis nomine*, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant - *a quo tamen onere eximitur poenitens in causa propria, nisi aliunde, quam ex propria confessione, novit dictum confessarium* - aliquo ex superius enumeratis, et S. Officio denunciandis modis delinquisse - *tunc enim, et ipse denuntiare teneretur.*

4. R. 3. Ægroti obligantur confiteri, et viaticum sumere: nam in periculo salutis constituti sunt; ideo omni meliori modo tenentur salutem suam assecurare: unde juxta *c.* 31. *h. t.* medicus non admonens aegrum de confessione arcetur ab ingressu Ecclesiae, donec competenter satisfaciat: et quidem ex Const. S. Pii. V. *Super gregem* 1566. 8. *Martii*, ubi est usu recepta, si aeger tertio die non confiteatur, medicus non debet eum visitare.

Hac de causa Romae ex decreto Sac. Cong. Visitat. Apostol. jussu Urban. VIII. edito 10. Jul. 1625. praecipitur (ut alibi praecipi etiam solet) quibuscumque confessariis tam secularibus, quam regularibus, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incurrendae, ut statim

Digitized by Google

in domo infirmi fidem auditae confessionis proprio parocho, et medico supervenientibus dimittere teneantur. Et hic notandum, quod si confessarius ab Episcopo jam approbatus, sit secularis, infirmi confessionem audire nequeat sine licentia parochi ejusdem infirmi: si vero regularis sit, itidem ab Episcopo approbatus, satis sit, ut dictam tantum fidem relinquat ex decreto Cong. Conc. 14. Decemb. 1658. relato a Bened. XIV. lib. IX. de synod. dioec. cap. 17. n. 9. quo decreto idem Pontifex refert ita temperatam fuisse synodalem Constitutionem cujusdem Episcopi adstringere volentis confessarios regulares ad parochi licentiam obtinendam.

Imo, ubi piana Const. usu recipitur, non videtur aeger totaliter a medico deserendus, si obstinate nolit confiteri, et sine gravi periculo deseri non possit, ne utraque morte pereat; quia convalescens resipiscere potuerit. *Thesaur.* de poenis verb. *Medicis. c.* 1.

Circa Medicos vide notata in summariis post c. Cum infirmitas 13. *par. I.*

An vero teneatur parochus Viaticum deferre illi, qui mane sanus Eucharistiam sumpsit, et eodem die in morbum periculosum incidit, est hinc inde opinio aeque probabilis; ideoque idem Bened. lib. VII. cit. synod. cap. XI. numer. 2. infert. integrum esse parocho eam sententiam amplecti quae sibi magis arriserit.

5. Q. II. *Quales poenitentiae hodie sint injugendae?* R. 1. Solemnes poenitentiae hodie non sunt in usu: imo nec olim imponi poterant clericis, nisi depositis sine spe restitutionis *Can.* 2. *de poenitent. dist.* 6. sed si peccata sunt publica, imponitur publica poenitentia: attamen moderno statui accomoda, *c.* 1. *h, t.* ut ita delinquentes emendentur, et alii eorum exemplo terreantur. Unde poenitentiae in canonibus poenitentialibus dictatae hodie non imponentur, sed aliae arbitrariae *c.* 8. *h. t.* licet sacerdos poenitentibus aperire possit, quantam poenitentiam secundum rigorem Ecclesiae sustinere deberent: sic poena 12. annorum pro occisore sacerdotis statuta *c.* 2. *h. t.* commutata est in excommunicationem, et irregularitatem ipso facto incurrendam. 2. Poenitentia minor imponi potest, si eo die occurat aliqua Indulgentia, praesertim plenaria; dummodo poenitens ad eam lucrendam necessaria praestet.

6. Q. III. *Quis, cui, et ex qua causa concedere possit, Indulgentiam?* R. I. Concedere Indulgentias plenissimo jure potest Papa, *Extrav.* 2. *h. t. int. com.* II. Episcopus, sed limitate secundum modum Conc. Later. *cap.* 14. *h. t.* in dedicatione Ecclesiae potest concedere Indulgentiam unius anni, et in anniversario dedicationis, ac etiam in aliis casibus, et rationabilibus causis 40. dierum cit. cap. 14. Et quamvis plures Epis opi dedicarent eandem Ecclesiam, modum istum excedere non possunt *cap. fin. h. tit. in* 6. neque Archiepiscopus per provinciam suam Indulgentias concedens *c.* 15. *h. t.*

Quam facultatem, utpote jurisdictionis, et non Ordinis, delegare etiam possunt simplici clerico; non autem laico,

Barbos. cum communi de offic. et potest Episc. alleg. 88. n. 10.

III. Legati Sedis Apostolicae, et S. R. E. Cardinales ex consuetudine in Ecclesiis suorum Titulorum 100. dierum Indulgentias concedere possunt. De reliquis praelatis nihil habetur, nisi quid speciale eis competeret ex privilegio.

Quamvis, sede Episcopali vacante, tota Episcopalis jurisdictio transeat in capitulum, et per hoc ad Vicarium capitularem; ac potestas concedendi Indulgentias pertineat, non ad Ordinem, sed ad jurisdictionem, non tamen sequitur Vicarium capitularem eas concedere posse, quidquid pro theoria in contrarium senserint DD. relati a Bened. XIV. de synod. diaec. lib. II. cap. 9. num. 7 stante decreto Cong. Conc. 13. Novemb. 1688. ibidem relato: quo statuit, ut se in praxi ab his concedendis abstineret: et merito quidem, cum haec potestas sit cujusdam extraordinariae jurisdictionis soli dignitati Episcopi annexae ex claro textu cap. Accedentibus 12. de excess. Praelat.

Ex Constitut. Bened. XIV. Pia mater 5. Apr. 1747. Episcopus, aliusque inferior praelatus, territorium separatum habens (servatis tamen ab hoc conditionibus in Bulla praescriptis) impertiri potest, vel per se, vel per alios sacerdotes, tam seculares, quam regulares benedictionem cum Indulgentia plenaria constitutis in mortis articulo, cum conditione, ut hi tamquam opere injuncto ad eam acquirendam, mortem libenter acceptent in spiritu resignationis ad divinam voluntatem: cum facultate insuper quoad Episcopos, eamdem impertiendi moniali moriturae, secum comites adhibendo in ingressu confessarium ordinarium monasterii, aliumque sacerdotem ipsorum arbitrio eligendum: ac praeterea si per se id praestare nequeant, subdelegandi ad dictum effectum praefatum confessarium. Haec autem facultas ab Episcopis, dictisque inferioribus praelatis semel ab Apostolica Sede concessa, durat ad ipsorum usque obitum; et non ad triennium tantum, ut olim concedi consueverat. Ab Episcopis tamen auctoritate Papae ad aliam cathedram translatis denuo obtineri debet.

7. R. 2. Indulgentia datur subjecto capaci, scil. baptizato, non excommunicato, et subdito *c. 4. h. t.* ex parte cujus requiritur, ut impleat opera praescripta, et saltem ultimum opus conjungatur cum statu gratiae. Intentio formalis non requiritur, sed sufficit habitualis, et interpretativa. Incipiunt autem Indulgentiae pro aliqua festivitate concessae a primis vesperis, et durant usque ad occasum solis sequentis diei.

8. R. 3. Ad concedendum Indulgentias requiritur justa causa, secus invalida est concessio, S. Th. in supplem. *q. 25. ar. 2.* nam Papa non est dominus, sed dispensator thesauri Ecclesiae: dispensator autem sine justa causa valide non dispensat, sed dissipat; et ideo Innoc. III. *c. 4. h. t.* reprobat indulgentias *indiscretas, et superfluas.* Justae causae; exaltatio Ecclesiae, extirpatio haeresum, conversio infidelium, reformatio morum, concordia principum christianorum, sunt, excitatio ad

studium devotionis, remuneratio meritorum, et obsequiorum, etc.

9. Q. IV. *Quid sit jubilaeum in lege nova?* R. 1. Est annus gratiae visitantibus limina Apostolorum Petri, et Pauli concessus, cum plena peccatorum, et poenae pro his debitae remissione, aliisque favoribus in bulla Jubilaei expressis, uti sunt: potestas absolvendi ab omnibus peccatis, et censuris Papae, aut Episcopo reservatis, exceptis casibus Bullae Coenae, nisi exprimantur, praesertim haeresis: item facultas commutandi, et dispensandi vota, exceptis reservatis perpetuae castitatis, et religionis, et triplicis peregrinationis, nisi aliud exprimatur etc. 2. Jubilaeum olim concedebatur centesimo quoque anno, deinde L. hodie ex Con. Pauli II. anno XXV. seu intra 25. annos, *Extrav.* 1. 2. *h. t. int. com.* incipitque a primis vesperis Nativitat. Christi usque ad vesperas secundas ejus festi anni sequentis: et toto illo tempore aliae Indulg. vivorum suspenduntur; nisi aliud ex privilegio habeatur, vel Indulgentiae vivorum a Papa commutentur in Indulgent. mortuorum. 3. Ad lucrandum Jubil. praestanda sunt opera in Bulla praescripta, intra tempus ibid. assignatum; estque securius eadem septimana omnia opera praestare. Plura de Jubilaeo vide in Salmant. Gobat.

Et novissime insignem tract. de Jubil. P. Theodori a Spiritu Sancto Carmelitae excalc. clarissimi mei Collegae.

10. Q. V. *Quid dicendum de Indulgentia pro defunctis. Altaribus privilegiatis affixa?* R. I. Applicate Indulgentiam defuncto per modum suffragii est designare unum defunctum, cui Papa tribuat ex thesauro Ecclesiae satisfactionem Deo pro illius peccatis offerendam. II. Ut applicatio ista, et Indulgentia sit secura, observandae sunt conditiones in privilegio expressae, scil. ut altare sit designatum, et simile in eadem Ecclesia non habeatur; licet non obstet, quod habeatur altare alio modo privilegiatum, v. g. unum pro quibuscumque fidelibus, alterum speciale pro fratribus certae Congregationis ex decret. S. Cong. Indulgent. 13. Jun. 1676. et confirmatio ab Innocent. XI. 16. Martii 1677. et in isto altari die designata sacerdos missam legat: et quidem de *requiem*, si dies non sit impedita festo duplici; alioquin sufficiet legere missam de Sancto, ex Const. ejusdem alias 4. Maii 1688. III. Illa conditio *dummodo in ea Ecclesia septem* (vel quot exprimuntur) *Missae quotidie celebrentur*, tutissime intelligitur de singulis anni diebus, exceptis tribus ultimis feriis majoris hebdomadae: multi tamen DD. quibus adhaeret Gobat, censent conditionem, et clausulam istam esse civiliter intelligendam; puta ut regulariter, et de ordinario tot missae celebrentur, licet per accidens ratione morbi, aut alterius impedimenti uno, vel altero die numerus iste missarum non expleatur: nam clausula: *dummodo celebrentur*, idem significat, ac verba ista: *dummodo soleant celebrari.*

Circa hanc quaestionem omnem dubitandi locum sustulerunt responsa

Cong. Concil. ex mandato Clem. XI. ad sequentia dubia 30. *Julii* 1701.

I. An absentibus religiosis, ex causa praedicationis tempore Quadragesimae, et Adventus, vel quando occasione festivitatum, vel funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiae concessae cum certo numero missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus missarum non fuerit adimpletus, sint suspensae, vel potius remaneant in suo robore.

II. An idem sit statuendum, deficiente praefixo numero missarum ob infirmitatem sacerdotum, tam regularium, quam secularium.

III. An pariter idem sit statuendum, deficiente praedicto numero missarum ob absentiam ab Ecclesiis secularibus canonicorum, et sacerdotum per aliquot dies, et menses.

Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus, et Quadragesimae remanere suspensas, non autem in reliquis; dummodo raro contingat.

Ad secundum remanere suspensas.

Ad tertium provisum in primo.

Tempore Jubilaei Indulgentiae Altaris, et aliae quaelibet pro defunctis concessae non suspenduntur ex decreto sac. Cong. Indulgentiarum 24. Jan. 1700.

Altare privilegiatum quotidianum in perpetuum concessum est omnibus Ecclesiis patriarcalibus, metropolitanis, et cathedralibus a Benedicto XIII. Constitut. Omnium saluti 20. *Julii* 1724. *Circa communicationem Altaris privilegiati, vide dicta hac par. II. post num.* 29.

IV. His, aliisque necessariis observatis, sequitur effectus Indulgentiae plenariae, scil. liberatio animae e purgatorio: quamvis multi graves Theologi dicant effectum istum non esse infallibilem sicut infallibile est, sacrificium missae omnino prodesse animabus in purgatorio. Ex hac, aliisque causis pium, et laudabile est pro eadem anima pluries sacrificare ad altare privilegiatum: et generaliter juxta Decreta Clementina, et Innocentiana, tot missae celebrandae sunt, quot oblata fuerunt stipendia. Per hoc tamen non intendo reprobare illam sententiam, quam docent magni TT. Cajet: Can. Sot. Viguer. et sequitur Vasquez. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 231. *cap.* 2. *et seqq.* quod unum missae sacrificium oblatum, v. g. pro 100. animabus, tam multum prosit singulis, quam si pro una sola ex illis 100. offerretur; dummodo tot missae celebrentur, quot ab offerente elemosynam praescriptae fuerint.

11. Q. VI. *Quid sentiendum de Indulgentiis realibus, quae Crucibus coronis, numismatis, et, ut vocant, medallis: affixae sunt?* R. 1. Qui tale medallium habet, lucratur in festis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis B. V. M. in natalitiis Apostolorum, in festo S. Josephi, S. Joan. Baptistae nati, et SS. Omnium Indulgentias plenarias; dummodo confessus, et S. Eucharistia refectus consuctas preces persolvat 7. vel 5. *Pater, et Ave* aliasque in Decreto Clem. XI.

et Innoc. XIII. expressas: et quamvis formulam harum Indulgentiarium a dicto Innoc. XIII. in unam formam reductarum prae manibus habeam, impressam typis reverendae Camerae apostolicae; tamen, quia prohibet Sanctitas sua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem, huic praecepto parere malo, quam formulam istam hic annectere. 2. Circa intentiones, seu ut vocant benedictiones, v. g. dum Papa dat alicui mille Indulgentias inter alios distribuendas, sublata videntur plurima DD. dubia circa applicationem, et delegationem potestatis, de quibus agit Pasqualigus, Gobat *Oper. Moral. tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 4. *cap.* 11. *et par.* 2. *c.* 27. *num.* 678. ubi priorem doctrinam revocat propter decretum Alexandr. VII. nam in fine formulae Innocentianae jubetur observari decretum Alex. VII. incip. *SS. Dominus noster* 6. *Feb.* 1657. quo statuitur, ut medalliae Indulgentiis donatae, *non transeant personam illorum, quibus, a Sanctitate sua concessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur*. Et quamvis expresse nec in Decreto Alexandri, nec in formula Innocentii sermo sit de intentionibus, seu potestate applicandi Indulgentias certis numismatibus, tamen sapientissimi quique viri conformiter stylo Curiae romanae, decretum istud intelligunt de memoratis intentionibus, quae ex fine suo censentur comprehendi sub medalliis, ut omnino idem sit de illis sentiendum. Ac primo quidem qui pro se a Papa accepit crucem, vel medallium cum Indulgentiis, nequit hoc medallium cum istis Indulgentiis transferre in alterum. *Secundo* qui plura medallia accepit inter alios distribuenda, his tantum, quibus distribuit, prosunt, et eorum personam non egrediuntur. *Tertio* qui accepit intentiones mille, vi quarum affigere possit Indulgentias mille numismatis, per se Indulgentias istas applicare debet, neque potestatem istam subdelegare poterit; quia potestas ista, sicut in medallis, personam dantis, et accipientis non egreditur; et cons. si non ipse, sed alius id faciat, tertius, qui numismata accipit, nullas indulgentias habet. Haec doctrina, utpote securior in praxi, tenenda est; et ideo cit. P. Gobat dicit se non voluisse accipere intentiones a Patribus romipetis, qui multa millia intentionum a Papa acceperunt. *Dices:* Accipi, v. g. a quodam amico Romae existente mille numismata cum Indulgentiis, mihi sufficit unum, quid cum ceteris faciam? si aliis dedero, nihil ago, quia adversatur Decretum Alex. et Innoc. ergo tot numismata frustra mihi mittuntur. Similiter accepi mille intentiones; ego pauper religiosus, mille cruces, aut medallia non habeo, ut eis Indulgentias affigam, quid cum residuis agam? R. 1. Si numismata petita sunt nomine meo, censentur mihi immediate a Papa data; et cons. tuto ea distribuere possum inter alios; quia haec potestas mihi data est a Papa: hi vero, quibus dedero, ulterius dare non possunt. At si amicus ille nomine suo numismata accepit, etsi mihi mille mittat, personam meam non agrediuntur, ut statuitur in *cit. Decret.* Hoc

tamen verum esse judico, quod, si ego, ut nudus minister, et exequtor; numismata ista accipiam; et nomine illius, qui immediate a Papa accepit, ea aliis distribuam, omnino cum numismate Indulgentiae transeant ad accipientem. Idem dicendum erit de intentionibus, si ego, ut purum instrumentum nomine alterius, qui a Papa accepit, Indulgentias medalliis applicavero: licet, ut dixi, multo securius sit, ut quis Romae nomine meo intentiones, vel medallia a Papa petat; quia tunc nullum est periculum deceptionis. Plura de his leges in P. Gobat. *l. c. part.* 2. *c.* 12. *et seqq.* in altera editione.

Datur hic formula Indulgentiarum, de qua supra, juxta novissimam concessionem Benedict. XIV. ex originali transcripta, asservato in secretaria Sac. Congregat. sacrarum Indulgentiarum.

FORMULA INDULGENTIARUM

Quas BENEDICTUS PP. XIV. concedit Coronis, Rosariis, Crucibus, parvisque Imaginibus, seu Numismatibus ex auro, aut argento, aliove metallo confectis, Medallis vulgo nuncupatis.

Quicumque saltem semel in hebdomada, Coronam Domini, vel Beatissimae Virginis, aut Rosarium, ejusve tertiam partem, aut Officium, vel Divinum, vel parvum Beatissimae Virginis, vel Defunctorum, aut Septem Psalmos Poenitentiales, vel Graduales, recitare, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam, vel audire, vel si est sacerdos, celebrare consuevit, si vere poenitens, et sacerdoti per Ordinarium approbato confessus, Eucharistiae Santissimum Sacramentum acceperit, in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum die Festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, et Corporis Christi, et die Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis Beatissimae Virginis; tum Festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Judae, Matthiae, atque omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum, atque schismatum extirpatione, Fidei catholicae propagatione, pace, et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, plenariam suorum peccatorum remissionem, et Indulgentiam consequetur.

Qui eadem aliis Festis Domini, aut Beatae Virginis, peregerit, in quolibet eorum percipiet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum. Qui vero quavis Dominica, vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum, et totidem quadragenarum: qui demum, alio anni die, Indulgentiam centum dierum.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsam-

que mortem (juxta instructionem Sanctissimi Dom. Nostri BENEDICTI XIV. in ejus Bulla diei 5. Aprilis 1747. incip. *Pia mater* expressam) aequo, ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, confessus, et sacra communione refectus, si potuerit, alioquin contritus, nomen Jesu ore, si pariter potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, et Indulgentiam consequatur.

Quicumque in celebranda missa, vel sumenda Eucharistia, aut officio divino, vel parvo Beatae Virginis recitando, priusquam incipiat, devotam aliquam praeparationem adhibuerit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice percipiet.

Qui detentos in carcere, aut aegrotos in Nosocomiis visitaverit; eos aliquo bono opere adjuvando, aut doctrinam christianam in Ecclesia, vel domi filios, aut propinquos, aut famulos docuerit, toties Indulgentiam 200. dierum consequetur.

Quicumque saltem semel in hebdomada, recitare consuevit Coronam, aut Rosarium, aut Officium Beatae Virginis vel Defunctorum, aut vesperas, unumque saltem ex nocturnis, et laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales, et Litanias, eorumque preces, quo die id fecerit, praeter Indulgentias a S. Pio concessas, Indulgentias centum dierum percipiet.

Qui ad pulsum campanae alicujus Ecclesiae, mane, aut meridie, aut vesperi, consuetas preces, Angelus Domini etc. dicet, vel, si eas ignoret, semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam; vel dato signo orandi pro Defunctis, Psalmum De profundis, aut, si hunc nesciat, Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam recitabit, eandem Indulgentiam adipiscetur.

Eandem pariter consequetur, qui feria sexta devote cogitaverit de Passione, ac morte Jesu Christi, terque Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam recitabit.

Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proposuerit; conscientiamque suam excusserit, ter Oratione Dominica, et Angelica Salutatione devote repetita, vel in honorem Sanctissimae Trinitatis easdem preces ter, aut ob reverentiam quinque vulnerum Jesu Christi quinquies devote recitaverit, Indulgentiam dierum centum lucrabitur.

Qui pro Christi fidelibus aegrotis in exitu vitae constitutis pie Deum orabit, vel saltem pro ipsis Orationem dominicam, et Salutationem Angelicam semel dicet, ea die qninquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

Habentes in cubiculo, vel quovis alio loco decenti domus, ubi erunt, Crucifixi signum, Crucem, aliamve sacram Imaginem a Sanctitate Sua benedictam, si coram illa praescriptis precibus recitatis, cetera, quae supradicta sunt, adimpleverint, easdem Indulgentias, quisque pro ratione precum, operumque impletorum adipiscentur.

Quilibet omnes supradictas Indulgen-

tias memoratis diebus; aut ipse adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare potest.

Imagines autem sint, ut vult Sanctitas Sua, non chartaceae, sed ex auro confectae, aut ex argento, aliove metallo, quae Sanctos repraesentent, vel canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

In distribuendis hujusmodi Coronis, Crucibus etc. eorumque usu Sanctissimus servari jubet decretum felic. rec. Alexandri VII. editum sub die 6. Februarii 1657. nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria, Numismata, quae vulgo medalliae nuncupantur, et sacrae Imagines cum praefatis Indulgentiis benedictae non transeant personam illorum, quibus a Sanctitate Sua concessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur: neque commodari, aut precario dari possunt; alioquin careant Indulgentiis jam concessis: et aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera nullo modo possit, quacumque concessione, aut privilegio in contrarium non obstante.

Item Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. per suum decretum diei 19. Augusti 1752. expresse declarat missas ad altare, in quo aliqua ex praefatis, sive Crucifixi, sive numismatum Imago quomodocumque collocata fuerit, lectas, sive a Sacerdote hujusmodi Imaginem secum habente celebratas, nullo prorsus vigore dictae Imaginis gaudere privilegio.

Insuper vetat, ne quisquam, quem infirmis morti proximi assistere contigerit, benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis virtute ejusmodi Imaginis illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta; cum ad hujusmodi effectum ab eadem Sanctitate Sua per supra enunciatam Constitutionem die 5. April. 1747. incip. *Pia mater* satis provisum fuit.

Prohibet Sanctitas Sua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem.

Antonius Maria Erba Protonotarius Apostolicus, et Secretarius.

12. Q. VII. *An Regulares lucrentur in suis Ecclesiis Indulgentias Stationum urbis?* R. Affirmative; sed tantum pro illis diebus Stationum, qui in Missali Romano sunt descripti: ita declarat Innoc. XI. in Decreto Sac. Congreg. incip. *Delatae 1678. die 7. Martii;* ex cujus §. *fin.* emandabis Scriptores has Indulgentias ampliantes ad singulos dies. Quo non obstante, Regulares excitandi sunt, ut in suis Ecclesiis quotidie pro lucrandis Indulgentiis consuetas preces persolvant 7. vel 5. *Pater, et Ave,* vel 6. *cum totidem Gloria Patri etc.* quia singulis diebus per pia ista opera ex immenso Indulgentiarum thesauro aliquid lucrari possunt; praesertim ex Indulgentiis Regularium, quae fere omnibus aliis Regularibus communicantur. Indulgentias plenarias Stationum Urbis lucrantur etiam seculares in Ecclesiis Regularium, sed cum conditione confessionis, et communionis, ut ex Mari magno ab Innoc. VIII. servis B. M. V. concesso; et contrarium, quod docuit Gobat, revocavit. Hoc privilegium notent confessarii, et peccatores, praesertim gra-

viores, hortentur ad lucrandum has Indulgentias diebus Stationum Urbis in Missali descriptis. Praeterea Regulares habent Indulgentiam plenariam in die assumpti habitus, professionis, dum primam missam celebrant, vel confessi, et communione refecti ei intersunt, dum vacant exercitiis spiritualibus per decem dies; et plures alias ex Const. 21. Pauli V. *Romanus Pontifex* 1606. *die* 23. *Martii*: quae Indulgentiae substitutae sunt in locum abrogatarum. Innoc. XII. Const. incip. *Ad ea, per quae*, concedit Clericis Scholarum Piar. omnibusque utriusque sexus, alicui sodalitati, aut confraternitati in eorum Ecclesiis erectae, vel imposterum erigendae adscriptis, qui per quadrantem horae orationi mentali vacaverint, pro quilibet vice 100. dierum: qui per duos quadrantes continuos septem annorum Indulgentias: iis vero, qui, devotioni hujusmodi vacaverint per duos, vel unum quadrantem horae singulis diebus, facta confessione, et communione, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum remissionem, quam per modum suffragii animabus purgatorii applicari possint.

13. Q. VIII. *Quid speciale habeant Indulgentiae Portiunculae?* R. 1. Indulgentia Portiunculae ad petitionem S. Francisci Seraphici concessa est immediate, et directe a Christo pro Ecclesia B. V. Angelorum propo Assisium 2. *Augusti*, quo die celebratur dedicatio ejusdem Ecclosiae; ut proinde non sint audiendi dicentes, S. Franciscum a Christo Domino jussum fuisse, eam petere a Rom. Pontefice. 2. Ista Indulgentia extenditur favore, et privilegio Rom. Pontificum ad omnes Ecclesias, et oratoria Ordinis S. Francisci utriusque sexus, virorum, et Monialium, et Tertiariorum. 3. Ad lucrandum has Indulgontias in Ecclesia Assisinate B. V. Angelorum, sufficit confessio, et consuete preces: in aliis vero Ecclesiis requiritur insuper communio, ut patet ex Bullis pontificiis. 4. Indulgentia ista applicari potest non solum defunctis, sed etiam aliis vivis, quorum nomine aliquis peragit illa pia opera, quae ad Indulgentiam Portiunculae requiruntur. 5. Dum tempore Jubilaei aliae Indulgentiao suspenduntur, Indulgentiae Portinculae in Ecclesia Angelorum non censentur suspendi: quo privilegio donari solent etiam aliae Ecclesiae Minorum. 6. Juxta Rodriq. Religiosi S. Dominici, et cons. alii in privilegiis communicantes lucrari possunt in suis Ecclesiis Indulgentiam Portiunculae: sed hoc minus certum est; quia videtur hoc privilegium non usu abolitum, vel non firmiter introductum fuisse: securius proinde erit visitaro Ecclesiam Minorum. 7. Volunt nonnulli in festo Portiunculae confessariis, saltem de Ordine S. Francisci, competere facultatem absolvendi a reservatis, quod tamen negat Redriq. item dispensandi, et commutandi vota, quod admitto ob alia privilegia Regularium, exceptis tamen Papae reservatis: item faciendi compositionem super ablatis incertis, aut illicito modo extortis. 8. Volunt pariter aliqui, quod fideles, quoties in die Portiunculae devote visitant Ecclesiam An-

gelorum, toties lucrari possint Indulgentias, atque ita aliam, et aliam animam liberare a purgatorio. Sed hoc rejicit Quintanadvennas, cum id nullo privilegio concessum reperiatur, praesertim in aliis Ecclesiis Minorum: ita haec, et plura alia erudite scribit P. Mohr strictioris Observantiae S. Francisci in Opuscul. intitulato: ***Purtiuncula theologica.*** Quamvis autem nihil ex his reprobem; conjicio tamen ex variis Scriptoribus aliqua reduci in dubium, ut: ***potestatem absolvendi a reservatis, faciendi compositiones super ablatis, lucrandi Indulgentiam toties, qaoties quis per diem 2. Augusti visitat Ecclesiam Minorum,*** sicut alicubi faciunt fideles per unam portam egrediendo, et per alteram rursum intrando Ecclesiam: ***lucrandi Indulgentias per aliam personam interpositam***: cum super his, utpote singularibus, et exorbitantibus speciale privilegium Sedis apostolicae exhiberi deberet. Hoc dubio non obstante, fideles excitandi sunt, ut saepius Ecclesiam Minorum intrent, et consuetas preces persolvant; quia fieri potest, ut, si una, vel altera vice Indulgentiam non obtineant, saltem frequentatis vicibus ad eam obtinendam, melius se disponant; cum ex revelationibus fide dignis constet difficillimum esse plenarias Indulgentias lucrari.

Circa III. dubium, rejectis Scriptorum opinionibus, hodie nihil certi statui potest, donec a S. Sede declaratum fuerit; etenim propositis Congregation. Indulgentiarum dubiis, At eandem Indulgentiam (*Portiunculae*) quis consequi valeat, quoties aliquam ex dictis Ecclesiis (***Ordinis S. Francisci***) dicta die (2. ***Augusti***) visitet, aut circumeat, *et* an praefata Indulgentia toties acquiri possit, quod diversae Ordinis Ecclesiae eadem die visitentur **20.** ***Sept.*** **1745.** ***rescripsit*** - Audiantur Procuratores generales Ord. S. Franc. tam Conventualium, quam de Observantia, et exhibeant documenta concessionum: ***nec ulla usque ad hunc diem documentorum exhibitio facta fuit.***

Plura de Indulgentia vide in Bellarmino, et prae ceteris in P. Gobat, non solum scientia, sed et humilitate insigni, qui *Tract.* 4. ***de thesauro Indulgent.*** multa emendavit in posteriori editione; quae, cum sint facti, etiam prudentissimum, et sapientissimum fallere poterant juxta Neratium ***l. 2. ff. de J. et F. Ignor.***

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

Agitur de hac materia in Sexto, Clem. Extravag. Ioann. XXII. Extravag. com *h. t.* In Decreto 9. *q.* 1. *et* 11. *q.* 3. et 24. *q.* 1. 2. 3. In Trident. *sess.* 14. *c.* 1. *et sess.* **22.** *c.* 11. *de reform. et sess.* 24. *cap.* **9.** *de reform. matr. et sess.* 25. *c.* 12. *et* 18. *de Regg. et c.* 19. *de reform.*

1. Haec Rubrica, utpote nigro strictior, amplianda est ad sententiam suspensionis, et interdicti, sicut *in* 6. ***h. tit.*** ita ut sub ea contineantur omnes

Digitized by Google

poenae medicinales ab Ecclesia praescriptae. Agetur hic 1. de censuris in genere 2. de singulis in specie 3. cessatione a Divinis.

§. I.

De Censuris in genere.

2. *Nota* 1. Censuram a *censendo*, seu corrigendo dictam, in jure Can. definiri, quod sit poena medicinalis homini baptizato delinquenti, et contumaci inflicta, privans illum usu quorundam bonorum spiritualium: ita in re com. ***Dicitur* 1. *medicinalis, quia censura*** per se, et primario ordinatur ad correctionem, et sanationem delinquentis, et tantum secundario ad punitionem. ***Dicitur* 2. *contumaci***, quia censura ex natura sua fertur ad frangendam contumaciam, seu inobedientiam illius, qui scienter contra legem ecclesiasticam peccat: et ideo ab ignorantibus non incurritur *cap. fin. de constit. in* 6. ***Dicitur* 3. *quorundam bonorum spiritualium***, quia censura primario privat bonis spiritualibus; non quidem internis, quae potestati Ecclesiae non subjiciuntur, uti gratia, fides etc. sed externis, puta actionibus, et caeremoniis spiritualibus, ut sacramentis, sacrificio etc. et secundario bonis quibusdam temporalibus, ut convictu, et communicatione cum aliis, ut infra dicetur de effectu cujusque censurae.

3. *Nota* 2. Censuram dividi: 1. In *Latam a jure*, quae a sac. Canonibus exprimitur, *et latam ab homine*, quae ex arbitrio judicis ecclesiastici infligitur. 2. In censuram *latae sententiae* quae ipso facto incurritur a delinquente absque ullo ministerio judicis; et *sententiae ferendae*, quae, licet a jure statuta sit, non tamen prius incurritur, nisi per sententiam condemnatoriam a judice prolatam. Agnoscitur censura latae sententiae ex verbis indicativi modi: *excommunicamus, suspendimus, qui secus egerit, noverit se excommunicatum, vel ipso jure, et facto excommunicationem incurrat etc. Ferendae* vero *sententiae* ex verbis futuri temporis, et modi imperativi, quae plerumque significant aliquid ministerio judicis infligendum, v. gr. excommunicabitur, suspendatur, prohibemus sub interdicto, vel sub poena excommunicationis etc. 3. In *validam*, quae nullo substantiali defectu laborat; et *invalidam*, quae aliquo substantiali defectu laborat: item in *justam, et injustam*. 4. Tres species sunt censurae: *Excommunicatio, suspensio, et interdictum c.* 20. *de V. S.* Unde inter censuras non ponuntur: *cessatio a divinis, irregularitas, depositio, et degradatio*. Quaeretur hic de causis censurarum, earumque absolutione.

4. Q. I. *An, et quis possit censuras ferre?* R. 1. Ecclesia, seu praelati Ecclesiae possunt censuras ferre: ita Cathol. ex generali potestate a Christo data *Matth.* 16. *et* 18. qua potestate usu sunt Apostoli, sicut S. Petrus excommunicando Simonem Magum *Actor.* 8. *v.* 12. S. Paulus excommunicando incestuosum Corinthium 1. *Cor.* 5. Hymenaeum, et Alexandrum

Timoth. 12. *v.* 20. probatque usus continuus Ecclesiae, et Conciliorum, ubi anathematismi, et aliae censurae exprimuntur. *Ratio* etiam est; quia sicut in omni republica, ita maxime in Ecclesia necessaria est potestas separandi membra noxia a corpore, vel iis subtrahendi certa officia, et functiones; ergo illam Christus dedit Ecclesiae, tunc scilicet, dum Apostolis, eorumque in clero Successoribus dedit potestatem clavium ligandi, et solvendi. Hinc ex communi DD. potestas censurandi exigit in subjecto, ut sit mas, baptizatus, ad statum clericalem elevatus, et viator, uti erant Apostoli.

5. R. 2. Potestas censurandi jure, et officio ordinario competit; 1. Papae jure divino pro tota Ecclesia. 2. Episcopis, et Archiepiscopis, eorumque Vicariis generalibus, et capitulo, sede vacante, pro suis diaecesibus. 3. Cardinalibus in Ecclesiis suorum titulorum, Legatis Sedis apostolicae in provincia suae legationis. 4. Praelatis tam secularibus, quam regularibus jurisdictionem in foro externo contentiosam habentibus: ita haec omnia patent ex dictis in *tit. de Off. Ordin.* 5. Parochus non habet potestatem ferendi censuras: nam haec potestas exigit jurisdictionem contentiosam in foro externo *c.* 1. *h. t. in* 6. qua parochus caret: et ideo excommunicatio contra fures ab Episcopo ferenda est, Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* nisi parochus ex privilegio apostolico, vel legitima consuetudine, aut praescriptione, quae privilegio aequivalet, jus censurandi acquisivisset: hoc sensu explicari solet *Can.* 11. *nemo* 2. *q.* 5. *et c.* 2. 3. *de off. ordinar. in* 6. Ex delegatione quilibet clericus, etiam primae tonsurae, potestatem censurandi acquirere potest; cum ista potestas sit delegabilis. Item ex praescriptione legitima, dummodo praescribens sit clericus, atque ita capax possidendi jus spirituale: secus praescriptio non procedit ex *reg.* 3. *in* 6. Superest dubium de laico, et foemina.

6. R. 3. Laicus privilegio apostolico habilitari potest ad ferendam censuram: ita com. contra paucos: nam laicus privilegio apostolico habilitari potest ad jura, et actus spirituales a potestate Ordinis non pendentes; ut ad praesentandum, eligendumve ad beneficia; ad judicandum causas spirituales, clericosque examinandos juxta Trid. *Sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* ergo etiam ad ferendam censuram, cum et ista non dependeat ab Ordine: tum quia Papa defectum tonsurae clericalis supplere potest; cum tonsura sit juris humani; ergo nihil obstat, quo minus laico committere possit potestatem ferendi censuram. *Dices:* Potestas clavium data est a Christo solis Apostolis, et ideo *Can.* 22. *in nona* 16. *q.* 7. ad divinos libros reducitur impotentia creandi laicos in officiis ecclesiasticis; ergo laicus jure divino incapax est ferendi censuram. R. Potestatem Ordinis competere clericis privative; at potestatem jurisdictionis absolute etiam laicis communicari posse, cum jus divin. clare in contrarium non producatur. *cit. Can.* 22. sermo est de aeconomo, qui secundum divinos, seu Canonicos libros

debet esse clericus, ex dispensatione etiam laicus, *arg. seq. Can. non placuit, ibid.* sit ceteri Canones solvuntur.

7. R. 4. Foemina privilegio apostolico habilitari nequit ad ferendam censuram: ita S. D. in 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *qc.* 3. *ad* 4. Avila, Salmant. et alii contra Sayr. Laym. Suar. Schmalz. Prob. ex 1. *Cor.* 14. *v.* 34. ubi Apostolus videtur indicare jus divinum, quo foemina jubetur in Ecclesia tacere, seu nullam potestatem ecclesiasticam exercere: tum quia Christus Dominus in Discipulos, et Apostolos elegit mares, non vero foeminas, illisque dedit potestatem clavium, exclusis foeminis, ut docet Innoc. III. *cap.* 10. *de poenitent. et remiss. Quia,* inquiens, *licet Beatissima Virgo Maria dignior, et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis claves regni caelorum commisit:* ergo foeminae jure divino exclusae sunt a potestate clavium, sub qua etiam continetur potestas ferendi censuras. *Dices:* Foemina est capax jurisdictionis spiritualis, ut patet ex *cap.* 12. *de M. et O.* ubi Abbatissa clericos instituit, eosque suspendit ergo: tum quia Abbatissa in suas religiosas habet potestatem spiritualem. R. Neg. ant. *cap.* 12. *cit.* sermo est de suspensione late tali, seu simplici prohibitione, ne clerici celebrent. Est autem potestas Abbatissae privata, puta materna, aut dominativa, non vero jurisdictionalis, S. D. *loc. cit.*

8. Q. II. *In quem censura ferri possit?* R. 1. In solum hominem baptizatum, rationis, et doli capacem, viatorem, et subditum, sive clericum, sive laicum; ita com. nam omnes hae conditiones requiruntur in eo, qui censura, vel alio jurisdictionis ecclesiasticae actu, aut vinculo ligandus est. Unde subjectum censurae non sunt. 1. *Infideles* non baptizati ex 1. *Cor.* 5. *v.* 12. *quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Idem dic de cathecumenis, Trid. *Sess.* 14. *cap.* 2. *de. Sacram. Poenit.* 2. *Infantes,* et *amentes;* quia praecepti, et doli non sunt capaces. At impuberes usu rationis praediti, cum nullibi excipiantur, sicut capaces sunt doli, ita et censurae *c.* 1. *et fin. h. t.* 3. *Homines mortui Can.* 1. *et seqq.* 24. *q.* 2. quia potestati humanae non subjacent. Haeretici tamen post mortem solent declarari excommunicati, ut catholici eis non communicent in sepultura, *Can. fin. ibid.* et catholici cum signis poenitentiae decedentes solent absolvi a censura; sed haec absolutio directe terminatur ad vivos, ut hi communicare possint mortuis in sepultura, *cap.* 28. *h. tit.* 4. *Non subditi;* quia potestas coercitiva non exercetur, nisi in subditum. Hinc Papa a nullo in terris censura ligari potest, nisi propter haeresim a Concilio deponeretur *Can.* 6. *d.* 40. et subditi suffraganei non possunt censurari ab Archiepiscopo, nisi actu visitet, vel causa per appellationem ad eum devolvatur *c.* 7. *h. t. in* 6. neque subditi aliorum Episcoporum ab Episcopo non suo censurari valent, nisi per accidens ratione delicti forum in alieno territorio sortirentur *cap. fin. de foro compet.* Imo si Episcopus in alieno

territorio commorans delinqueret, et gravitas delicti id exposceret, posset excommunicari ab alieno praelato territorii. Si censura lata est generaliter pro territorio, subditus extra territorium delinquens, eam non incurrit, *cap. fin. de Constit. in* 6. nisi moraliter esset praesens suo territorio, sicut parochus absens censetur per suam absentiam delinquere in sua parochia. At si censura lata sit personaliter, sequitur naturam praecepti, et extra territorium incurritur.

9. R. 2. Episcopi ex speciali privilegio juris *cap. 4. qui periculosum, h. t. in* 6. non ligantur censura suspensionis, et interdicti, nisi eorum expressa mentio fiat, ne scil. in exercitio sui officii impediantur. Quod privilegium extendi ad censuram excommunicationis multi concedunt, multi negant.

10. R. 3. Integra communitas, v. g. civitas, aut collegium interdici, et suspendi quoad actus capitulares potest, non tamen excommunicari, *cap. 5. h. t. in* 6. nisi forsan constaret omnes in communitate deliquisse: nam excommunicatio est gravissima censura, plurimisque bonis spiritualibus privat: ergo innocentes ea ligari non debent, sed tantum auctores sceleris.

11. R. 4. Idem homo ex diversis causis ligari potest pluribus censuris, non tantum diversae, sed etiam ejusdem rationis, v. g. pluribus suspensionibus, excommunicationibus etc. ita deducitur ex *Clem. 2. et 3. h. t. et Can. 27. et 42. h. t.* ubi absolutus ab una excommunicatione, non censetur absolutus ab altera, si causam jus non expressit. *Ratio* est, quia censura est quoddam vinculum morale, quod secundum diversas causas multiplicari potest per respectum ad illas. Imo ob eandem causam, si adsit contumacia respectu diversorum judicum, potest idem censura ejusdem rationis ligari, una a jure, altera ab hoc tertia ab illo judice.

12. Q. III. *Ob quam causam censura ferri possit?* R. 1. Regulariter loquendo ob culpam mortalem, opere externo proditam, et jure ecclesiastico prohibitam: ita com. ex *Can. 41. et seqq. 11. q. 3.* Trid. *sess. 25. c. 3. de reform.* nam censura, quatenus est poena gravis, lata a potestate humana, et ordinata ad frangendam contumaciam rei, tria haec requirit, culpam gravem, externam, et jure ecclesiastico vetitam; ergo. Sic explicatur *Clem. 1. §. verum de Heretic.* et similia jura: nam loquuntur de amore, odio, omissione, opinione, et judicio, quatenus prorumpunt in actum exteriorem. Dixi *regulariter*: nam si censura feratur modo imperfecto, ut excommunicatio minor; vel minor, seu imperfecta suspensio, aut interdictum, sufficit ad illius incursionem culpa venialis; sed hoc vix est in praxi.

13. R. 2. Ob delictum mere praeteritum, cujus contumacia cessat, censura ferri non potest: ita com. ex *c. 23. de V. S. c. 40. 48. h. t.* et signanter ex *cap. 5. eod. in* 6. ibi: *sed nec in specie, nec in genere pro culpis praeteritis etc.* nam censura, cum sit poena medicinalis, fertur per se ad frangendam contumaciam, et inobedientiam delinquentis: sed haec contuma-

cia non est in delicto mere praeterito: nam qui deliquit, et nunc paratus est satisfactionem offerre, non potest dici contumax; ergo. Argumenta in contrarium non procedunt de peccato mero praeterito, sed physice quidem praeterito, moraliter autem praesente; quia in se, vel suis effectibus tractum successivum habet; adeoque emendatione, et satisfactione indiget; ut si quis clericum occidit, et damna consequentia reparare non vult. Sic explicatur *Can.* 27. *inter* 23. *q.* 4. *Can.* 2. *quidem* 5. *q.* 1. *Can. fin.* 2. *q.* 1. *et Can.* 50. *Guillisarius* 30. *q.* 4. Et varia exempla Rom. Pontificum, qui sceleratos excommunicarunt ob delicta praeterita, quia haec ante oblatam satisfactionem moraliter erant praesentia, et continuata.

14. R. 3. Ob delictum alienum non incurritur censura proprie dicta, praesertim excommunicatio: nam innocens non est contumax: ergo nec censurandus ob aliena delicta; secus censura coram Deo non valet, licet in foro exteriori sit observanda, et relaxanda: quo sensu explicantur *Can.* 4. *judicet.* 5. *q.* 7. *et Can.* 8. 30. *et seq.* 11. *q.* 3. *et c.* 3. *de solution.* At per accidens innocentes afficiuntur interdicto, aut suspensione generali, quatenus sunt pars nocentium.

15. R. 4. Si censura lata est in *facientes*, non extenditur ad *mandantes*, *consulentes*, *ratihabentes*, nisi et isti exprimantur: nam in hac materia odiosa, et poenali nomine *facientium* non veniunt mandantes, consulentes, ratificantes, cum proprie non faciant delictum *arg. l.* 17. §. 2. *ff. de injur.* nisi alioquin lex frustratoria redderetur 17. *h. t. in* 6. Quodsi lex lata est in mandantes, et consulentes, hi, sufficienter quoad se revocato mandato, et consilio, non videntur incurrere censuram, etsi mandatarius, ad quem revocatio non pervenit, mandatum ipso opere exequutus sit: ita favorabilior sententia Salmantic. Suar. Laym. et aliorum contra Bonac. Tolet. Molin, etc. nam in tali casu, dum effectus ponitur, mandans, et consulens non est contumax, et rebellis; ergo nec ligatur censura, sicut is, qui intendit, v. g. clericum verberare, et ante executionem operis intentionem suam revocavit: tum quia executio operis non est mandanti voluntaria, hoc ipso quod mandatum revocaverit; ergo nec est peccaminosa respectu mandantis, sine peccato autem censura non incurritur, *Dices:* Censura est compossibilis cum gratia, et poenitentia, cum existens in gratia possit esse excommunicatus; ergo nihil est, quod in hoc casu impediat censuram. R. Censura in *facto esse*, seu dum perseverat, est omnino compossibilis cum gratia, at censura in *fieri*, seu dum actu incurritur, non est compossibilis, cum neque actualis contumacia, ob quam censura incurritur, cum gratia componi valeat.

16. Q. IV. *Qua forma, et solemnitate proferenda sit censura?* Solemnitas ista potissimum desumenda est ex Conc. Lugdun. sub Innoc. IV. et Greg. X. et ex Constitutionibus Bonif. VIII. prout legere est *in* 6. *h. t.* His igitur juribus conformiter.

R. 1. Ad censuram ex parte judicis requiritur: 1. Potestas ordinaria, vel delegata, nullo obice ad sui exercitium. 2. *Territorium proprium Can.* 7. *Episcopum* 9. *q.* 1. excepto casu, quo Episcopus injuste pulsus est a Sede sua: hic enim in aliena vicina dioecesi, petita, licet non obtenta, licentia Ordinarii, censuras ferre potest in suos subitos rebelles, et contumaces, servata forma. *Clement. un. de foro comp.* 3. Judex zelo justitiae, et charitatis duci debet ad ferendam censuram, non vero ira, odio, vel alia passione; neque in propria causa *Can.* 27. *inter* 23. *q.* 4. nisi ad justam sui defensionem; quia vim vi repellere omnia jura concedunt. 4. Ex parte rei requiritur, ut sit subditus censurantis, et delinquat cum contumacia, ut dixi.

17. R. 2. Si censura fertur *judicialiter* per modum sententiae, requiritur ad illam: 1. *Monitio triplex:* seu una peremptoria, non necessario in scriptis, sed coram testibus idoneis, per quos probari possit, facta, assignato competenti termino, intra quem reus deliberet, an cessare velit a contumacia, *cap.* 48. *h. t. et c.* 5. 9. *eod. in* 6. nam ante monitionem non constat, an reus sit contumax, et inobediens. Haec solemnitas monitionis est de gravi praecepto sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae per mensem, *c.* 48 *h. t.* non tamen de substantia censurae, quae sine monitione valida erit, sed injusta *cit. c.* 5. ibi: *si contra praesumpserint, injustas noverint esse illas sententias.* Excipe casum, quo quis ob communicationem cum excommunicato, suspenso, aut interdicto, majori excommunicatione feritur: tunc enim sententia excommunicationis sine praevia monitione lata non tenet, seu invalida est, *c.* 9. *et* 13. *h. t. in* 6. 2. delicto notorio notorietate *facti*, et simul *contumaciae*, dum palam constat reum deliquisse, et simul pertinaciter asserere, quod nolit parere mandatis Ecclesiae, probabiliter adhuc requiritur monitio, ut judicialiter constet reum esse contumacem: nam casus iste in citt. juribus non excipitur, et reus a judice commonitus mentem mutare potest, et timoro censurae imminentis contumaciam deponere, *Nec obstat Can.* 15. *manifesta* 2. *q.* 1. *c.* 9. *de accusat.* et similia jura, quae in notoriis ordinem juris non requirunt: nam id verum est in ordine ad poenas vindicativas, non vero medicinales, seu censuras, quae infligi nequeunt, nisi propter contumaciam actualem. Fateor tamen oppositam sententiam esse satis probabilem; dummodo non solum delictum, sed etiam contumacia sit notoria. 3. His ita circa monitionem praemissis, si lapso termino, reus sit contumax, judex sententiam censurae profert in scriptis, expressa causa excommunicationis, vel alterius censurae, et exemplus hujus sententiae tradit reo intra mensem, si fuerit requisitus: super qua requisitione faciendum est instrumentum publicum: vel aliae litterae authenticae, *c.* 1. *h. t. in* 6. Secus judex haec non observans, per mensem suspensus est ab ingressu Ecclesiae, et divinis officiis, qua suspensione

Digitized by Google

violata, fit irregularis: censura vero sine difficultate relaxanda est a superiore, *ibid.* ex quo patet, censuram istam, aliter prolatam, quam praescribatur *cit. c.* 1. esse validam, cum relaxetur. Patet etiam Episcopum, cum in *c.* 48. *h. t. et c.* 1. *eod. in* 6. non exprimatur, non incurrere hanc suspensionem, et interdictum, ex privilegio *c.* 4. *h. t. in* 6.

18. R. 3. Si censura fertur *legaliter* per modum juris, seu statuti, ut ipso jure, et facto incurratur, nulla requiritur praevia monitio a judice facienda: ita *cap.* 26. *de appell.* ubi casus iste excipitur a praecepto monitionis ibi: *nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis poenam inducat:* nam ipsa lex perpetuo monet; ergo non opus est monitione judicis. Nec obstat *c.* 5. *h. t. in* 6. ibi: *caveant etiam*, nam, ut glossa interpretatur, textus isto procedit de excommunicatione, ut fertur *judicialiter* per modum sententiae pro delictis praeteritis, aut futuris, non vero ut fertur *legaliter*, et per modum juris, seu statuti pro delictis futuris, nisi lex monitionem praescribat, sicut *Clem. fin. in fin. de statu Monach. et Clem.* 1. *de decimis.* 2. Censura ipso facto incursa absque praevia monitione, non potest a judice denunciari licite: nam etiam denunciatio ista tendit ad frangendam contumaciam rei: sine monitione vero non censetur quis contumax; imo post incursam censuram jam forsan est emendatus. Si tamen notoria esset contumacia, ex probabili sententia supra relata, poterit judex censuram denunciare sine praevia monitione, *arg. c.* 26. *pr. de appell.*

19. R. 4. Si censura fertur non proprio modo censurae, sed modo poenae vindicativae, nulla requiritur praevia admonitio: nam ad vindictam, et punitionem sufficit delictum praecessisse: sola autem suspensio, et interdictum particulare ferri potest in vim poenae vindicativae, *cap.* 1. §. *v. si quis h. tit. in* 6. *et c.* 48. *x. eodem cap.* 7. §. *fin. de elect.* etc. Excommunicatio autem, uti et interdictum generale, cum privent pluribus bonis spiritualibus, nunquam solent ferri, ut poenae vindicativae, sed semper ut poenae medicinales; ita com. neque exemplum aliquod in contrarium allegari potest.

20. Q. V. *Quae causae excusent ab incursione censurae?* R. Seqq. 1. Ignorantia, non tantum *facti*, sed etiam *juris;* si quis etiam crasse ignoret delicto appositam esse censuram, modo non sit ignorantia affectata, dum quis data opera non vult scire, sicut *c.* 1. *de postulat.* nam stante ignorantia, non adest contumacia, et contemptus legis ecclesiasticae: idem dic in dubio facti, aut juris, an censura incurratur. 2. Omnis causa, v. g. urgens necessitas, quae excusat a peccato mortali, etiam excusat a censura. Unde si auditio missae in Paschate praeciperetur sub poena excommunicationis, aeger non incurreret illam. 3. Imperfectio, seu attentatio actus sine consummatione; quia verba in materia poenali accipienda sunt cum effectu secuto; nisi et ipsa attentatio censurae subderetur. 4. Re-

Digitized by Google

missione, vel prorogatione illius, in cujus favorem censura lata est, ut si creditor debitum remittat, vel terminum solvendi proroget: si vero in prorogato termino non solvatur, locus erit excommunicationi, quia tempus a judice determinatum, non est finiendae censurae, sed incurrendae, vel tunc, vel in termino prorogato, si non solvatur. 5. Innocentia notoria, contra quam judex censurando nulliter agit, *c.* 2. 7. *h. t. in* 6. Si quis vero innocens est in foro interno, et probatur nocens in foro externo, non ligatur censura in conscientia; cum sententia lata sit ex falsa praesumptione; at in foro externo tenetur se gerere pro censurato; quia in hoc foro praesumptio justitiae stat pro judice. Si tamen executio sententiae peccatum contineat, non est ei parendum; ut si cogeretur quis uxori putativae debitum reddere *cap.* 12. *h. t.* 6. Metus gravis injustus, quo quis compellitur ad actum malum faciendum; nam licet metus gravis non excuset a transgressione juris naturali, et divini, plerumque tamen excusat a poenis Canonicis, uti et praeceptis. Unde si quis adigeretur clericum occidere, occidendo peccaret quidem mortaliter; excommunicationem tamen, et irregularitatem non incurreret, Salmant. Suar. etc. *Excipe* nisi quis in contemptum clavium Ecclesiae, seu praecepti ecclesiastici, cogeretur aliquid facere sub censura prohibitum; tunc enim metus non excusat a censura; quia Ecclesia vult tali casu suum praeceptum observari: hoc sensu explicatur difficilis decisio *cap.* 5. *de his, quae vi,* ubi excommunicantur, qui metu adacti communicant excommunicatis, puta illos sepeliendo tempore interdicti in contemptum pontificiae potestatis: vide Gonz. *cit. c.* 5.

2. Q. VI. ***Quomodo, et a quo censura tollatur?*** R. 1. Non tollitur, nisi absolutione, *c.* 40. *h. t.* nam ligatus solvi debet ab habente potestatem solvendi. Unde censura non cessat morte judicis eam infligentis, nec sola emendatione, aut satisfactione: et quamvis morte censurati ex parte ejus tollatur, quia mors solvit omnia; tamen ex parte aliorum fidelium perseverat, ne ei defuncto communicent, donec per absolutionem tollatur, *c.* 28. *h. t.* Fit autem absolutio ista: 1. *Pure*, seu absolute independenter ab ulla conditione. 2. *Conditionate*, quod rarius est, dum reus absolvitur sub conditione, ut ea deficiente, absolutio deficiat, v. g. absolvo te, si intra mensem restitueris. 3. *Ad cautelam*, dum quis ad praecavendum damnum, seu ad certum effectum absolvitur a censura ignota, vel dubia, si re ipsa subesset. Tales absolutiones ad cautelam praemitti solent absolutioni sacramentali, receptioni Ordinum, beneficiorum, privilegiorum, *c.* 51. *et* 52. *h. t.* ne scil. effectus isti nulliter ponantur, si subjectum esset excommunicatione innodatum. 4. *Ad reincidentiam*, dum quis absolvitur ad certum effectum, v. g. ut possit stare in judicio, et deinde rursum cadit in eandem censuram. Hi omnes modi adhiberi possunt in foro interno, et externo: si tamen absolutio in foro tantum interno

facta sit, reus tenetur in foro externo gerere se pro censurato, dummodo censura sit nota in eodem foro. *Dices:* lapsu temporis tollitur censura, v. g. *absolvo te, si intra* 8. *dies solvas:* item posita satisfactione, ut *suspendo te, donec ad Ecclesiam tuam redeas, donec solvas;* ergo censura tolli potest absque absolutione. R. In his, et similibus casibus idem actus superioris vim habet ligandi, et solvendi; cum sub una ratione ligel, et sub altera solvat.

22. R. 2. Censura specialiter per sententiam lata ab homine, seu judice non potest ab alio per absolutionem tolli, nisi ab eo, qui illam tulit, vel ejus successore, vel superiore cumulativam jurisdictionem pleno jure habente, vel a delegato in hac causa, vel a judice appellationis: ita com. *c.* 3. 11. §. *praeterea de Off. Ord. Clem.* 2. *de elect. c.* 10. *et* 12. *h. t. c.* 5. 7. *eod. in* 6. nam ex *reg.* 1. *in antiq.* regulariter ejusdem est solvere, cujus fuit ligare. Quod verum est etiam in casu, quo reus domicilium mutavit; quia per sententiam praeventa est jurisdictio *c.* 19. *de for. compet. Excipe* 1. si Judex, qui censuram tulit, sit impeditus, v. g. excommunicatione, aut suspensione, vel praecepto Papae, vel confirmatione sententiae ab eo facta: tunc enim ferens censuram non potest ab ea absolvere, sed recurri debet ad superiorem, ad quem in his casibus potestas devolvitur: sic etiam delegatus censuram a se latam post annum tollere nequit, *c.* 26. *de Off. Deleg. Excipe* 2. casum impotentiae, si reus adire non possit judicem, a quo censuratus fuit: tunc enim, si paratus sit satisfacere, absolvi potest ab alio, etiam inferiori, praestito prius juramento, quod, quam primum poterit, praesentabit se illi, ad quem de jure competit absolutio, *c.* 13. 27. 58. *h. t.*

23. R. 3. Censura a jure, vel statuto generaliter lata, si non sit reservata, relaxari potest a praelato proprio habente jurisdictionem in foro externo; imo etiam a proprio sacerdote, seu confessario. *Prima pars est com.* nam hoc ipso quod censura non reservetur, relinquitur sub jurisdictione proprii praelati. Secunda pars est S. D. part. 3. q. 2. ar. 2. Inn. Reiff. Salmant. et aliorum contra Gloss. *c.* 2. *de Poenitent.* Covar. Sayr. et Prob. ex *c.* 29. *nuper h. t.* ibi: *in secundo vero casu, quo censura non reservatur, a suo Episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere: tamen quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi,* quae ratio universalis est, licet casus propositus de excommunicatione minori fuerit particularis. *Ratio* est, quia ad absolutionem censurae non reservatae, vel non requiritur jurisdictio fori externi, vel siqua requiritur, ea per citatum textum generaliter datur proprio sacerdoti, ut pro utroque foro censuram relaxare possit.

24. R. 4. Censura juris reservata non potest tolli, nisi a conditore canonis, vel cui ipse potestatem dede-

Digitized by Google

rit: ita *c.* 29. *h. t.* nam inferior nequit relaxare jus Superioris. Ex speciali potestate ab omnibus censuris, et peccatis occultis, et ad forum contentiosum non deductis, etiam Sedi apostolicae reservatis absolvere possunt: 1. Episcopi ex privilegio Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de refor.* et Regulares in privilegiis communicantes, ut passim referunt Scriptores regg. allegantes certa privilegia Apostolica: exceptis casibus Bullae Coenae, a quibus per se nec Episcopi, nec Regulares absolvere possunt, nisi speciali concessione super his casibus muniti sint.

Ex decreto Cong. Conc. 26. *April.* 1687. *Episcopus potest absolvere ab excommunicatione incursa ob levem percussionem clerici etiam deductam ad forum contentiosum. Et licet in vim cap.* 6. *Trid. absolvere possit ab omnibus censuris occultis, etiam Papae reservatis, ut supra; ex decreto tamen ejusdem Cong. relato a Fagnan. cap.* Dilectus *de temp. ordin. n.* 30. *absolvere nequit ab illis, quae post Trid. Papae reservatae sunt. Et nota, quod si agatur de percussione enormi clerici etiam coram duobus tantum facta, ex altero d. Cong. Decr. relat. a Fagn. loc. cit. n.* 38. *adhuc dicitur publica; ideoque Episcopus ab illa absolvere non potest.*

Nota insuper, quod licet Episcopus in vim. cit. cap. 6. *Trident. absolvere possit a dictis casibus occultis etiam forensem, fungentem in sua dioec. officium praetoris, vel medici, non potest tamen ex declaratione Greg. XIII. relat. ab eod. Fagn. n.* 36. *eum dispensare super irregularitate.*

II. In casu impotentiae, et impedimenti a censura publica Papae reservata absolvere potest Ordinarius: vel si nec iste adiri possit, proprius sacerdos, seu confessarius: ita concedit Innoc. III. *c.* 29. *in fin. h. t.* ibi: *Verum, si difficile sit ex aliqua juxta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut a suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote.* Hujusmodi impedimenta sunt, morbus, periculum morbi, aut laesionis in via, debilitas, vel aetas senilis, aut puerilis, obligatio manendi domi propter servitutem, patriam potestatem, alendos, et curandos liberos, fragilitas sexus cujuscumque foeminae, sive monialis, sive saecularis, *c.* 11. 58. *h. t.* Hoc tamen casu censuratus debet prius satisfacere parti laesae, juramento promittere, quod sublato impedimento, praesentare se velit Sedi apostolicae, *cit. c.* 11. *et* 29. *in fin. h. t.* nisi ab hac comparatione, seu praesentatione excusetur; uti senes, pueri, mulieres, et perpetuo impedimento laborantes *c.* 1. 6. 33. 58. *h. t.* et quia ex Germania aditus ad Papam est fere semper impossibilis, Ordinarii, vel ex privilegio speciali, vel ex consuetudine, et praescriptione absolvere solent a censuris Papae reservatis sine onere se praesentandi Papae. De absolutione ab haeresi vide supra tit. de Haeretic. a *n.* 21. 3. Regulares in Italia non possunt extra Bullam Coenae absolvere a quinque casibus Sedi apostolicae re-

servatis, qui sunt: *Violatio immunitatis ecclesiasticae in terminis Constit. Greg. XIII.* Cum alias, *Violatio clausurae monialium ad malum finem, idest luxuriae, Simonia realis, et confidentialis scienter contracta, percussio clericorum, crimen provocantium, et pugnantium in duello in terminis Trid. sess. 25. c. 19. de ref. et Constit. Gregor. XIII.* Ad tollendum: ita disponit Clem. VIII. in suo Decreto 26. Novemb. 1602., quod non extenditur ultra, restringitur ad Italiam his verbis: *per universam Italiam extra urbem degentibus.*

Confessarii privilegiati, in quantum eorum privilegia ad papales casus absolvendos se extendunt, Romae, et in ejus suburbiis poterant a dictis quinque casibus absolvere: sed ex decreto Clementis XI. 13. Martii 1711. *nequeunt absolvere a publica fractione clausurae monialium ad finem lauxuriae, neque a publica violatione immunitatis ecclesiasticae; sicuti neque ab occulta, si immunitas haec violata fuerit auctoritate publica. Vide Elenco VI. n. XVIII. par.* I.

IV. In articulo mortis cessat omnis reservatio censurarum, et peccatorum, ne quis scil. hac occasióne pereat, Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Poenit.* absolutio tamen a censuris fit cum onere praesentandi se superiori, si absolutus mortem evadat.

25. Q. VII. *Quae sit forma absolutionis a censuris?* R. 1. Forma substantialis non est determinata, adeoque fieri potest quibuscumque verbis, scripto etiam per epistolam respectu absentis; cum etiam absens excommunicari possit; licet absens sacramentaliter a peccatis absolvi nequeat; quia non constat de ejus dispositione; et forma, *absolvo te*, non verificaretur.

26. R. 2. Ad formam accidentalem, et de praecepto requiruntur seqq. 1. Ut reus humiliter petat absolutionem a censura; valeret tamen absolutio data invito, et repugnanti; quia poena pro placito superioris tolli potest. 2. Ut reus prius satisfaciat parti laesae, nisi adesset impotentia, quo casu sufficiet cautio saltem juratoria: secus absolvens graviter peccat; quia laedit jus partis, et violat juris ordinem. 3. Ut absolvens in causa principali falsa non decipiatur; secus absolutio non valeret, ut si quis falso dicat se ab haeresi recessisse. 4. Ut servetur ritus in Pontificali Rom. praescriptus, sive quis vivus, sive mortuus absolvatur; quamvis omissio hujus ritus non videatur graviter esse illicita, praesertim si justa causa suadeat eum omitti: ita haec omnia habentur, *c.* 28. 40. 42. *h. t.* Ritus solemnis absolvendi a censura, praesertim excommunicationis, habetur in Rituali Romano.

§. II.

De Excommunicatione in specie.

27. Excommunicatio est *censura ecclesiastica, privans fidelem omni ecclesiastica communione:* com. ex *can.* 32. *et* 107. *caus.* 11. *q.* 3. Dicitur *ecclesiastica*, quia censura ista non privat hominem communione bo-

norum internorum, ut gratia, fide, ceterisque gratiae bonis, sed tantum communione externorum tam spiritualium, quam temporalium, quae subjacent jurisdictioni, et distributioni Ecclesiae. Excommunicatio est duplex: *major*, seu simpliciter talis, mox definita: et *minor*, seu *secundum quid talis*, quae privat solo passivo usu, seu receptione sacramentorum, et cons. unicus effectus illius est privatio receptionis sacramentorum. At excommunicationis majoris sunt multi, et graves effectus, quos ad tres classes reducimus, uti sunt: 1. Privatio sacramentorum, et piorum operum exteriorum. 2. Privatio officiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum. 3. Privatio communionis politicae.

28. Q. I. ***Quibus bonis spiritualibus privet excommunicatio?*** R. 1. Activo, et passivo usu sacramentorum *c.* 32. 50. *h. t.* excepto mortis articulo. Unde regulariter loquendo, excommunicatus recipiens sacramenta lethaliter peccat; et si in excommunicatione absolvatur a peccatis, absolutio est invalida ob defectum dispositionis: et clericus ministrans in excommunicatione sacramenta, sit irregularis; *c. fin. de cler. exom.* 2. *Sacrificio Missae;* secus si excommunicatus ei assistat, peccat mortaliter: imo si est vitandus, expelli debet: aut si non possit, missa ante canonem abrumpitur, et post canonem continuatur usque ad communionem, et facta sumptione, statim receditur ad sacristiam, omissis ceteris orationibus, *c.* 26. *h. t. in* 6. *Clem.* 2. *v. nonnulli eod.* Quodsi sacerdos coram excommunicato vitando celebret, praeter grave peccatum, et excommunicationem minorem, interdicitur ingressu Ecclesiae, *c.* 8. *de privil.* 3. *Divinis officiis*, ut publica horarum recitatione, processionibus, benedictionibus etc. privatim tamen, si alias obligatus est, potest, imo tenetur recitare Horas Can. eique socius, praesertim subditus indulgetur ad correcitandum, sicut capellanus Episcopo excommunicato. 4. *Communibus Ecclesiae suffragiis.* Unde non licet publica Sacrificia; et orationes pro excommunicatis in genere, vel specie offerre, neque indulgentias eis concedere *c.* 28. *et* 38. *h. t.* Privata autem suffragia, orationes et missae ex privata intentione offerri possunt pro conversione excommunicatorum, cum privata suffragia non subsint Ecclesiae. 5. *Ingressu Ecclesiae* tempore, quo divina celebrantur: alio vero tempore potest excommunicatus in templo orare; uti et habere aquam benedictam, et alia sacramentalia 6. *Sepultura sacra*, ut dixi *titul. de sepult.* nisi excommunicatus ante mortem poenitentiam agat.

29. Q. II. ***Quibus officiis privet excommunicatio?*** R. seqq. 1. Excommunicatus fit inhabilis ab obtinenda quaecumque officia, et beneficia ecclesiastica; ita ut collatio, seu alia provisio sit ipso jure nulla *c.* 7. *de cler. excom.* beneficiis vero antea obtentis non privatur, nisi privatio ista specialiter sit annexa, et expressa in jure, sicut in casu haeresis: imo si collatio facta sit tempore habili, et acceptatio tempore excommunicationis, va-

Digitized by Google

lide censetur collatum beneficium, ut tenent Covar. Garc. etc. contra Suar. Laym. nam jura irritant id solum, quo titulus beneficii datur; sed sola collatione titulus beneficii datur, acceptatio vero est tantum conditio ex parte recipientis, ergo: tum quia voluntas retinendi beneficium antea canonice obtentum non inficit valorem tituli tempore excommunicationis; ergo neque voluntas acceptandi beneficium canonice oblatum tempore excommunicationis impedit valorem tituli. Ceterum, cum hic versemur in materia odiosa, nomine beneficii non veniunt hic simplices pensiones; ut si clerico excommunicato resignanti, vel lite cedenti aliqua pensio constituatur; tunc enim pensio ista valebit.

30. R. 2. Clericus in excommunicationem incidens, ipso jure, et facto non privatur fructibus beneficii antea canonice obtenti: ita Sanch. Laym. Salmant. et alii contra Covar. Filliuc. Garc. etc. nam id nullo clare jure statuitur, siquidem *c.* 55. *de appellat.* in verbo *subtrahuntur*, sufficienter indicatur, quod privatio fructuum facienda sit ministerio judicis, sicut denunciatio excommunicationis; neque Papa respondet, quod privatio fructuum eodem modo incurratur, quo privatio communionis fidelium: sed quod ista sit causa sufficiens illius, quia meretur clericus fructibus privari, qui communiono fidelium privatus est: et ita consuetudo textum istum interpretatur. At post sententiam tenetur clericus fructus tempore excommunicationis perceptos restituere, donec absolvatur: si tamen pauper sit, eos sibi applicare potest; cum fructus isti distribuendi sint pauperibus, vel Ecclesiae.

31. R. 3. Excommunicatio privat usu jurisdictionis ecclesiasticae, ita ut excommunicatus vitandus eam nec licite, nec valide exerceat. *Can.* 4. *audivimus*, 24. *q.* 1. *c.* 24. *de sent. et re jud. c.* 10. *de off. deleg. in* 6. etc. Unde acta Praelati excommunicati non valent, sive sint judicialia, sive extrajudicialia, contentiosa, aut voluntaria, cum potestas ea exercendi sit impedita. 2. Non valet electio, quam suffragium excommunicati complet; vel si excommunicatus scienter admittitur ad suffragandum *c. fin. de procuratore*: nec valet praesentatio, quam clericus ratione dignitatis exercet, *arg. c. fin. de elect. in* 6. secus si ad clericum praesentatio pertinet titulo seculari, ut patrimonii. Resignatio autem beneficii ab excommunicato facta absolute, vel in favorem tertii valet; cum non sit actus jurisdictionis, aut officii, sed merae voluntatis: quamvis praelatus excommunicans eam admittere non possit. 3. Excommunicatus toleratus valide exercet jurisdictionem, si exceptione excommunicationis non excludatur, *c.* 12. *de except. c.* 1. *eod. in* 6. nam Ecclesia permittit communicationem cum excommunicatis, donec exceptio opponatur, et intra 8. dies probetur, *ibid.*

32. R. 4. Excommunicatio privat facultate concionandi, et publice legendi sac. theologiam, aut sac. Canones: nam ista est notabilis communicatio excommunicatis prohibita, saltem vi-

tandis. Hoc tamen excommunicatis permittitur, ut concionem pro sua conversione audiant, *c. 43. h. t.*

33. Q. III. *Qua communione politica privet excommunicatio?* R. 1. *Communione forensi*, ita ut excommunicatus vitandus non possit esse judex, aut magistratum gerens, arbiter, actor, advocatus, procurator ad lites, testis, tabellio, *Can. 6. nullus 3. q. 4.* officia tamen privata, ut tutoris, curatoris, suscipere potest, uti et assistere matrimonio, et assisteudi facultatem tribuere, ad professionem religiosom admittere etc. 2. Excommunicatis prohibetur communicatio politica hoc versiculo expressa: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Os* significat osculum pacis, et alia benevolentiae signa. *Orare* significat orationem publicam, et etiam privatam. *Vale* honorificam salutationem: licet consuetudo admittat, ut excommunicato assurgatur, caput aperiatur. *Communio* significat omnem mutuam actionem, ut cohabitationem, collocutionem, celebrationem cujuscumque contractus, factionem testamenti. Quamvis vero actus isti ab excommunicato illicite fiant contra praeceptum Ecclesiae, sunt tamen validi; cum nullo jure irritentur.

34. Q. IV. *Qui sint alii remoti effectus excommunicationis?* R. Tres praecipui: 1. Si quis per annum perseveret in excommunicatione specialiter lata ab homine, fit suspectus de haeresi Trid. *Sess. 25. c. 3. de ref.* si vero citatus se purgare, et impedimentum allegare noluerit, puniendus est, ut haereticus *c. 7. de haeret. in 6.* 2. Si insordescat in excommunicatione per annum, habetur pro convicto *Can. 36. et seqq. 11. q. 3.* quia contumacia ista habetur pro confessione. 3. Clericus per triennium durans in excommunicatione, privandus est beneficiis, *cap. 8. de aetat. et qualit.*

35. Q. V. *An, et in quibus casibus excommunicatus exercere possit actus sibi prohibitos?* R. 1. In periculo mortis, mutilationis, infamiae, gravis jacturae bonorum, licet excommunicato suscipere sacramenta; imo et administrare, si a fidelibus petantur, et ille ex officio teneatur, ea administrare: nam in his casibus arduis Ecclesia non censetur obligare. Unde si excommunicatus ex urgenti necessitate accederet confessarium, qui non valens absolvere ab excommunicatione, absolveret a peccatis, ceteris positis, validum esse Sacramentum poenitentiae, ut communis sententia tenet contra Sylv. Vasq. et alios: nam in tali casu arduo, maxime si concurrat ignorantia, vel oblivio probabilis censurae, nullo jure constat invalidari Sacramentum poenitentiae: imo nec est credibile praeceptum Ecclesiae extendi ad casus adeo arduos in materia Sacramentorum, Salmantic. 2. Excommunicatus toleratus, dummodo se non ingerat, ad petitionem fidelium valide, et per se licite, ut aliqui sentiunt, omnia Sacramenta administrat ex favore Conc. Constantien. fidelibus concesso, ut mox dicetur.

36. Q. VI. *An fideles habeant privilegium communicandi cum excommu-*

Digitized by Google

nicatis? R. 1. Hodie licite communicare possunt cum omnibus excommunicatis publicis, et privatis, in divinis, et politicis, exceptis duobus casibus: si excommunicatus, vel interdictus sit specialiter, et expresse, seu nominatim publice denunciatus per sententiam judicis, vel si sit notorius percussor clerici, puta notorietate facti, dum percussio fit in loco publico, et coram magna parte communitatis, ut nulla tergiversatione celari possit: ita indultum fuit in Conc. Constantiensi, et roboratum per Const. Martini V. incip. *Ad evitanda scandala, et multa pericula, quae conscientiis timoratis contingere possunt etc.* Qua tamen Constitutione nullus favor ipsis excommunicatis concessus est, ut hi communioni fidelium se ingerere possint, ibi: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, et interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari:* unde *sequitur* 1. Quod fideles a Parocho, vel alio Sacerdote excommunicato petere possint celebrationem Missae, et Sacramentorum administrationem, sive adsit casus nécessitatis, aut speciali utilitatis, sive non, quia Decretum Constant. indistincte loquitur: neque per hoc fidelis cooperatur peccato excommunicati; tum quia utitur jure suo; tum quia opinantur aliqui, actiones istas spirituales fieri posse sine peccato: nam hoc ipso, quod fidelibus liceat communicare cum excommunicatis indirecte, et in consequentiam conceditur, ut ministeria, quae a fidelibus petuntur, licite exercere possint. *Sequitur* 2. quod excommunicatus toleratus, non tantum alia Sacramenta, sed etiam Sacramentum poenitentiae valide administrare possit, quoties id petitur a fidelibus: nam ex parte poenitentis nullus adest defectus, ut supponitur; ex parte vero confessarii excommunicati non deficit jurisdictio, quia illam habet ex Conc. Const. pro casu, quo fidelis absolutionem ab illo petit, dummodo ante excommunicationem jurisdictionem, et approbationem ab Ordinario habuerit, et ea specialiter privatus non fuerit. *Sequitur* 3. quod excommunicatus toleratus, si absque petitione fidelium ingerat se divinorum administrationi, peccet graviter, et exercendo actum ordinis, v. g. sacrificando, solemniter baptizando, nuptias benedicendo, incurrat irregularitatem *c. fin. de cler. excom. ministr.* Et quamvis cetera Sacramenta valide, tamen Sacramentum Poenitentiao invalide administrat ex defectu jurisdictionis per excommunicationem suspensae; quo tamen casu invalide absolvens fit irregularis, quia actum ordinis exercet, licet per accidens invalidum, *Sequitur* 4. quod fideles, si velint, libere se retrahere possint a communione excommunicati tolerati, ut recedendo a Missa Parochi, recusando mandatum Praelati, excipiendo contra judicem, actorem etc. nisi aliud habeat consuetudo, aut pacta publica; sicut in Germania, ubi haeretici nequeunt excludi ab officiis publicis, judicis etc. nam per Decretum Constant. nullus favor excommunicatis

directe est attributus. *Dices:* Concil. Basileense *sess.* 20. modificavit decretum Concilii Const. declarando quoscumque notorios excommunicatos esse vitandos. R. Cum Avila decretum Concilii Basil. loqui de illis, de quibus Decr. Conc. Const. puta de notoriis percussoribus clerici: vel cum Turrecrem. decretum istud nullius esse auctoritatis, cum factum sit post Schisma Concilii, ubi omnia acta reprobata sunt ab Eugenio IV. et Nicolao V.

37. R. 2. Fideles tenentur vitare communionem cum excommunicatis vitandis, seu non toleratis: quales sunt personaliter denuntiati, et notorii percussores clericorum: ita commun. ex citat. Decr. Concil. Constant. quo jus antiquum *c.* 14. *h. t.* in hoc puncto non est correctum. Ista tamen communicatio regulariter non excedit peccatum veniale, et excommunicationem minorem, *c.* 29. *h. t.* At mortale est in casibus seqq. 1. Si fidelis publice communicet in rebus divinis; quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. 2. Si communicet in crimine criminoso, hoc est in illo crimine, ob quod alter excommunicatus est, *cap.* 55. *h. t.* ut si clericus communicet in crimine concubinae personaliter excommunicatae etc. quo casu major excommunicatio incurritur. Si quis a Papa excommunicatus est, clericus cum eo sponte in divinis communicans, praeter peccatum mortale, incurrit majorem excommunicationem Papae reservatam, *c.* 18. *h. t.* 4. Si quis post competentem monitionem participet cum excommunicato, postquam lata est sententia contra participantes nominatim expressos incurrit majorem excommunicationem *c.* 9. *et* 15. *h. t. in* 6.

38. R. 3. Fideles, suadentibus justis causis, communicare possunt cum excomunicato vitando. quae hoc versiculo exprimuntur: ***utile, lex, humile, res ignorata, necesse:*** licet proinde ista communicatio: 1. Ex causa *utilitatis* tam spiritualis, quam corporalis, ut dare excommunicato salutaria monita, eleemosynam, recipere debitum etc. Ex causa *legis*, seu ***obligationis matrimonialis*** *c.* 31. *h. t.* atque ita uxor marito excommunicato potest communicare in cohabitatione, mensa, debito conjugali, *Can.* 103. *quoniam* 11. *q.* 3. qui Canon ob identitatem rationis in correlativis intelligitur etiam de marito, ut uxori excommunicatae cohabitare, et communicare possit. 3. Ex causa ***humilitatis***, seu ***subjectionis***, et potestatis, sicut filius cum patre, servus cum domino, clericus cum Episcopo, miles cum duce, et e contra, communicare valent: non tamen vasallus cum domino, cui proprie non servit. 4. Ex causa *ignorantiae*, sive juris, sive facti, modo non sit affectata. 5. Ex causa ***necessitatis*** sive spiritualis, sive temporalis, *cit. Can. quoniam:* unde in casu necessitatis potest fidelis ab excommunicato petere baptismum; quem tamen sine solemnitate administrare debet: item Sacramentum poenitentiae, et si infirmus confiteri nequeat, Eucharistiam; vel si hac refici non possit, extremam unctionem. Quo casu ad petitionem fidelis excommunicatus licite administrat

ista Sacramenta, dummodo ex alia causa non impediatur, ut est opinio.

39. Q. VII. *Quid juris circa excommunicationem minorem?* R. 1. Haec incurritur ob solam communicationem cum excommunicato vitando, ut ante *n.* 36. dictum, ejusque effectus directus est privatio usus passivi, seu receptionis Sacramentorum, c. 59. *h. t.* 2. *de except.* activa vera administratio Sacramentorum non est proibita. Indirectus vero effectus est inhabilitas ad beneficia *cap. fin. de cler. excom.* adeoque clericus minori excommunicatione irretitus non potest eligi: electio tamen eius non videtur irrita ipso jure, cum *cit. c. fin.* dicatur irritanda. 2. Ab excommunicatione minori probabilius absolvere potest quilibet sacerdos, qui absolvere potest a peccato participationis: adeoque si excommunicatio minor incursa est ob veniale peccatum, quisque sacerdos ab ea absolvere potest: ita S. D. in 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *qu.* 1. *in corpore,* inquiens: *a minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis:* nam absolutio a censuris, tanquam praevia, sequitur naturam absolutionis a peccatis; et ideo cui conceditur facultas absolvendi a peccatis mortalibus, conceditur etiam facultas absolvendi a censuris non reservatis: et concessa facultate absolvendi a reservatis, conceditur etiam facultas absolvendis a censuris reservatis propter ista peccata incursis; ergo etiam cui conceditur facultas absolvendi a venialibus, conceditur quoque facultas absolvendi a minore excommunicatione: unde in *c.* 29. *h. t.* nomine *proprii sacerdotis* venis is, qui absolvere potest a peccatis.

Et haec de excommunicatione in genere. Nunc, omissis aliis excommunicationibus in specie, de quibus suis titulis egimus, superest aliquid dicere de excommunicatione Canonis.

40. Q. VIII. *Quae specialia habeat excommunicatio Canonis* 29. *si quis,* 17. *q.* 4. *Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, ut in clericum, vel monachum violentes manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.*

R. 1. Privilegio Canonis hujus gaudent omnes, qui in materia favorabili veniunt nomine clericorum, etiam tertiarii, et eremitae, emisso voto sub regula, et obedientia superioris viventes. E contra privantur hoc privilegio clerici degradati, bigami, conjugati non deferentes habitum, et tonsuram, minoristae, qui dimisso habitu armis, et negotiis secularibus vacant, et post trinam monitionem non resipiscunt, clerici joculatores, macellariam, vel cauponariam personaliter exercentes, vel dimisso habitu enormitatibus se immiscentes, de quibus suis locis dictum ex *c.* 2. *de poen. in* 6. *c. un. de bigam. in* 6. *c. un. de cler. conjug. in* 6. *c. un. de vita, et honest. in* 6. *et Clem. un. eod. c.* 25. *et* 45. *h. t. etc.*

41. R. 2. Excommunicationem Ca-

Digitized by Google

nonis incurrere possunt omnes doli capaces, etiam pueri, et mulieres *c.* 6. *et fin. h. t.* qui violentas manus injiciunt in clericum, vel in res ejus personae propinque adhaerentes; ut illum percutiendo, injuriose conspuendo, pulverem in eum projiciendo, venenum ei porrigendo, vestimenta in eo lacerando, caudam, vel ephippium equi, cui insidet, praecidendo etc. modo actiones istae exerceantur *suadente diabolo*, hoc est, animo injuriandi, et inhonorandi clericum. Hac excommunicatione tenentur mandantes, et consulentes, mandato, aut consilio efficaciter non revocato *c.* 6. *in fin. et c.* 47. *h. t.* uti et ratam habentes percussionem nomine suo factam *c.* 23. *eod. in* 6.

42. R. 3. Ab excommunicatione Canonis excusantur: 1. Qui ex justo mandato Praelati clericum criminosum capiunt, incarcerant, vel torquent, *c.* 35. *h. t.* At si Praelatus injuste, et contra formam juris clericum capiat, incarceret, vel torqueat, vel eum carceri nimis squalido, indecenti, subterraneo, et obscuro includat, ipse cum omnibus cooperantibus incurrit excommunicationem hujus Canonis, ut com docet ex *cit. c.* 35. *h. t. et Trid. sess.* 25. *c.* 6. *de reform.* ubi pro carcere clericorum, et religiosorum vult esse locum decentem. 2. Clerici pueri inter se rixantes excusantur ab excommunicatione Papae reservata, ita ut absolvi possint a proprio Episcopo *c.* 1. *h. t.* 3. Officiales publici, qui clericum de nocte vagantem, et malum facere meditantem capiunt, ut eum Praelato praesentent. 4. Qui ex ignorantia facti, vel etiam juris, vel defensionis causa clericum percutiunt. 5. Qui volens percutere clericum aberrando percussit laicum, vel praeter opinionem alium clericum: secus si injuriose percussit Titium clericum, quem cogitavit esse Cajum. 6. Qui percutit in continenti clericum turpiter agentem cum uxore, matre, filia, sorore, licet actus turpes sint in sua specie imperfecti: quo casu percutiens peccat quidem graviter, sed ob causam justi doloris non punitur excommunicatione, etiam in casu, quo invigilavit tali clerico, *c.* 3. *v. nec illa h. t.* 7. Magister etiam laicus correctionis causa percutiens clericum, ut *tit. de cler. percussor.* quod etiam permittitur senioribus canonicis, ut pueros minoristas divina officia turbantes moderate percutere possint: uti et parentibus, ac proprinquis disciplinae causa percutientibus, *c.* 54. *in fin. h. t.* quae dispositio non videtur extendenda ad percussionem in sacris constitutorum, nisi castigans sit Praelatus, aut magister, *c.* 10. *h. titul.*

43. R. 4. Absolvere ab excommunicatione Canonis de jure com. potest solus Papa, ut patet ex *cit. Can. si quis.* Ex speciali concessione etiam alii, ut *Legatus a latere*, et Nuntius apostolicus, ut dixi *tit. de off. legati.* 2. Episcopi, eorumque Vicarii ab hac excommunicatione occulta, et in casu impedimenti absolvere possunt secundum dicta hic *n.* 24. item ob percussionem levem *c.* 17. *h. t.* Quae autem sit percussio *levis, gravis, et atrox, seu enormis*, pendet a circumstantiis,

et arbitrio judicis. 3. Praelati regg. pro utroque foro suos religiosos absolvere possunt sine missione ad Sedem apostolicam, vel Legatum a latere, *c.* 2. *h. t.* et si percussus sit religiosus alterius Ordinis, absolutio pertinet ad Praelatum percussoris: satisfactio vero utriusque Praelati consensu imponenda *c.* 32. *h. t.* Si vero clericus secularis graviter percussus sit, vel in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta, absolutio pertinet ad Papam, *ibid.* Si levis fuit percussio, absolvit Episcopus religiosum non exemptum; imo et exemptum de consensu Praelati *c.* 21. *eod. in* 6. alioquin si Praelatus ex justa causa neget hanc absolutionem exempti, absolutio pertinet ad Papam. Hodie Praelati regg. ex specialibus privilegiis suos religiosos absolvere possunt a percussione etiam enormi, dummodo Episcopus, aut clericus secularis non sit graviter percussus.

44. R. Confessarii regg. in privilegiis communicantes in foro conscientiae absolvere possunt a percussione quacumque etiam enormi; dummodo sit occulta: et quidem sine onere praesentandi se conspectui apostolico: nam *c.* 13. *et* 58. *h. t.* statuit onus istud imponi ab iis, qui non babent privilegium absolvendi, sed tantum in casu impedimenti absolvunt. Nec obstat, quod in hac inclyta Dioecesi Moraviae percussio clerici sit casus reservatus: nam reservatio ista procedit de percussione notoria notorietate facti, non de percussione occulta, quam respectu Regularium privilegiatorum Episcopus sua auctoritate reservare nec vult, nec potest; cum tanquam inferior limitare non possit privilegia apostolica.

§. III.

De censura Suspensionis.

45. *Suspensio* est censura ecclesiasiastica privans clericum per se, et directe usu officii, beneficii, vel utriusque simul. Differt ab *excommunicatione*, quia haec privat omnibus bonis spiritualibus, et politicis externis: fertur in clericos, et laicos; et non per se, sed consecutive privat usu ordinum, in quantum impedit Sacramentorum administrationem: e contra suspensio non privat omnibus bonis; fertur in solos clericos, et directe impedit usum ordinum: licet ipso ordine suscipiendo non privet, nisi consecutive. Differt etiam ab *interdicto*, quia hoc privat receptione aliquorum Sacramentorum, divinis officiis, et sepultura ecclesiastica; et in laicos ferri potest: secus est in suspensione. Est autem suspensio alia *partialis*, quae privat usu ordinis tantum, vel officii, seu jurisdictionis, vel beneficii, seu administrationis quoad fructus: alia *totalis*, quae his omnibus privat. Item alia a *jure*, alia ab *homine* lata, alia *absoluta* sine determinatione temporis, alia *restricta* ad certum tempus, alia per modum *verae censurae*, alia per modum *poenae vindicativae*, aut inhabilitatis. sicut *c.* 14. *de temporib. ord. c.* 1. *de ordinat. ab Episcop. etc.*

46. *Quis, et in quem ferre possit censuram suspensionis?* R. 1. Solus clericus, et in solum clericum Ecclesiae

subditum ferre suspensionem potest: et quidem suspensionem *juris*; qui jus potest condere: suspensionem *hominis*, qui clericum judicare, et contumacem punire potest. Dicitur: subditum, quia Papa nullius censurae est capax. 2. Episcopus sine consensu capituli suspensionem hominis, seu sententiam judicialiter suspensivam ferre potest; nam talis viget consuetudo, qua abrogatur *c.* 1. *de excessib. Praelat. et can.* 6. *Episcopus* 15. *q.* 3. Praelati regulares in tantum suspendere possunt suos religiosos; in quantum eis regula permittit.

47. Q. II. *Qua forma feratur suspensio ab homine?* R. 1. Adesse debet culpa gravis, et simul contumacia, praevia monitio triplex, et ipsa sententia suspensionis in scriptis concipi cum expresse causa, sicut de excommunicatione dictum ex *c.* 1. 5. 13. *h. t. in* 6. alioquin si haec forma, licet accidentalis non observetur, judex per mensem ab ingressu Ecclesiae, et divinis officiis suspenditur, et ad expensas suspenso condemnatur, *c.* 1. *h. t. in* 6. 2. Si suspensio fertur per modum poenae vindicativae, praeter delictum grave, non requiritur contumacia, et monitio, sed probato delicto, suspensio per sententiam infligitur, sicut alia poena vindicativa, *c.* 7. *et* 45. *de elect. c.* 2. *de offic. deleg. in* 6. et alibi.

48. Q. III. *Qui sint effectus suspensionis?* R. 1. Pro varietate hujus censurae sunt varii: 1. Suspensus ab *ordine* non censetur suspensus a jurisdictione, et suspensus ab ordine inferiori exercere potest actus ordinis superioris; nisi in his concurret actus ordinis inferioris: qualiter suspensus a diaconatu, non potest missam legere, quia in ea concurrit actus ordinis diaconalis, scil. legere Evangelium: ceteros vero actus Sacerdotii exercere potest, ut praedicare, absolvere etc. 2. Suspensus ab *officio* simpliciter, censetur suspensus ab omni actu ordinis; et jurisdictionis: quia hoc utrumque venit nomine *officii*: non tamen est suspensus a *beneficio*, seu perceptione fructuum, neque a *voce activa* in capitulo: cum hae suspensiones sint diversae, et suffragari in capitulo nec sit actus ordinis, nec jurisdictionis; licet aliqui contrarium teneant. 3. Suspensus a jurisdictione sola, non est suspensus ab ordine, et beneficio: cum haec sint diversa. 4. Suspensus a *beneficio* exercere potest officium; neque beneficio, sed tantum fructibus privatur: quorum nomine non veniunt distributiones quotidianae, neque electio, aut praesentatio, quae ex officio oriuntur, licet dicantur improprie fructus beneficii. Porro si suspensio a beneficio est censura ob contumaciam, beneficiatus privatur fructibus etiam necessariis ad sustentationem: non vero si est poena vindicativa; quia illam, et non istam tollere est in potestate suspensi.

49. R. 2. Violans suspensionem, praeter peccatum mortale, incurrit irregularitatem, exercendo actum ordinis, *c.* 1. *in fin. h. t. in* 6. Haec tamen irregularitas non incurritur, si clericus violet suspensionem jurisdi-

ctionis, vel beneficii; sed tunc aliter puniendus est, ut privatione beneficii, *c. 1. §. fin. de elect. in 6.* Porro suspensus a jurisdictione, invalide illam exercet; dummodo sit denunciatus personaliter, secundum Decretum Conc. Constantiensis.

50. Q. IV. *Quomodo tolli possit suspensio?* R. 1. Si suspensio est censura, tollitur per absolutionem iis modis, quibus excommunicatio. Formula absolvendi est: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem, vel talem causam etc.* in dubio datur absolutio ad cautelam: *si teneris vinculo suspensionis, absolvo te.* 2. Si suspensio est poena vindicativa delicti, non tollitur nisi per relaxationem, seu dispensationem ejus, qui eam tulit, aut qui eadem potestate pollet; nisi ad certum tempus lata fuisset: tunc enim, eo lapso, ex voluntate ferentis expirat. 3. Si suspensio a jure lata est absque temporis determinatione, poterit ab Episcopo relaxari: nam talis suspensio non censetur esse poena perpetua, ut existimant Abb. Sylv. Nav. etc. nam poenae perpetuae addi solet clausula *in perpetuum*, quae alias superflueret; ergo censetur esse temporalis: et si reservata non est, tolli potest per Episcopum, vel alium privilegiatum: qualiter pro tollendis occultis suspensionibus plerique Regulares privilegiati sunt, sicut Episcopus vi Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* Alii vero Sacerdotes non privilegiati, non possunt absolvere a tali censura in poenam delicti lata; cum absolutio illius non sit necessaria ad absolutionem a peccatis, sicut absolutio ab excommunicatione, quae praecedere debet absolutionem a peccatis.

§. IV.

De Censura Interdicti.

51. Interdictum in *h. t.* est *censura ecclesiastica privans usu divinorum inter fideles*, puta participatione divinorum officiorum, quorundam Sacramentorum et sacra sepulturâ. Differt ab excommunicatione; quia haec privat pluribus bonis spiritualibus, et politicis, solosque homines fideles afficit; e contra interdictum privat paucioribus bonis spiritualibus, nullis politicis; et loca etiam sacra afficere potest. Differentia interdicti a suspensione priori §. insinuata est. Dividitur interdictum: 1. In *Personale*, quod directe afficit personam, ne divinis uti valeat: *locale*: quod directe afficit locum, ne in eo divina celebrari possint: et *mixtum*, quod et personas, et loca afficit, et privat divinis. 2. In *generale*, et *speciale*. *Generale locale* est, quo plura loca simul afficiuntur, ut totum regnum, civitas, parochia. *Generale personale*, quo tota communitas hominum afficitur; ut omnes incolae regni, civitatis, monasterii. *Speciale personale* est, quo una, vel altera persona singularis afficitur etiam indeterminata, v. g. qui furtum commiserit, subjaceat interdicto. *Speciale locale* est, quo unus locus determinatus afficitur; ut haec Ecclesia. 3. Personale, vel est *totale*, quoad omnes ef-

fectus interdicti, vel *partiale*, quoad unum, vel alterum effectum; ut si quis interdicatur ab ingressu Ecclesiae, vel a celebratione Missae etc.

52. Q. I. *Qui ferre possint Interdictum?* R. Qui excommunicare, aut suspendere, seu qui habent jurisdictionem in foro externo, ut Papa, Episcopus etiam sine consensu capituli de hodierna consuetudine, Legati apostolici, capitulum, sede vacante etc. Praelati regulares personas quidem interdicere possunt; sed non loca ob receptam consuetudinem.

53. Q. II. *In quem, ex qua causa, et qua forma feratur Interdictum?* R. 1. Subjectum interdicti personalis est homo fidelis, vel aliqua communitas: et interdicti localis est locus sacer jurisdictioni interdicentis subjectus. 2. Causa illud ferendi est culpa mortalis cum contumacia: et quamvis personale speciale ferri possit ob debitum personae, non tamen ob debita pecuniaria ferri potest interdictum generale, sive locale, sive personale absque consensu Papae: imo nec locale speciale, *Extrav.* 2. *h. t. int. com.* confirmata a Clem. VII. Constit. *Licet ea* 9. *Kal. Jun.* 1530. 3. Forma ordinaria, qua fertur interdictum sub ratione censurae est, ut praecedat monitio competens, et sententia interdicti concipiatur in scriptis, ut dictum n. 17. Si vero interdictum personale speciale feratur sub ratione poenae vindicativae, non requiritur ista solemnitas, sed sufficit ordinaria, et consueta in judicio criminali. Interdicta generalia, praesertim localia non solent ferri sub ratione poenae vindicativae, sed censurae; quia gravia sunt, et multis bonis spiritualibus privant.

54. Q. III. *Qui sint effectus Interdicti?* R. 1. Quatuor praecipui: 1. Privatio activi, et passivi usus sacramentorum, *c.* 43. *h. t. c.* 16. *eod. in* 6. 2. Privatio activi usus divinorum officiorum, *c.* 57. *h. t.* 3. Privatio activae, et passivae sepulturae sacrae *c.* 11. *de poenit. et remiss. c.* 3. §. *quodsi de privil.* 4. Privatio ab ingressu Ecclesiae, *cap.* 20. *h. tit. in* 6. sed effectus iste non sequitur ex natura interdicti, nisi specialiter exprimatur.

55. R. 2. Tempore interdicti conferri potest: 1. Sacramentum *baptismi*, et *confirmationis*, etiam solemniter pro adultis *c.* 19. *h. t. in* 6. 2. Sacramentum *Poenitentiae* non solum moribundis, sed quibuscumque; dummodo poenitentes non dederint causam interdicto: alioquin prius satisfacere debent, vel de satisfacendo cautionem praestare idoneam; saltem juratoriam *c.* 24. *alma mater h t. in* 6. Quibus juribus ampliantur jura antiquiora, quae tempore interdicti concedebant baptismum tantum pro parvulis, et poenitentiam pro morientibus, *cap.* 11. *de sponsalibus cap.* 11. *de poenit.* Dari autem potest absolutio a generaliter interdicto: si vero daretur a specialiter interdicto, valeret, cum interdictum jurisdictionem non tollat. 3. *Eucharistia*, *extrema Unctio*, et *Ordo* regulariter administrari non possunt tempore interdicti *citat. cap. alma.* Eucharistia tamen in articulo mortis

infirmis, praegnantibus, et praeliantibus conferri potest, *ibid.* item in loco non interdicto ordinari possunt personae generaliter interdictae *arg. cap.* 43. *h. t.* 4. Personae generaliter interdictae contrahere possunt matrimonium, etiam in loco interdicto. ut probabilius tenent Abb. Covar. et alii contra Suar. Bonac. nam matrimonium, quod principaliter est contractus, neque a clericis ministratur, licet expresse non excipiatur, tamen ex notoria consuetudine numquam censetur comprehendi sub juribus, quae tempore interdicti prohibent ministrationem sacramentorum; ergo sicut alii contractus, ita et matrimonium celebrari valet tempore interdicti etiam in loco interdicto. Si vero personae sunt specialiter interdictae, per accidens ratione censurae, et contumaciae, quae obicem ponit gratiae, licite non contrahunt matrimonium. At benedictio nuptiarum prohibita est tempore interdicti Navar. et alii contra Rosell. nam benedictio ista fieri debet a sacerdote; ergo est prohibita, ut mox dicetur, cum per so non sit necessaria ad nuptias; sicut confectio chrismatis ad confirmationem.

56. R. 3. Nomine *divinorum officiorum*, quae tempore interdicti exerceri prohibentur, veniunt ea omnia, quae a clericis ex institutione Christi, aut Ecclesiae fieri solent; ut missa, benedictio olei, fontis baptismalis, ramorum, cereorum, nuptiarum, Ecclesiarum, vasorum, et paramentorum ecclesiasticorum etc. solemnis, et publica recitatio horarum canon., officii B. V., psalmorum, litaniarum etc. E contra licite fiunt, concio ad populum instruendum, benedictio mensae, privata adoratio Crucis die veneris sacro; modo omittantur caeremoniae a clericis usitatae, privata recitatio breviarii: imo per *cap.* 11. *de poentient.* Clerici bini, vel terni legere possunt horas canon. in Ecclesia, non tamen cantare.

57. R. 4. Stante interdicto locali generali, nullus laicus etiam infans sepeliri potest in loco sacro *c.* 11. *de poenit.* nam licet mortuus non ligetur interdicto, ligantur tamen viventes, ne ei sepulturam sacram concedant, donec cesset interdictum: et tunc cadavera fidelium e loco profano exhumanda, ed in sacro sepelienda sunt. 2. Interdicti personaliter, sive generaliter, sive specialiter, modo sint publice denunciati, etiam clerici, vel si interdicto causam dederint, privantur sepultura sacra, *c.* 8. *de priv. in* 6. *Clem.* 1. *de sepu.*

58. R. 5. Interdictus ab ingressu Ecclesiae non potest Ecclesiam ingredi formaliter et cum effectu, ut ibi divina celebret, vel audiat, vel sepeliatur in loco sacro *c.* 20. *h. t. in* 6. quo sensu procedit *Can.* 15. *latorem* 33. *q.* 2. ubi matricida privatur oratione in templo, scil. publica, et quando divina celebrantur. Violator hujus interdicti per exercitium ordinis fit irregularis, sicut violans suspensionem *cit. c.* 20. E contra interdictus potest privatim Ecclesiam ingredi, ibi preces fundere, item missam in oratorio privato auctoritate' Episcopi non-erecto,

vel in ipso coemeterio celebrare, vel audire; modo non sit specialiter interdictus: et probabilius in ipsa Ecclesia sacramenta percipere, cum receptio sacramentorum non reperiatur prohibita in *c.* 48. *h. t. c.* 20. *eod. in* 6. nisi per accidens pro eo tempore, quo divina in Ecclesia celebrantur.

59. Q. IV. *Quid ratione privilegii liceat tempore interdicti?* R. 1. Ex privilegio *c. alma* 24. *h. t. in* 6. licet divina officia celebrare in Natali Domini, in Pascha, Pentecoste, Assumptione B. V. et per Const. Martini V. *Ineffabile*, Eugenii IV. *Excellentissimum* in festo Corporis Christi per totam octavam; quibus diebus etiam fideles specialiter non interdicti, et qui interdicto causam non dederunt, Eucharistia refici possunt: cum concedatur non praecise *assistere*, sed *participare*. Hoc privilegium non videtur extendi ad sepulturam sacram pro iisdem diebus; quia privatio sacrae sepulturae est effectus longe alius a privatione div. officiorum; ergo dispensatis div. officiis, non censetur dispensari sepultura sacra.

60. R. 2. Ex privilegio ejusdem *c. alma mater*, tempore interdicti generalis, sive localis, sive personalis in quibuscumque Ecclesiis, et monasteriis missae, et alia divina officia singulis diebus peragi possunt, servatis conditionibus ibi praescriptis; ut missa fiat submissa voce, januis clausis, non perforatis, sine pulsu campanarum, etiam minoris campanulae ad *Sanctus*, exclusis excommunicatis, et specialiter interdictis, praesentibus solis clericis, hoc est, personis ecclesiasticis utriusque sexus, non vero laicis; cum textus loquatur de solis clericis. At in Ecclesia specialiter interdicta tantum semel in hebdomada missa celebrari potest pro conficiendo Viatico secundum jus antiquum, *cap.* 47. *h. t.* non vero singulis diebus *arg. c.* 25. *de privil.* ubi privilegium singulis diebus celebrandi conceditur Episcopis pro tempore interdicti localis, generalis, et ab Episcopis extenditur ad clericos per *cit. capit. alma*: ergo hoc privilegium non habet locum in interdicto locali speciali.

61. R. 3. Ex priv. *c.* 11. *quod in te, de poenit. et remiss.* Clerici, seu ecclesiastici utriusque sexus, qui interdictum servaverunt, et causam ei non dederunt, nec specialiter sunt interdicti, sine pulsu campanarum, cessantibus omnibus solemnitatibus, sepeliuntur in coemeterio Ecclesiae, seu loco sacro, aut crypta sepulturae fidelium destinata. Quamvis autem Sayr. Suar. et alii dicant quoscumque clericos sepeliri posse in Ecclesia specialiter interdicta; alii tamen id asserunt de clericis ejusdem Ecclesiae; cum alii sepeliri possint in Ecclesiis specialiter non interdictis.

62. R. 4. Regulares ex privil. antiquo, cujus meminit *c.* 11. *de poenit.* tempore generalis interdicti possunt *januis clausis, excommunicatis, et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce celebrare divina;* non tamen laicos admittere, etiam familiares alicujus conventus, seu collegii *c.* 11. *de priv.* Dicunt

Digitized by Google

tamen Salmantic. *tr.* 10. *de cens. c.* 6. *punct.* 5. *num.* 66. Alexandrum IV. et Eugen. IV. concessisse, ut admitti possint famuli, operarii, aeconomi, syndici, procuratores, tertiarii, et beati: et Clem. VII. id concessit pro Confratribus Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo utriusque sexus; modo non sint excommunicati, aut specialiter interdicti. An vero Regulares suspendere possint interdictum in festivitatibus suorum Sanctorum, Circumcisionis, Epiphaniae, in 4. principalibus B. Virg., Apostolorum, SS. Trinitatis, S. Joan. Bapt., omnium Sanctor., in die defunctorum, et dum Regularis professionem, aut primam missam facit, prout eis conceditur in Bulla Leonis X. 34. et 38. apud Rodriq. in Bullar. merito dubitatur. Negat cum aliis *Anton. a Spir. Sanct.* hoc privilegium revocatum fuisse a Trid. cum ei non contradicat, sed Navar. Garcias, et alii dicunt esse revocatum a Trident. ut fertur declarasse S. Congregatio. 2. Regulares in privilegiis communicantes tempore interdicti possunt recipere S. Eucharistiam, et extremam unctionem, et mortuos sepelire in suis cryptis, ut passim videre est in Compend. Privil. Minor. et Societ. Jesu *v. interdictum.*

63. Q. V. *Ad quae loca, aut personas se extendant interdicta generalia localia, et personalia?* R. 1. Pro interdicto locali sequentes tradi regulas: 1. Interdicta terra domini, censentur interdicta omnia loca, pleno, et absoluto dominio ei subjecta, etsi vendantur; quia cum interdicto transeunt: non tamen illa loca, in quibus dominus tantum jurisdictionem habet, vel usumfructum, emphyteusim, aut feudum, nisi aliud exprimatur. 2. Interdicta dioecesi, aut civitate episcopali, etiam censetur interdicta Ecclesia cathedralis, *c.* 17. *h. t. in* 6. ne vis interdicti generalis eludatur: unde non est hic locus argumento ex *cap.* 4. *de praeb. in* 6. petito. 3. Interdicta Ecclesia principali, etiam interdicuntur capellae illius, et coemeterium, tanquam quid accessorium *cit. cap.* 17. sed interdicto coemeterio, vel capella, non censetur ecclesia principalis interdicta. 4. Interdicta civitate, etiam interdicuntur suburbia, et aedificia continentia, seu non procul distantia, etiamsi sint alterius dioecesis, et jurisdictionis, *cit. c.* 17. quod speciale est contra *c. fin. de Const. in* 6. *et reg. odia in* 6. ne vis interdicti eludatur, cum incolae civitatis facile ad vicina loca egredi, et ibi divina audire possent. 5. Interdicta generalia localia tenentur observare seculares, et Regulares etiam exempti, incolae, et exteri *c.* 4. 10. *de priv. in* 6. Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de regg.* et qui interdicto causam dederunt, semper, et ubique censentur personaliter interdicti, ut in loco etiam non interdicto divinis operari, vel interesse nequeant *c.* 16. *h. t. in* 6. illi vero, qui interdicto generali locali causam non dederunt, alibi divinis interesse valent. Hinc interdictum locale respectu ejus, qui ei causam dedit, vocari solet *deambulatorium,* quia sequitur personam ad quaecumque loca venientem.

64. R. 2. Pro interdicto personali generali has tradi regulas: 1. Interdicta universitate, v. g. civitate, collegio, monasterio, censentur interdicta omnia membra, seu omnes illius personae, etiam absentes, vel in suburbiis habitantes aut post interdictum incorporatae, etiam Duces, Marchiones, et alii Domini, nisi diversae jurisdictionis essent, aut speciali privilegio exemti, *cap.* 16. *h. t. in* 6. non tamen exteri, et peregrini, ut mercatores, studiosi, quia proprie non sunt pars populi: et probabilius nec illi, qui duplex domicilium habent, cum non sit ratio, cur potius sint pars populi interdicti, quam non interdicti. 2. Interdicto clero, non censetur populus interdictus, nec e contra, nec Ecclesiae, aut loca sacra *cap.* 16. *h. t. in* 6. adeoque alii clerici populo divina facere possunt. Neque sub interdicto cleri venit Episcopus, nisi exprimatur, *cap.* 4. *h. t. in* 6. neque Regulares, qui in odiosis non veniunt nomine clericorum: secus si interdictum latum est in personas ecclesiasticas; quia Regulares sunt proprie personae ecclesiasticae.

65. Q. VI. *Quae sit obligatio servandi interdictum, et poena illud violantium?* R. 1. Obligatio ista per se est gravis sub mortali, nisi parvitas materiae excuset; ut si quis per unum versiculum divinis officiis interesset. Hi tamen, qui censurati non sunt, non tenentur vitare personaliter interdictum, nisi interdictum publice denunciatum sit juxta decr. Conc. Const. *Ad evitanda.*

66. R. 2. Si laici violent interdictum, poena est arbitraria, exceptis casibus *Clem. h. t.* expressis, si compellat clericos in loco interdicto celebrare, si ad audienda divina aliquos convocent, praesertim excommunicatos aut interdictos, si prohibeant excommunicatos, aut interdictos, monitos a celebrantibus exire, si ipsi excommunicati, aut interdicti moniti exire, remanere praesumant: tunc enim excommunicationem latae sententiae Papae reservatam incurrunt per *cit Clem.*

67. R. 3. Clericus violans interdictum personale, sive generale, sive speciale, per exercitium ordinis, vel scienter celebrans in loco interdicto, fit irregularis: et si hoc interdicto durante decedat, privatur sacra sepultura *c.* 18. *et* 20. *h. t. in* 6. At si clericus non interdictus celebret in loco non interdicto, et admittat interdictos, tantum incurrit censuram interdicti ab ingressu Ecclesiae, donec satisfaciat ei, cujus censuram contempsit *c.* 8. *de privil. in* 6. 2. Clericus violator interdicti localis privatur voce activa, et passiva *cit. c.* 18. *in fin.* et per sententiam suspendi debet ab officio, et beneficio *c. fin. de excess. praelat.* non tamen privari officio, et beneficio: nam privatio ista, de qua loquitur prior pars decretalis, procedit in casu illo speciali, quo Episcopus tulit sententiam notorie injustam, et alios compulit ad violationem interdicti apostolici. 3. Sepeliens aliquem non privilegiatum in loco interdicto, vel interdictum denunciatum in loco non interdicto, incurrit excom-

Digitized by Google

municationem ipso facto, a qua non est absolvendus, donec ad arbitrium dioecesani satisfaciat, *Clem.* 1. *de sepult.*

68. Q. VII. *Quomodo tollatur interdictum?* R. 1. Si latum est absolute per sententiam, relaxari potest per absolutionem, vel dispensationem ejus, qui illud tulit; aut similem potestatem habet: si vero latum est pro tempore determinato, vel sub conditione, his evenientibus, cessat absque ulla nova absolutione. 2. Interdictum locale, sive generale, sive speciale, et interdictum generale personale non potest relaxari, nisi ab habente jurisdictionem in talem locum, aut populum; non vero a Regularibus: nam hi relaxant censuras in foro conscientiae; locus autem, et communitas populi non subditur tali foro. 3. Interdictum personale speciale a jure reservatum relaxari potest a reservante Papa, ab Episcopo, et Regularibus privilegiatis in foro conscientiae. At si reservatum non sit, relaxari potest a proprio sacerdote, sicut de excommunicatione dictum ex *cap.* 29. *h. t.* ubi cetera huc accomodari possunt.

69. Q. VIII. *Quid veniat nomine excommunicationis, suspensionis et interdicti, si absolute proferantur?* R. 1. Nomine *excommunicationis* venit major, separans a communione fidelium *cap.* 59. *h. t.* 2. Similiter suspensio, et interdictum absolute lata, supponunt pro majori, et proprie tali *arg. c.* 59. nam jus non meminit alicujus minoris suspensionis, et interdicti, quae ob leve peccatum contrahantur.

§. V.

De Cessatione a Divinis.

70. *Cessatio a divinis*, interdicto affinis, est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, et sepultura sacra in aliquo loco. Aliter vocatur *suspensio organorum*, seu *divinae laudis*. Differt ab interdicto: nam interdictum est censura, ferri potest ab homine, vel jure, ejusque violator per exercitium ordinis fit irregularis: e contra cessatio a divinis non est censura, sed mera negatio divinorum officiorum, ejus violator non fit irregularis; nec illa fertur ab jure, sed semper ab homine in signum doloris, et tristitiae conceptae ob gravissimam injuriam Ecclesiae, aut honori divino illatam, ejusque reparationem.

71. Q. I. *Quis, et ob quam causam indicere possit cessationem a divinis?* R. 1. Papa, Episcopus, et capitulum, Sede vacante, vel alius superior habens jurisdictionem externam, potest indicere cessationem ob aliquod gravissimum delictum notorium notorietate facti cum scandalo, servata debita forma, ut prius moneatur delinquens de satisfactione praestanda, tum ei renuenti instrumentum cessationis cum causae expressione tradatur: secus cessatio est invalida, et eam indicens tenetur reparare omnia damna inde consequentia, sive parti laesae, sive ministris Ecclesiae, ita Bonif. VIII. *cap.* 9. *de off. ordinar. in* 6. 2. Si ca-

Digitized by Google

pitulum seculare, aut regulare, etiam sede plena, vult indicere cessationem, id fieri debet capitulariter, vocatis omnibus, sicut ad negotium electionis: secus decretum cessationis, sicut electionis, est invalidum, *ibid.*

72. Q. II. *Qui sint effectus cessationis a divinis?* R. 1. Tres praecipui: privatio div. officiorum, sacramentorum, et sepulturae sacrae, quos effectus Papa inferior restringere nequit, *cap.* 11. *de sponsalib.* excepta *sepultura sacra:* nam haec non venit nomine divinorum offfciorum; adeoque non continetur sub cessatione, nisi ei annexum sit interdictum; et ideo *cit. cap.* 11. nulla mentio fit sepulturae.

73. R. 2. Cessatione valide indicta, non possunt a clericis celebrari missae, et alia div. officia, etiam eo modo, quo conceditur tempore interdicti per *c. Alma h. t. in* 6. ita com. nam interdictum, et cessatio sunt diversa, a quibus non fit illatio; ergo privilegium d. cap. quo conceditur celebratio privata missarum januis clausis, non debet extendi ab interdicto ad cessationem, etiam ob parietatem rationis per *c.* 9. *de privil.* secus cessatio nihil novum adderet supra interdictum: tum quia clerici, si tempore cessationis possent recitare horas can. in choro, non privarentur distributionibus quotidianis, quod falsum est; cum dans causam cessationi teneatur distributiones istas compensare *c.* 2. *de off. ord. in* 6. ergo signum est tempore cessationis, nec privatim januis clausis, div. officia celebrari posse. Hic tamen notant Sanch. Suar. Salmant. et alii consuetudine receptum esse, ut illis festivitatibus, quibus tempore interdicti divina solemniter celebrari permittuntur, etiam tempore cessationis solemniter celebrentur. Item communis admittit clericos binos, et binos privatim in Ecclesia posse recitare horas can. tempore cessationis, sicut tempore interdicti *c.* 11. *de poenit. et remiss.* ubi declaratur talem orationem non venire sub interdictum, et cons. neque sub cessationem.

74. R. 3. Attento rigore juris, solus baptismus parvulis, et morientibus poenitentia, atque viaticum ministrari potest tempore cessationis, *arg. c.* 11. *de sponsal.* At ex benignitate Ecclesiae videtur indultum, ut etiam baptismus adultis, confirmatio, et poenitentia sanis ministretur, et matrimonium sine solemnitate nuptiali contrahatur, quod secundum consuetudinem Rom. Ecclesiae omni tempore contrahi potest, *c.* 4. *de feriis.* Ordo vero, Eucharistia sanis, et extrema Unctio moribundis non sunt ministranda, nisi aeger aliud sacramentum recipere nequiret: tunc enim extreme ungi potest, ut ex attrito fiat contritus.

75. Q. III. *Quomodo, et quos obliget cessatio a divinis?* R. 1. Obligat sub mortali directe clericos, et indirecte laicos: quia est praeceptum ecclesiasticum in materia gravi: ejus tamen violatoribus non est certa poena a jure taxata, exceptis religiosis, et exemptis, qui violantes cessationem generalem quae a matrice Ecclesia observatur, ipso facto excommunicantur. *Clem.* 1. *h. t.* quam confirmat Trid.

sess. 25. *c.* 12. *de regg.* 2. Dans causam cessationi legitime indictae tenetur reparare omnia damna inde consequentia; ut compensare distributiones, et stipendia, quae clerici ex missis, et aliis div. officiis acquisivissent etc. item condemnari potest ad aliquam quantitatem Ecclesiae applicandam, *c.* 2. *et* 8. *de off. Ord. in* 6.

76. Q. IV. *Quomodo tollatur cessatio?* R. 1. Relaxatione ejus, qui eam tulit, vel qui simili potestate praeditus est. 2. Tacite tollitur, si partes intra mensem inter se non componant circa cessationem: et quidem si indicens per se, vel per procuratorem negotium hoc intra mensem non referat ad judicium Papae, statim tollitur cessatio, ne per eam Ecclesia gravetur, *c.* 8. *de off. ord. in* 6. Si vero pars, quae causam dedit cessationi, Romae non compareat, per hoc non liberatur, neque cessatio tollitur, ne ex contumacia sua commodum reportet, sed ipse tenetur relaxationem cessationis petere ab illo, qui eam indixit. De materia censurarum, praeter Canonistas, consule Salmantic. *tract.* 10. *de censuris.*

TITULUS XL.

De Verborum significatione.

Agitur de hac in Sexto, Clement. et Extrav. Joan. XXII. *h. t.* et amplissime in Pandectis *eod. tit. et lib.* 34. *tit.* 5. in Codice *lib.* 6. *tit.* 38.

1. Compilator noster ad imitationem Pandectarum concludit jus canon. duobus generalibus titulis, scil. de *V. S.* et *R. J.* quorum materia per totum jus vagatur, ut vidimus in singulis anterioribus titulis.

2. Q. I. *Quid et quotuplex sit verborum significatio?* R. 1. Est legitima acceptio vocum pro eo, pro quo substituuntur, Dic. *legitima*, quia verba in jure non sunt intelligenda praecise grammatice, seu litteraliter, et *dialectice*, seu philosophice, sed potissimum secundum leges, et regulas communiter a DD. receptas. *Dicitur* 2. *pro eo*, hoc est, pro re, quam verba, seu voces significant secundum mentem legislatoris.

3. R. 2. Verborum significatio est varia: *Propria*, quam verba habent ex prima institutione. 2. *Usualis*, seu *consuetudinaria*, quam verba habent non ex prima institutione, sed ex moderno usu, ut lex, canon., Imperator pro rege, aut principe, haeresis, usura etc. 3. *Abusiva*, seu *vulgaris*, quam verba habent ex vulgi acceptione contra communem usum: ut servus pro famulo conductitio, parens pro vitrico etc. 4. *Impropria*, seu *metaphorica*, quam verba habent ex similitudine, 5. *civiles*, seu *juridica* quam verba habent ex impositione juris, seu legislatoris; sicut arrogatus dicitur filius, servus, aut religiosus mortuus, aut capite minutus: cujusmodi significationes plurimae sunt in utroque jure.

4. Q. II. *Quae sint regulae significationis verborum?* R. 1. Generales coincidunt cum illis, quas dedi pro interpretatione legum, privilegiorum, et dispensationum *tit. de Const. a. n.* 39. verbi gratia, accipienda sunt in sensu proprio, secundum mentem le-

gislatoris, conformiter motivo, seu causae finali, eum effectu, ut aliquid operentur, generalia generaliter, odiosa stricte, favorabilia ample, dubia, et obscura, ut quam minime obligent; vel ut minime recedant a jure antiquiori claro etc. Ipsae regulae utriusque juris docebunt te generalia principia interpretandi significationes verborum.

R. 2. Regulae particulares, quid quaelibet vox in sensu juris significet, traduntur *h. t.* et in juribus supra allegatis, et magis lectione, quam interpretatione indigent: sic *novale* in jure can. significat agrum, nunc primum ad culturam redactum: *pater* omnes ascendentes, natus mox mortuus, quasi non sit natus *cap.* 1. 2. 3. *h. t.* Cetera leges in ipsis capitulis, ubi etiam in 6. Clem. et Extrav. Joann. XXII. reperies declarationem regulae Sancti Francisci Patriarchae Minorum. Percurre etiam *titul. ff. de V. S.* qui ad notitiam juris maxime est necessarius. De significatione clausularum, quae in Constitut. pontificiis poni solent, sparsim hinc inde diximus, et videri potest Barbosa tract. de clausulis.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

Agitur de his in Sexto, et Pandect. *cod. tit. ult.* 1. *Nota* 1. *Regulam*, a regendo dictam, definiri, quod sit sententia, *quae rem, quae est, breviter enarrat l.* 1. *ff. h. t.* seu quae jus praexistens summarie refert. Aliter vocatur: *Canon, definitio, maxima, axioma:* non enim ex regula fit jus, puta novum, sed ex jure praeexistente facta est regula *cit. l.* 1. Sic quia §. 3. *Inst. de usucap. c.* 5. *et fin. de praescr.* et alibi frequenter dicitur bonam fidem requiri ad usucapionem, inde nata est *reg.* 2. *in* 6. *possessor. malae fidei ullo tempore non praescribit.* Et sic in ceteris regulis discurrendum.

2. *Nota* 2. Regulas dividi in *authenticas*, quae auctoritate legislatoris nituntur, uti Regulae Gregorianae, in Sexto, et Pandectis *h. t. et doctrinales*, seu *Brocardicas*, quae a Doctoribus privatis instar axiomatum inventae, et usurpatae sunt. *Authenticae* vim juris obtinent, et fundant intentionem allegantis, donec adversarius casum a regula exceptum ostendat. Frequenter tamen fallunt; et ideo nulla regula sine exceptione. *Brocardicae* non faciunt jus, nec fundant intentionem allegantis, sed probabiliter, si materia subjecta patitur, admitti solent; alioquin plurimas exceptiones habent, v. g. *ubi est eadem ratio, eadem est juris dispositio, connexorum eadem est ratio, et idem jus. Tacitum idem operatur, quod expressum. Spoliatus ante omnia restituendus est.* etc. Rursum Regulae authenticae, vel sunt *generalissimae* vagantes per omnem materiam, v. g. *omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* vel sunt generales in certa materia, v. gr. *beneficii ecclesiastici, juramenti etc.*

3. *Nota* 3. Exceptionis a regula

tres esse praecipuos effectus. 1. *Exceptio non ampliat, sed restringit regulam:* nam universalitas ipsius deficit respectu casus excepti: et per hoc, quod aliquid regulae detrahatur, non sequitur, regulam debere extendi ultra proprietatem suorum verborum. 2. *Exceptio declarat regulam;* nam ex qualitate exceptionis apparet, de quo genere regula disponat. 3. *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis,* hoc est, quod casus, qui excepti non reperiuntur, censeantur comprehensi sub regula. His praejactis, breviter attingam regulas juris canon: idque propter tyrones juris, quibus suadetur ab initio condiscere easdem regulas, alioquin plena regularum notitia praerequirit notitiam totius juris. Fuse has regulas explicat Glossa Magna, Aug. Barb. et alii.

Regulae in Decretalibus antiquis, seu Gregorianis sunt XI.

4. I. *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ex reg.* 36. *ff. Nihil tam naturale est, quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est.* Valet in contractibus, et obligationibus temporalibus a voluntate contrahentium dependentibus, *reg.* 36. 100. 153. *ff.* Fallit 1. In his, quae sunt juris divini; ut matrimonium, et cetera sacramenta, juramenta, vota. 2. In translatione Episcoporum, absolutione censurarum; quia saepe ligat, qui solvere non potest, et solvit, qui ligare non potuit. Sic Archiepiscopus potest suum suffraganeum alligare Ecclesiae, non tamen solvere *c.* 2. *et fin. de translat.* et regularis confessarius potest a multis censuris absolvere; non tamen his ligare etc.

II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent, ex cap.* 2. *h. t. et reg.* 30. *in* 6. *et reg.* 9. *ff. semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Valet in actibus indifferentibus; et ex genere suo permissis, et in his, quae sunt securiora; sicut in dubio securius est reum absolvere, quam condemnare *c.* 6. *in fin. de fide instrum.* Fallit in delictis, et actibus ex genere suo malis, qui praesumuntur dolo malo fieri, donec contrarium probetur, *l.* 15. §. 38. *ff. de injur.*

III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Reg. procedit de veritate bonae vitae; quia non licet peccare ad evitandum scandalum. At veritas justitiae vindicativae, et disciplinae, seu rigor in puniendo quandoque omitti potest, ne scandalum oriatur; et ideo permittuntur minora mala ad majora praecavenda *c.* 23. *etsi* 1. *q.* 7. *et Can.* 25. *d.* 50. etc. Gloss.

IV. *Quod non est licitum in lege necessitas facit licitum:* nam necessitas non habet legem, *c.* 2. *in fin. de observ. jejun.* Valet in lege positiva, praesertim humana; fallit in lege naturali, et quoties lex positiva violanda esset in contemptum potestatis Ecclesiae *c.* 5. *de his, quae vi.*

V. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla*

Digitized by Google

debet stabilitate subsistere: nam clam, per vim, vel alias illicite facta, sicut non obligant, ita non debent permanere; cum contra jus, vel sint irrita, vel irritanda. Fallit in his, quae fieri prohibentur, et facta tenent.

VI. ***In ipso causae initio non est a quaestionibus,*** seu tormentis, et torturis ***inchoandum*** *ex l. 1. ff. de qq. l. 8. §. 1. C. eod.* nam ante tormenta, seu torturam praecedere debet semiplena probatio, seu praesumptiones sufficientes. Reus tamen, si suspectus sit de fuga, ab initio incarcerari potest custodiae causa.

VII. ***Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent:*** nam violatores rei, ***loci, et personae,*** quae sacra sunt, sacrilegium committunt, et jus publicum consistens in sacris, et sacerdotibus offendunt, *Can. 11. d. 1. ex l. 1. §. 2. ff. de J. et J.*

VIII. ***Qui ex timore facit praeceptum, aliter quam debeat, facit; et ideo jam non facit.*** Procedit de timore serviliter servili, non filiali, aut concepto ex motivo honesto, maxime supernaturali.

IX. ***Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus,*** *ex Jacob. 2. et Can. fin. de poenit. d. 5.* Fit omnium reus, ratione finis; quia etiam unum peccatum lethale impedit gratiam, et vitam aeternam; non tamen fit reus omnium ratione malitiae, et poenae.

X. ***Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit.*** Reg. procedit de Episcopis, et aliis praepositis animarum, de quorum manibus sanguis subditorum requiritur. Ignorantia eos non excusat; quia plerumque supina est, cum praelatorum sit inquirere in delicta subditorum, Gloss.

XI. ***Indignum est, et a romanae Ecclesiae consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur:*** nam imponere pro spiritualibus onus ***homagii,*** seu juramenti fidelitatis a vasallis in feudo Ligio praestari soliti, est manifesta simonia, cum detur spirituale pro temporali. At juramentum obedientiae, quod Episcopi, et alii praelati praestant Sedi apostolicae, honestum est, necessarium hodie, et in Ecclesia usitatum, *Can. 1. et 4. d. 100. c. 4. de elect. etc.*

Regulae in Sexto Decretalium sunt LXXXVIII.

Decas I.

5. I. ***Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri.*** Valet de beneficio in titulum obtento: fallit in beneficio obtento jure proprietatis, et administrationis, et quo ad proventus ecclesiasticos ex certa causa acquisitos etiam per praescriptionem *cap. de jure patron. Can. 66. quicumque 12. quaest. 2. et Can. 91. possessione 16. quaest. 1. et Can. 12. si Episcopus 16. quaest. 3. etc. Dices:* jus eligendi, et praesentandi acquiri potest praescriptione *cap. 55. de elect.* ergo etiam jus beneficii. R. Neg. con-

sequ. nam electio, et praesentatio fieri potest nostris actibus; et ideo jus eligendi, aut praesentandi subest praescriptioni: e contra institutio in titulo beneficii fit actibus alienis scilicet superioris legitimi; et ideo non substat praescriptioni, nisi conformiter regulae 36. Cancellar. Apostol. de triennali possessione; vel eo modo, quo Praelatus alter contra alterum praescribit jus alios instituendi, *cap.* 18. *de praescript.*

II. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* ex *cap.* 5. *et fin. de praescr.* Haec reg. corrigit jus civ. quo ad continuationem possessionis non requiritur bona fides, neque ad praescriptionem longissimi temporis 30. vel 40. annor. *Inst. de usucap. l.* 7. *C. de praescr.* 30. Nec obstat *reg.* 74. *in* 6. nam procedit de actu perfecto, et completo, non vero inchoato, sicut inchoatur possessio ad usucapionem.

III. *Sine possessione praescriptio non procedit.* Nomine possessionis venit etiam quasi possessio in rebus incorporalibus, seu juribus, *cap.* 19. *de jurepatr.* Unde quia laicus non est capax possidendi spiritualia, ideo praescribere nequit jus eligendi, instituendi, confirmandi clericos; bene vero jus patronatus, seu praesentandi, ad quod laici generaliter a jure habilitati sunt.

IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* S. Aug. in *Can.* 1. 14. *q.* 6. Reg. procedit de omni laesione reparanda, saltem in proposito, seu affectu, si nequeat in effectu.

V. *Peccati venia non datur, nisi correcto* ex *Can.* 2. *q.* 2. in temporalibus saepe poena dissimulatur, ne majus malum sequatur.

VI. *Nemo potest ad impossibile obligari* ex *reg.* 185. *ff. impossibilium nulla obligatio est*, sive quid sit impossibile *ex natura*, ut hominem volare, sive impossibile *de facto*, ut a mendico dari decies mille aureos, sive impossibile *de jure* seu turpe contra jus divinum, aut humanum, ut obligari ad furandum, fornicandum etc. *Nam quae contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est l.* 15. *ff. de condit. istitut.*

VII. *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.* At privilegium reale inhaerens castro, communitati, dignitati, vel alteri rei transit ad successores ex *reg.* 196. *ff. Privilegia quaedam causae sunt*, seu rei, *quaedam personae: et ideo quaedam ad haeredem transmittuntur, quae causae sunt; quae personae sunt ad haeredem non transeunt.* Sic quia privilegium, seu jus pallii archiepiscopalis personale est, non transit ad successorem, *c.* 2. *de auctor. et usu pall.* idem dic de privilegio competentiae, dotis, et de privilegiis, quae Episcopi pro sua persona solent impetrare a Sede Apost.

VIII. *Semel malus, semper praesumitur malus* ex *Can.* 14. *parvuli* 22. *q.* 5. Praesumptio ista juris est in eodem genere; quia ex malo fieri bonum, est facti, adeoque probari debet ad elidendam praesumptionem. Si autem delictum non praecedat, quilibet praesumitur bonus, donec probetur malus.

IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum, l. 6. §. 6. ff. de negot. gest.* Reg. ista procedit 1. in *delictis*, quae non potest aliquis rata habere, si ejus nomine non sunt gesta: et ideo, v. g. Titius non incurrit excommunicationem Canonis, si approbavit factum Caji, qui suo, et non nomine Titii clericum verberavit, *c. 23. de sent. excom. in* 6. 2. In obligationibus et praejudiciis seu rebus odiosis: et ideo qui gessit negotia filii mei peculiaria, non meo, sed filii nomine, non obligor ei in solidum, sed peculiotenus, *cit. l.* 6. §. 6. etsi negotiorum gestionem comprobaverim. Fallit regula ista 1. in *novo consensu* confirmante; sicut Superior, vel cujus interest, confirmare, seu consentire potest in factum alterius, quod alias vires non haberet, *Can. fin.* 9. *q.* 2. ubi Episcopus dispensative consentit in executionem ordinum, quos clerici ab alieno Episcopo susceperunt, et *c.* 3. *de his, quae a Praelat.* ubi convalidatur alienatio a Praelato facta, si capitulum, superveniente consensu, eam ratam habuit, *etc.* 28. *de elect.* subsistit electio, si Canonicus spretus ei consentit, et *l.* 7. §. *pen. ff. ad SC. Maced.* consensu, et solutione patris confirmatur mutuum in pecunia a filio acceptum etc. 2. Fallit in eo. ex quo jactura rei meae sequeretur nisi factum ratum haberem ex *l.* 2. §. *fin. ff. depositi l.* 20. *pr. ff. de pignorat. action. l.* 3. *C. de rei vind.* maxime, si aequitas id suadeat; ut si res mea, non meo nomine vendita, periit apud emptorem; tunc enim ratificare possum venditionem, ut pretium ab emptore obtineam, *l.* 9. *ff. de negot. gestis.*

X. *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.* Ne regula ista directe contrarietur priori, supplenda est, ut ratihabitio tunc mandato comparetur, dum quod ratum habeo, nomine meu gestum est, Gloss hic. et Gothofr. *l.* 60. *ff. de reg. jur. n.* 25. Valet reg. ista: 1. In *judiciis*, re quasi integra manente: ut si dominus ratam habeat contestationem litis a falso procuratore factam, vel positiones, aut responsiones suo consensu datas, *l.* 56. *ff. de judic. c. fin. in fin. de jurej. in* 6. 2. In *contractibus l.* 6. *pr.* §. 1. *et seqq. ff. de negot. gestis l.* 9. *C. eod. etc.* an vero in tali casu gerenti negotium meum, a me ratificatum, competat actio *mandati*, vel *negotiorum gestorum*, in effectu nihil differt, quia utraquo actio ad idem tendit. 3. In *maleficiis*, seu delictis, saltem in quibus jus ratihabitionem pro mandato habet, *reg.* 152. §. 2. *ff. in maleficio ratihabitio mandato comparatur.* Sic ratam habens percussionem clerici nomine suo factam, excommunicatur, *c.* 23. *pr. de sentent. excom. in* 6. non tamen fit irregularis; quia id in jure non reperitur. Item ratam habens dejectionem tenetur interdicto *Unde vi. l.* 1. §. 14. *ff. de vi armat.* Sed fallit regula ista in multis: 1. Si ratihabitio sit in praejudicium, et contra jus quaesitum tertii, ut si dominus ratificaret gesta procuratoris falsi in judicio vincentis: nam exceptio falsi procuratoris opponi potest etiam post sententiam *l.* 24. *C. de probat. l.* 1. *pr.*

ff. quae sent. sine appell. Secus si ratificatio solum praejudicium ratificantis contineat *l. fin. C. ad SC. Maced. l.* 5. *§. un. ff. ratam rem haberi etc.* 2. Si mandatum, vel auctoritas per modum formae ab initio requiratur, *l.* 25. *§.* 3. *ff. de acq. haered. reg.* 29. *ff. et reg. non firmatur in* 6. 3. Si principalis natura impeditus fuit ad dandum mandatum, sicut infans, furiosus. Unde infans adultus factus ratificando homicidium nomine suo factum, non censetur mandasse homicidium; quia hoc ei erat per naturam impossibile. 4. Fallit in rescriptis justitiae ad evitandas multas fraudes *c.* 28. *in fin. de rescript.* 5. Fallit in plerisque delictis, ut L. Corneliae de sicar. de falsis etc. nisi delicta essent pendentia, et ratificans concurreret ad eorum executionem: secus non video, quomodo fictio a jure non expressa locum habeat in criminalibus.

Decas II.

XI. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori, ex reg.* 125. *ff. Favorabiliores rei potius, quam actores, habentur.* Exempla habes *Can.* 13. *indicat* 3. *q.* 9. *et c.* 6. *ad fin. de fide instrum. etc.* Excipe, nisi actor persequatur causam favorabilem libertatis, matrimonii, dotis, et testamenti, *cap.* 3. *de probat. l. ante poen. ff. de manumissionib. et Canon.* 3. *si quis* 33. *q.* 1. *etc.*

XII. *In judiciis non est acceptio personarum habenda, ex Can. fin.* 3. *q.* 9. *et c.* 13. *de judic.* puta ut judex in sententiando recedat a justitia; cum hoc grave sit peccatum. At in ceteris, ut assurgendo, sedendo, poenam mitigando, saepe defertur dignitati, et personae, *Can.* 15. *non oportet dist.* 93. *et Can.* 1. *d.* 40. *et c.* 9. *de off. deleg. l.* 16. *§.* 3. *ff. de poenis etc.* Item in arbitrariis potest judex gratiosus esse, *c.* 24. *de offic. deleg. ne* tamen peccet contra *cap.* 1. *de sent. et re jud. in* 6.

XIII. *Ignorantia facti non juris excusat. l.* 2. 4. 7. 9. *ff. et l.* 2. 3. 10. 12. *C. de J. et F. Ignor.* Facti ignorantia, dum quis sciendo legem ignorat, quid agatur, v. g. minorem esse, cum quo contrahit, excusat, quia facta, cum sint innumera, etiam prudentissimos fallere possunt. Excipe, nisi factum notorium sit in vicinia *c.* 8. *de praesumpt.* vel ignorantia sit improbabilis, et culpabilis, sicut *Can.* 6. *in lectum* 34. *q.* 3. *l.* 36. *ff. famil. herciscund. tit. C. de haereditar. action.* At ignorantia juris, dum quis leges communes ignorat, non excusat agentem; quia leges scire debuit. Hinc ignorantia juris non prodest in usucapionibus, contractibus, et ultimis voluntatibus *l.* 4. *l.* 9. *pr. §.* 3. 5. *ff. de J. et F. Ignor. l.* 16. *C. de testam. Excipe* 1. Personas, in quibus toleratur ignorantia juris; uti sunt milites, rustici, pueri, foeminae, quibus ignorantia juris non nocet in dispendiis, seu in amittendo suum, non tamen prodest in compendiis, seu in lucrando, *l.* 7. 8. *ff. de J. et F. Ignor.* 2. *In omnibus juris error in damnis amittendae rei suae non nocet, cit. l.* 8. et

ideo ex ignorantia juris solvens indebitum, solutum condicere potest; quia *juris ignorantia suum petentibus non nocet*, *cit. l.* 7. Sed his legibus e diametro opponitur *l.* 10. *C. de J. et F. Ignor. l.* 9. *C. ad L. Falcid.* ubi negatur talis repetitio. *Concilia*, dicendo: priora jura Digestorum loqui secundum aequitatem naturalem, maxime pro foro interno, in quo nullus debet locupletari cum jactura alterius: leges vero ex Codice loqui secundum rigorem juris, et de condictione stricto jure competente: rigor autem iste non excludit implorationem nobilis officii judicis, praesertim ecclesiastici ratione peccati, ut declaravit Innocentius III. cap. *Novit* 13. *de judiciis.*

XIV. *Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae causam censetur habere ex reg.* 42. *et* 156. §. 2. *ff.* Sic haeres rem defuncto commodatam, vel depositam, cogitans esse haereditariam, bona fide vendere potest, emptor eam usucapere, §. 4. *Instit. de usucapion.* nam de facto alieno justa est ignorantio. Valet reg. ista pro his, qui conveniuntur, non pro his, qui agunt; quia isti debent esse certi de jure suo, *citat. regul.* 42. *ff.*

XV. *Odia restringi, et favores convenit ampliari: et l.* 155. *in fin. ff. h. t. in poenalibus causis benignius interpretandum est.* Nomine odiorum veniunt hic poenae, obligationes, privilegia, et dispensationes, quae contrariantur juri communi, et juri tertii, uti et privilegia ambitiosa in beneficiis. Nomine *favorum* intelliguntur concessiones benevolae, quae nulli nocent, neque praejudicant, nisi concedenti. Nonnunquam odia amplianda sunt, si lex aliter non possit sortiri suum effectum *c.* 17. *de sent. excom. in* 6. et e contra favores restringendi, si incipiant esse noxii Ecclesiae, bono communi, disciplinae ecclesiasticae, et regulari, c. *pen. de cler. non resid.* c. 9. *de decimis etc.*

XVI. *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum:* nam sicut jura, ita et beneficia principum firma, et perpetua esse convenit; modo sint *gratiae factae, et non tantum faciendae c.* 36. *de praeb. in* 6. uno actu consummata, licet deinde causa cesset: secus si pendet a causa tractum successivum habente; ut si quis dispensaretur a recitando breviario ob studia, et labores, cessantibus studiis, et laboribus, cessat, vel suspenditur hoc privilegium. Plura de his vide *tit. de privil.*

XVII. *Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum*, puta ab inferiori. Sic Episcopo indulgetur, ut tribus mensibus per annum a sua dioecesi abesse possit, Trid. *Sess.* 23. c. 1. *de reform.* parocho, ut intra annum suscipiat presbyteratum *cap.* 14. *de elect. in* 6. mulieri, ut mortuo viro, statim intra tempora luctus nubere possit. c. *pen. et ult. de secund. nupt.* Similiter conceduntur tempora dilationum, solutionum, appellationum, et alia passim in jure. At conditor juris, vel ejus successor beneficia ista tollere, vel restringere potest: sic in multis casibus restringitur appellatio, privilegium aetatis, SCti Macedoniani etc.

XVIII. *Non firmatur tractu tempo-*

Digitized by Google

ris, quod de jure ab initio non subsistit, ex reg. 29. *ff. quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere: et reg. pen. ff. quae ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest.* Intellige, si res maneat in iisdem terminis, in quibus fuit ab initio: secus si illi adveniant omnia necessaria ad valorem. Solum ergo tempus ex actu invalido non facit validum; bene vero, si cetera necessaria cum tempore concurrant: quo sensu explicatur *Can.* 25. *principatus* 1. *q.* 1. *et c.* 9. *de rescript. in* 6. *c.* 29. *de praeb. in* 6. *l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* et e contra pro convalidatione actus stant. *l.* 27. *ff. de ritu nuptiar. l.* 6. *C. de nupt et Can.* 56. *si quis de rebus* 12. *q.* 2. *et Can. fin.* 16. *q.* 1. *et Can.* 3. *de his, quae fiunt a praelato, et Can.* 11. *de jure patr. et c.* 9. *de desponsat. impub.*

XIX. *Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet ex reg.* 36. *ff. culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti;* ut si clericus exerceat chirurgiam, vel ballistariam, et fortuito occidat aliquem; tunc enim non est sine culpa, *Can.* 37. *d.* 50. *cap.* 19. *de homicid. etc.* Non procedit ista regula, dum quis prudenter, et perite aliena negotia gerenda assumit; quia haec ad illum pertinent ex charitate, et officio, quod est inter hominem, et hominem *l.* 3. *C. de negot. gestis:* et ideo gerenti conceditur actio contraria negotiorum gestorum, *l.* 2. *ff. eod.*

XX. *Nullus pluribus uti defensionibus, seu exceptionibus prohibetur ex reg.* 43. *ff. et l.* 8. *de exc. nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversae sint,* nisi lex impediat, *cit. reg.* 43. *ff.* Sic conventus judicio noxali, et de pauperie, vel super numerata pecunia, et convictus de mendacio, absque alia exceptione tenetur in solidum, *l.* 21. §. 2. *ff. de noxal. actionib. l.* 1. §. 13. *ff. si quadrupes paup. auth. qui contra propriam, C. de non numer. pec.*

Decas III.

XXI. *Quod semel. placuit, amplius displicere non potest.* Valet haec regula in judice electo *Can.* 4. §. *offeratur* 3. *q.* 3. in praelato electo *Can.* 2. *dilectissimi* 8. *q.* 2. in matrimonio, professione religiosa, sacris Ordinibus, et in pluribus aliis. Fallit in iis, quae mutationem admittunt ex causa superveniente, vel de novo innotescente, *c.* 4. *de except. c.* 4. *de elect. in* 6. item si ex nova causa medicus, confessarius, parochus, removendi sint a suis officiis *l.* 11. §. 3. *ff. de munerib.* et in omnibus, in quibus jus admittit poenitentiam, et mutationem; ut in appellationibus, testamentis, praesentationibus in patrono laico, libello judiciali, mandato, societate, deposito, sententia interlocutoria, et pluribus aliis, quae Glossa hic fuse enumerat.

XXII. *Non debet aliquis alterius odio praegravari, ex reg.* 74. *ff. non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri:* nam delicta suos tenere debent auctores. Sic propter delictum

Digitized by Google

filii non excommunicatur pater, propter dolum compromissarii non puniuntur compromittentes, *Can.* 1. *si habes* 24. *q.* 3. *et c.* 37. *de elect. in* 6. Interdum ob atrocitatem delicti, vel aliam justam causam alius poena, vel defectu afficitur; sicut filii ob crimen haeresis, vel laesae majestatis a patre commissum: item in generali censura suspensionis, aut interdicti innocentes praegravantur, nati extra matrimonium illegitimitate notantur etc.

XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Sequitur reg. ista ex priori. Quandoque subest causa, cur quis sine culpa puniatur: sic maritus corruptae fit irregularis, parochus incidens in morbum, tenetur portionem aliquam dare coadjutori, dominus tenetur ex delicto servi etc.

XXIV. *Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse,* ex *reg.* 167. *in fin. ff.* Procedit de his, in quibus judex habet potestatem, secus non paretur ei citra dolum; ut si judex laicus praeciperet clericum verberari, reum extrahi ab Ecclesia, vasa sacra diripere etc. *Can. nemo* 7. *de poenit. d.* 1. *et c.* 17. §. *judices de elect. c.* 5. *in fin. de poen. etc.* tunc enim magis Deo, quam judici malum imperanti parendum est.

XXV. *Mora sua cuilibet est nociva,* ex *reg.* 173. *in fin. ff. unicuique sua mora nocet: quod et in duobus reis promittendi observatur.* Morosus debitor est, qui a die, vel homine interpellatus, et possibilitatem solvendi habens, non solvit, *l.* 5. *ff. de R. C.* Unde si post terminum solvendi res casu pereat, suo periculo perit in poenam morae culpabilis. Mora non purgatur, uti nec poena commissa, dum ab ipso jure, poenam imponente, dies praefigitur, sicut in *can.* 64. *longinquitate,* 12. *q.* 2. *et c.* 7. *de elect. c.* 4. *et fin. de supp. neglig. l.* 23. *ff. de O. et A. etc.* nisi jus permittat purgationem morae, et poenae evitationem, sicut *c.* 1. *dist.* 18. *Can.* 1. *d.* 100. *et c.* 6. *de reb. Eccl. l.* 8. *ff. si quis cautionib. etc.*

XXVI. *Ea, quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant judicium, viribus non subsistunt,* ex *reg.* 170. *ff. jactum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est:* nam talis judex, etsi bonum statuat, si tamen excedat limites suae potestatis, nihil agit, *Can.* 1. *d.* 96. ut si laicus favorabiliter disponeret de clericis, vel Ecclesiis. Si tamen jura, et facta principum laicorum recepta, et canonizata sunt a jure pontificio, valent.

XXVII. *Scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus,* ex *reg.* 145. *ff. nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, et consentiunt.* Procedit in rebus, et juribus privatis, quibus aliquis cedere potest, non in jure publico, quod *privatorum pactis mutari non potest, l.* 38. *ff. de pact.* Sic clericus consentire nequit in violationem sui fori, canonis, competentiae etc. maritus in violationem thori, religiosus, pupillus, minor in alienationem rerum suarum. *Dices:* Christus, et SS. Martyres voluntarie consenserunt in mortem suam,

Digitized by Google

et tamen facta est eis injuria a Tyrannis. R. Dist. ant. consenserunt, conformando se voluntati, et charitati divina, conc. ant. transferendo jus necis in Tyrannos, neg. ant.

XXVIII. *Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, ex *reg.* 141. *ff. quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia: et reg.* 162. *quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.* Sic privilegium praesentandi laicis concessum non debet trahi ad jus investiendi, seu instituendi, eligendi, judicandi de rebus spiritualibus, *c.* 56. *de elect. c.* 3. *de judic.* Sic etiam privilegia Ecclesiis concessa non trahuntur ad res patrimoniales clericorum quoad formam alienandi, jus restitutionis in integrum etc.

XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Et quidem si omnes tangat ut universos sub nomine collegii, debet capitulariter ab omnibus, hoc est regulariter a majori parte approbari, *c.* 1. *de his, quae fiunt a major.* si vero omnes tangat ut singulos, requiritur singulorum consensus; cum jure suo nemo cedere teneatur *Can.* 1. *d.* 54. *l. fin. v. sed haec, C. de author. praestand. l.* 39. *ff. de adopt.*

XXX. *In obscuris minimum est sequendum*, ex *reg.* 9. *ff. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur: et reg.* 56. *ff. semper in dubiis benigniora praeferenda sunt: et reg.* 168. *ff. rapienda occasio est, quae praebet benignius responsum: et reg.* 192. *in fin. ff. in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* Si non apparet, quid determinatum sit, neque id ex consuetudine, aut circumstantiis colligatur, tunc minima obligatio, minima poena, minima mensura, vel aliud quid minimum in *quantitatibus* determinandum est, *c.* 18. *de cens. l.* 75. *ff. de leg.* 5. At in *speciebus*, seu *corporibus* mediocritas spectatur, praesertim si electio sit penes creditorem, qui, v. g. ex equis non eliget optimum, nec pessimum, sed civiliter illum, qui inter eos mediat *can.* 2. *hoc jus* 19. *q.* 2. *et c.* 1. *de Off. Custod. l.* 37. *ff. delegat.* 1. *l.* 31. *de auro arg.*

Decas IV.

XXXI. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* Sic canonici certi de morte Praelati, non sunt de ea certiorandi; bene vero vocandi ad diem electionis. Item quisque praesumitur esse certus de eo, quod publice notum est, cum hoc non sit necesse singulorum auribus intimare, *c. de postulat.* Qui certus est ut homo, saepe certiorari debet ut judex, vel ad majorem cautelam *Can.* 18. *multi* 2. *q.* 1. *et c. fin. d.* 11.

XXXII. *Non licet actori quod reo licitum non existit*, ex *reg.* 41. *ff. non debet actori licere, quod reo non permittitur.* Sic appellatio negata reo, etiam negatur actori *c. fin. de mutuis petit.* At reo plura conceduntur, quam actori, ut majores dilationes etc.

XXXIII. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, ex *reg.* 75. *ff. nemo potest mutare consilium in alterius injuriam.* Sic canonici voluntatem mutare nequeunt in praejudicium electi, *c.* 53. *de elect.* nec socius in re communi in praejudicium socii, venditor in praejudicium emptoris etc. At si juri quaesito alterius non praejudicatur, licet mutare consilium; ut in postulando, praesentando ad beneficium etc.

XXXIV. *Generi speciem derogatur*, ex *reg.* 80. *ff. in toto jure generi per speciem derogatur: et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.* Sic rescripta specialia de hoc beneficio, de hac decima, derogant *generalibus, c.* 1. *de resc.* Similis derogatio fieri potest in legibus, contractibus, legatis, substitutionibus etc. Huic videtur adversari *reg.* 147. *ff. semper specialia generalibus insunt Can.* 19. *non aestimemus* 13. *q.* 2. *l. fin.* §. 1. *ff. quae in fraud. cred. l.* 45. *ff. de leg.* 3. Sed hoc procedit in ordinariis casibus; non vero extraordinariis, quae speciali mentione opus habent; sic enim dispensatus ad ordines, vel ad dignitates, non censetur dispensatus ad ordines majores, sed minores, nec ad episcopatum, sed inferiorem dignitatem, et filiusf. cui concessum est donare, non potest donare mortis causa, *pr. Inst. de donation:* saepe enim ex materia subjecta genus restringitur ad speciem certam.

XXXV. *Plus semper in se continet, quod est minus*, ex *reg.* 110. *ff. in eo, quod plus sit, semper inest et minus.* Valet in quantitatibus, quia major includit minorem, *Can.* 41. *si quis dederit* 24. *q.* 1. ubi ex numero decem, septem, et quinque, approbatur poenitentia quinque annorum, quia quinarius inest denario, et septenario. Idem servatur in sententia arbitrorum *c.* 1. *de arbitr.* in 6. Fallit reg. ista in generalibus, quae non semper continent omnes species, ut in reg. superiori dictum, *c.* 16. *de praebend.* item in qualitatibus disparatis: sic enim ex eo, quod si bonus jurista, non sequitur te esse bonum rhetorem: item in mandatis, ubi forma diligenter observari debet, ne plus, aut minus fiat.

XXXVI. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere*, ex *reg.* 131. *ff. qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est*, seu quia dolus rem ipsam repraesentat, acsi hic, et nunc possideretur. Idem habetur in *reg.* 150. *et* 157. §. 1. *ff.* atque ita jus fingit aliquem possidere, qui non possidet, v. g. Titius Cajo abstulit vestem, et ne forsan cogeretur eam restituere, vendidit illam cuidam peregrino: in hoc casu Cajus contra Titium agere potest actione ad exibendum, et reivindicatione, acsi Titius vestem possideret, cum dolus sit loco vestis. In effectu autem, si res ipsa restitui nequeat, actio ista est condictio ad aestimationem, ut Titius tantum praestet. quantum vestis aestimatur. Exempla habes §. 2. *Inst. quibus alienar. l.* 22. *l.* 7. §. 3. *ff. de R. V. e.* 3. *ut. lit. pendente etc.*

XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari: et reg.* 94. *ff. non so-*

lent, quae abundant, vitiare scripturas, quia cautela abundans non nocet. Procedit in his, quae divisionem, discretionem, et separationem admittunt. Sic rescriptum, testamentum, aut legatum valere potest in uno capitulo, et non in altero separato, *Auth. ex causa, C. de liber. praeter. l. 16. §. 1. ff. de legat. 1.* Sic etiam *cap. 19. de praebend.* approbatur sententia in uno, et reprobatur in altero. Item donatio, fidejussio, promissio dotis, valet quoad summam legitimam, corruit vero quoad excessum. Fallit reg. ista, si utile, et inutile sint contraria, inseparabilia, et vitium in re contineant, seu substantialem errorem *l. 1. §. Trebatius ff. de qua quotid. l. 34. pr. ff. de legat. 1. et l. 1. §. sed si mihi ff. V. O. etc.*

XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit oppugnare.* Impugnasti testamentum, non capies ex eo legatum, *l. 8. §. 14. ff. de inoff. test.* Excipe, nisi quis ex officio suo teneatur oppugnare: tunc enim ut privata persona fructum capere potest ex re oppugnata, *l. 17. ff. de judic. l. fin. ff. de postul. l. 26 C. de administr. tutor. Can. 2. §. item si contra patrem 3. q. 7. etc.*

XXXIX. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo.* Sic in quadragesima, prohibito esu carnium, prohibentur ova, et lacticinia, quae trahunt originem sementinam ex carne, *Can. 6. d. 4.* et privatus officio, privatur etiam beneficio, quod datur propter officium *Can. 18. d. 81.* et prohibito dominio religiosis, prohibetur quoque donatio, commutatio, venditio rerum ad usum concessarum etc. Excipe ea, quae fieri prohibentur, sed facta tenent, effectusque ex illis sequentes sunt boni: sic enim contrahens cum altera de praesenti, licite utitur matrimonio, non obstantibus prioribus sponsalibus de futuro. Haec reg. ampliatur ad antecedentia: *Aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud.* Gloss. quia cessante fine, cessant media ad illud. Unde cui prohibetur matrimonium, vel ordo, etiam ei prohibentur sponsalia, vel prima tonsura.

XL. *Pluralis locutio duorum numero est contenta:* puta si determinatus numerus non exprimatur. Sic dualitas sufficit, dum dicitur missam fieri coram pluribus, de pluribus martyribus, testimonium esse plurium, libertatem concedi post annos etc. *Can. hoc quoque 6. de consecr. d. 1. et Can. 4. §. ubi numerus 4 q. 3. l. 12. ff. de testib. l. 17. §. fin. ff. de manumiss. vindict.* In odiosis, et ambitiosis numerus pluralis restringendus est ad duo, v. g. si quis dispensetur ad plures praebendas, vel dignitates, censetur tantum ad duas dispensatus, *c. 19. v. si vero de praeb. in 6.* Aliquando numero plurali venit singularis *pr. Inst. de vi bonor. rapt.* ibi; *etiamsi quis unam rem, licet minimam, rapuerit:* item in pronominibus *nos*, *vos* etc. sicut Papa, et principes his utuntur in plurali. E contra numero

singulari venit quandoque pluralis, ut filio meo tutorem do, hoc est, omnibus filiis *l.* 16. §. 1. *ff. de testam. tutel.*

Decas V.

XLI. ***Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum faciendum erat.*** Reg. procedit de imputatione ad poenam, vel amissionem juris proprii, ut si per te non stet, quod intra annum appellationem non prosequaris, non solvas intra terminum, quia creditor non comparet etc. *Can.* 28. *anteriorum* 2. *q.* 6. *et c.* 35. *de elect. in* 6. ibi: *annus autem*, quia impedito tempus non currit. Fallit reg. ista in lucris, et favoribus conditionatis, si per se pendeant ab eventu conditionis, v. g. qui hodie missam pro defuncto dixerit, aureum accipiet etc.

XLII. ***Accessorium naturam sequi congruit principalis***, ex *reg.* 129. §. 1. *ff. cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent: et reg.* 178. ubi additur particula restrictiva *plerumque. Cum principalis causa non consistit. plerumque ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent.* Sic ubi non subsistit matrimonium, nec ibi est dos, *c.* 3. *de donat. in* V. *et U.* item potestas executiva gratiae *factae* non expirat morte concedentis; bene vero gratiae *faciendae;* qnia in priori casu potestas est accessoria; in altero vero principalis, *c.* 9. *de off. deleg. in* 6. *c.* 36. *de Praeb. in* 6. Fallit. reg. in his, in quibus ob specialem rationem valet, et sustinetur accessorium, licet deficiat principale; ut juramentum super usuris solvendis vel alienando fundo dotali. Item sustinentur legata, maxime pia, etsi testamentum sit invalidum ex causa praeteritionis, aut exheredationis, *nov.* 115. *c.* 3. *in fin. auth. liberi de Episc. audient.* Vide hic Gloss.

XLIII. ***Qui tacet consentire videtur: et*** 44. ***Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur***, ex *reg.* 142. *ff. qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare.* Ex variis conciliationibus DD. hae magis placent: 1. Tacens consentire videtur in meris favorabilibus, quae nullum onus, et gravamen tacenti afferunt: nam quisque praesumitur velle suum bonum. 2. Tacens non videtur consentire in favorabilibus, quae onus annexum habent; ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus, electionibus, collationibus etc. 3. Tacens in odiosis, et sibi praejudiciosis regulariter non videtur consentire, *l.* 8. §. 1. *ff. de procurator.* ibi: *invitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur.* 4. Tacens in odiosis, dum potest, et debet contradicere, et non contradicit, habetur pro consentiente, et confitente; ut si legitime jussus a judice non respondeat, *c.* 2. *pr. de confess. in* 6. *l.* 1. §. *qui tacuit. ff. de interrog. in jur. fac.* item si Parochus praesens non contradicat alteri Sacerdoti volenti baptizare, assistere matrimonio: tunc enim censetur consentire; uti et Praelatus regularis in

his, quae scit, et videt, et non contradicit. At si tacens, qui deberet contradicere, facile non potest prohibere, et cum effectu contradicere, non censetur consentire, sicut Papa, Episcopi, et Praelati regulares multa per patientiam tolerant, ne majora mala sequantur, non tamen censentur consentire. Hoc sensu procedit *reg.* 50. *ff. culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest; et reg.* 109. *nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.*

XLV. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit, ex reg.* 114. *ff. in obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.* Haec reg. supplet superiorem *reg.* 30. *in obscuris minimum est sequendum:* et plerumque procedit de factis, prout communiter fieri solent. Sic votum, matrimonium, sponsalia, delicta praesumuntur animo deliberato facta fuisse, et filius in dubio non censetur ingratus fuisse etc. *Can.* 3. *si quis* 33. *d.* 1. *c.* 6 *de fide instr. auth. non liceat C. de inoff. test.*

XLVI. *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet, ex reg.* 177. *ff. qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet, et reg.* 175. *in fin. non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.* Regula ista innuit, quod jura activa, et passiva ratione rei, contractus, maleficii, voti realis transeant in successorem universalem, et quod potuit, vel debuit antecessor, idem possit, et debeat successor, seu haeres, *reg.* 59. *ff.* At successor singularis succedit plerumque in sola jura realia rei cohaerentia, non vero personalia, nisi id aliunde colligatur: sic enim venditor actione personali obligatur primo emptori, cui rem non tradidit, non tamen secundus emptor, cui res tradita fuit, ita obligatur. Poenae corporales ex maleficio non transeunt in haeredem; damna vero a defuncto causata reparari debent, praesertim de jure Can. *c. fin. de sepult.*

XLVII. *Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Regula procedit circa facta contingentia, quae quis scire non tenetur; ut si percutias clericum non vestitum habitu clericali, *c.* 4. *de sent. excom.* At contra circa jura, et leges, circa notoria, et publica, et circa ea, quae quis scire, et indagare tenetur, praesumitur scientia, ubi ignorantia non probatur, *Can. fin. d.* 16. *Can.* 108. *si qui a simoniacis* 1. *q.* 1. *et c.* 1. *de postulat. etc.*

XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injura, vel jactura,* ex *reg.* 206. *ff. jure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento, et injuria fieri locupletiorem.* Sic pupillus, et minor tenentur ex contractu, si locupletiores facti sint, *l.* 1. *ff. de auctor. tut.* indebitum solutum condicitur, *tit. ff. de condict. indeb.* Excipe, nisi jus ex justis causis concedat locupletationem, sicut in usucapionibus.

XLIX. *In poenis benignior interpretatio facienda est,* ex *reg.* 155. §.

2. *ff.* Sic doctor privatus collegio sine determinatione temporis, non censetur perpetuo privatus *c.* 11. *de Constit.*

L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem, ex reg.* 77. *ff. actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, velut mancipatio, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem.* Regula ista, omissis variis interpretationibus, procedit de illis actibus, quibus ex natura rei, vel ex dispositione juris adversatur conditio, aut dies; uti sunt emancipatio, acceptilatio, haereditatis aditio, servi optio, seu electio, in qua legatarius variare non potest, datio tutoris, scilicet per judicem facienda *cit. regul.* 77. quibus tamen actibus tacita conditio non obest, v. gr. ut filius sit emancipatus, donec ei placuerit in potestatem redire etc. In jure Can. sunt Sacramenta, baptismus etc. excepto matrimonio, quod conditionem recipit, modo non sit adversa substantiae matrimonii *c. fin. de condition. appos.* item sacramentalia, ut consecratio Ecclesiae, calicum etc. Praeterea electio, postulatio, collatio beneficii, et alii actus, quos Ecclesia vult esse puros, et absolutos.

Decas VI.

LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus hominum ulterius transferendum.* Sic religiosus, servus Ecclesiae donatus, calices, et alia sacra non sunt ad usus profanos retrahenda; nisi necessitas, et pietas aliud suadeat, v. g. ut calices confracti vendantur pro redemptione captivorum, victu pauperum *Can.* 70. *aurum* 12. *q.* 2. Sed hac regula non continentur possessiones Ecclesiae, quae ad emptores laicos trasire possunt.

LII. *Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum:* nam paria sunt non fieri, et fieri sine effectu. Sic matrimonium prius invalidum non obest secundo etc. Fallit reg. in his, in quibus de jure sufficit sola attentatio opere secuto: sic sacerdos suspensus invalide absolvens, fit irregularis, matrimonium contrahens excommunicatur, *Clem. un. de consag.* Similia habes *l.* 1. *pr. ff. et c.* 1. *de N. O. N. l.* 54. *pr. ff. de legat.* 1. *l.* 20. *ff. de adimend. legat. etc.*

LIII. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus ex reg.* 21. *ff. non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.* Regula ista procedit in juribus, et potestatibus subordinatis, quarum Superior per se continet inferiorem, non vero in juribus, et potestatibus disparatis. Sic sacerdos conficere potest Eucharistiam, quod est plus, non tamen ordinare clericos, aut Ecclesias consecrare, quod est minus. Item mulier bona sua alteri donare potest, non tamen fidejubere pro illo ex SCto Vellejano: haeres adire potest totam haereditatem, non tamen pro parte eam scindere ex *reg.* 7. *ff.*

LIV. *Qui prior est tempore, potior est jure, ex reg.* 98. *ff. quoties utriusque causa lucri ratio vertitur, is praeferendus est, cujus in lucrum*

causa tempore praecedit. Valet in pignoribus, et aliis contractibus, in data rescriptorum etc. Fallit, si superveniat fortior privilegiatus, ut providendus auctorictate Apostolica in Canonicatu, mulier cum dote respectu pupilli etc. item in testamentis, legibus, statutis posteriora potiora sunt prioribus, *l. fin. ff. de constitut. princip.*

LV. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra*, ex *reg.* 10. *ff. secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda*. Excipe, nisi quis privilegio eximatur ab onere: sic enim foemina, et pupillus vocantur ad commodum haereditatis, non tamen onus tutelae, *tit. Inst. de legit. patron. tutel.*

LVI. *In re communi potior est conditio prohibentis*. Valet in re communi pluribus ut singulis, v. g. decem habent agrum communem, in quo novem volunt constituere servitutem Titio, decimus reclamat contra, cujus conditio utpote prohibentis, est potior: at si nullum sit praejudicium prohibentis, non curatur ejus prohibitio *l.* 13. *§. un. ff. de S. P. U. l.* 19. *in fin. eod. l.* 32. 35. *et seq. ff. de damno inf.* Vide *reg.* 29. *quod omnes tangit.*

LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*, ex *reg.* 172. *ff. in contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est*. Nomine *legis* venit hic *lex privata*, seu conventio contrahentium, quae in praejudicium proferentis intelligi solet. Sic *c.* 8. *de probat.* dictum obscurum de minore aetate, sine expressione 25. annorum, retunditur contra proferentem, quia ingressus monasterium non erat minor 14. annis. Plura exempla vide hic in Glossa, quae dicit reg. istam non procedere de legibus, quia in e:s nihil est obscurum, vel ambiguum, *Can.* 2. *dist.* 4. si quid tamen in legibus, vel privilegiis obscurum est, id legislator interpretatur *lib.* 12. *§.* 1. *C. de LL. et cap.* 12. *de judic.*

LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum;* ut si jures patrem occidere, furari etc. 24. *q.* 4. *per tot.* nam juramentum non potest ad illicitum obligare, ne sit vinculum iniquitatis; ut si juretur de dolo futuro remittendo, quod invitat ad malum *reg.* 23. *v. excepto ff.* Si mores sint mali tantum civiliter, v. g. ne dos alienetur, ne filia renunciet haereditati, juramentum super alienatione, vel renuntiatione tali valet, *c.* 28. *de jurej. c.* 2. *de pact.*

LIX. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem ex reg.* 173. *§.* 3. *ff. dolo facit, qui petit, quod redditurus est;* dummodo restitutio sit certa, et facienda eidem. Sic usurarius dolo petit usuras, et haeres dolo petit rem; quia ille usuras, iste rem ex persona defuncti statim restituere debet. At maritus petere potest dotem, quam mox uxori, vel liberis, soluto matrimonio restituit etc.

LX. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri, ex reg.* 88. *ff. nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla est petitio*, saltem in effectu: et *reg.* 112. *nihil interest, ipso*

Digitized by Google

jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. Sic munitus exceptione moratoria, si non solvat praefixo termino, non est in mora, uti nec ille, qui uti potest compensatione *l. 40. v. sed cum fortis ff. de R. C.*

Decas VII.

LXI. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum l. 6. C. de LL.* Sic minor sine auctoritate tutoris non potest contrahere, vel agere: si tamen pro favore suo est contractus, vel sententia, privilegium ei obesse non debet, *l. 14. C. de procurator.* Idem dic in alienationibus rerum Ecclesiae. *Excipe*, nisi princeps ad instantiam petentis aliquid concedat, ut sententiam ferre, *remota appellatione;* tunc enim, spectata aequitate, in dispendium petentis retorqueri potest.

LXII. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur, ex reg. 47. ff. consilii non fraudulenti nulla obligatio est: ceterum si dolus, et calliditas intercessit, de dolo actio competit:* nemo enim tenetur consilium alterius sequi. At mandans tanquam causa moralis tenetur actione mandati.

LXIII. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri,* nisi alias de puncto aliquo confessus fuisset. Unde qui excipit dicendo: *jam solvi,* non confitetur se mutuam pecuniam accepisse; quia solutio potuit esse de facto, et per errorem, sed sensus est: *si actor probaverit me mutuum accepisse, ego probabo exceptionem meam, quod solverim.*

LXIV. *Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, ex l. 5. non dubium C. de LL.* Haec reg. sane est intelligenda: 1. Quae fiunt contra jus irritans expresse, ipso jure sunt nulla. 2. Quae fiunt contra jus prohibens, quod tacite, et virtualiter est irritans, puta dum actui praescribit formam substantialem, sunt pariter ipso jure nulla; quia actus sine forma non subsistit. 3. Quae fiunt contra jus pure prohibens, ipso jure valent; et regulariter sunt nulla tantum quoad effectum, quia non sunt firma, sed rescindi, aut exceptione elidi possunt: ita explicatur haec *reg. et cit. l.* 5. Dixi *regulariter*, quia illa, quae ex natura sua sunt insolubilia, ut matrimonium, professio religiosa, si illicite fiant, sunt perpetuo firma, estque locus reg. ex *c. 16. de regg. multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

LXV. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis, ex reg. 128. ff. in pari causa possessor potior haberi debet: et reg. 126. §. 2. cum de lucro duorum quaeritur, melior est causa possidentis.* Hoc est speciale privilegium possessionis. In delicto: Titius dedit judici pecuniam, ut pro se injustam sententiam ferret, vel virgini, ut secum fornicaretur, pecuniam non repetit, quia possidentis est conditio melior *l. 3. ff. de condict. ob turp.* Hoc in foro externo: at in foro interno, si juxta pretium Titii nec sententia pro illo, nec fornicatio

virginis secuta est, attento jure naturali, restitutio, facienda esset, nisi virgo dilapidasset pecuniam; quia tunc voluntate Titii, et consumptione facit suam, neque cum damno suo restituere tenetur; multo minus fornicari. In causa: minor minori dedit pecuniam mutuam, et is eam dilapidavit: in hoc casu potior est conditio consumentis, utpote possidentis, ut restituere non teneatur, *l.* 11. *ff. de minor.* Excipe, nisi jus resistat possidenti, et assistat petitori; ut si religiosi possideant decimas parochiae; tunc enim possessor probare tenetur titulum proprietatis, *c.* 1. *de praescript. in* 6. *c. fin. de restit. spoliat. in* 6.

LXVI. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, acsi impleta fuisset, ex reg.* 161. *ff.* nam ex parte illius fingitur conditio impleta, v. g. promisisti Bertae dotem, si Kalendis Maii ad te salutandum veniret, et illo tempore occlusisti domum, ne illa intrare posset; tunc enim perinde est, acsi Berta conditionem istam implesset. Vide *reg.* 41. *in* 6.

LXVII. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Reg. ista procedit in maleficiis: quia sicut non licet, ut nomine tuo, seu in tuum commodum usuras exerceas, fureris, litteras Apostolicas falses; ita neque licet delicta ista, et similia facere nomine alieno, seu in alterius commodum. At in delegationibus honestis secus accidit: quia licet nomine tuo nequeas, tamen ex delegatione judicare poteris nomine Papae, Episcopi etc. nisi incapacitas esset in delegato; ut si tibi non sacerdoti committeretur absolutio a peccatis etc.

LXVIII. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Reg. ista procedit de actionibus, quae ex natura delegari, et mandari possunt; ut judicare per alium, matrimonium contrahere; non vero de actionibus personaliter exercendis: sic enim non potes per alium jejunare, poenitentiam agere, missam audire etc. E contra interdum *potest quis per alium, quod non potest per se ipsum*; quia id non decet, vel ratione personae, vel ratione rei, seu causae. Sic Episcopus, non per se, sed per alium potest clericos verberare *c. fin.* 5. *q.* 5. judicium sanguinis exercere, *c. fin. ne clerici, vel monach. in* 6.

LXIX. *In malis promissis fidem non expedit observari:* nam sicut promittere, ita exequi mala, peccatum est. At male bona promissa, per se loquendo servari possunt; ut si mendaciter, et dolose promisisti nuptias etc.

LXX. *In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri, ex reg.* 110. §. 3. *ff. ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum.* In quibusdam exemplaribus legitur: *electoris est electio*, sed legendum est *debitoris* Gloss., v. g. promisi tibi Stichum, vel equum, ego debitor eligam, et dando unum ex his duobus, implebo meam promissionem. Interdum ex mente disponentis servandus est ordo in alternativis, v. g. centum floreni pro missis dentur Ecclesiae parochiali: vel, si haec renuat

accipere, dentur monasterio. Item quandoque creditoris est electio, dum verba ad eum diriguntur, v. g. Titius unum ex meis equis sibi accipiat etc. Huic regulae subservit *l.* 53. *saepe ff. V. S. saepe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis, interdum soluta pro separatis.*

Decas VIII.

LXXI. *Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus, ex reg.* 156. §. 1. *ff. cui damus actiones, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit;* nam minus est exceptio, quam actio. Sic cui conceditur actio *quod metus causa*, multo magis exceptio metus ei concedenda est. Excipe, nisi exceptio in diversum quid tendat, *c.* 11. *de excess. praelat.*

LXXII. *Qui facit per alium, est perinde, acsi faciat per se ipsum,* ex *reg.* 180. *ff. quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset, et reg.* 169. *is damnum dat, qui jubet dare.* Vide *reg.* 68.

LXXIII. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari ex reg.* 85. §. 1. *ff. et l.* 140. §. *fin. ff. de V. O.* Valet in actibus perfectis, et jam consummatis, ut in matrimonio, episcopatu, monachatu, quibus superveniens impedimentum non nocet. Fallit in actibus causam successivam habentibus; ut si ex causa debilitatis die veneris dispenseris ad carnes, cessante causa debilitatis, cessat, vel suspenditur ista obligatio.

LXXIV. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.* Vide supra *reg.* 15. *et* 28. 74. 78.

LXXV. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat:* nam frangenti fidem fides frangenda est: et frustra auxilium legis invocat, qui committit in legem, *cap.* 14. *de usur.*

LXXVI. *Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare:* puta si Praelatus delinquat ut privata persona; secus si delinquat cum capitulo; vel si ipsi subditi graviter delinquant: tunc enim in poenam delicti, potest Ecclesia privari dignitate, *Can.* 23. *ita nos* 25. *q.* 2. Item in judiciis, maxime omittendo, praelatus nocet Ecclesiae, *Can.* 25. *placuit.* 16. *q.* 3. et toto *tit. de praescription.*

LXXVII. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore;* modo onus sit reale honori annexum, sic enim successor in jure patronatus tenetur Ecclesiam defendere, sicut suus antecessor, *Can.* 31. *filii* 16. *q.* 7. et succedens in praelatura, tenetur solvere debita ratione praelaturae contracta, *cap.* 1. *de solution.* Secus si onera erant personalia honori non annexa.

LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.* Vide *reg.* 28. *et* 74. *et* in Pandectis *reg.* 162. *quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.*

LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, ex reg.* 120. *ff. nemo plus commodi haeredi suo relinquit, quam ipse habuit, ex reg.* 160. §. 2. nam nemo dat, quod non habet, *c.* 5. *in fin. de Jur. Patr.* Valet reg. ista quoad ea jura, quae rem tangunt, non quoad alia aliunde pendentia, v. g. haeres bona fide vendendo rem commodatam defuncto, transfert conditionem usucapiendi in emptorem, quam ille non habuit, §. 4. *Inst. de usucap.* Possessor bona fide vendendo fructus, transfert dominium irrevocabile in emptorem, cum ille habuerit revocabile, *l.* 48. *pr. ff. de A. R. etc.* Vide Gloss.

LXXX. *In toto partem non est dubium contineri, ex reg.* 113. *ff. in toto, et pars continetur.* Sic cui adjudicata est tota domus, deinde actor partem illius petere non potest, *l.* 7. *per tot.* §. *de exception. rei judicat.* ubi plura exempla invenies tum in corporibus, tum in quantitatibus.

Octo residuae Regulae ex 6.

LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Haec regula indicat sub genere commisso nunquam venire illas species, quae speciali expressione sunt dignae. Sic sub potestate generali commissa vicario non venit potestas donandi, aut criminalia exercendi, *c.* 2. *et fin. de offic. vicar. in* 6. sub potestate absolvendi non venit potestas absolvendi a reservatis, *c.* 2. *de poenit. in* 6. sub generali potestate Legati non venit potestas circa causas fidei *Can.* 52. *frater* 16. *q.* 1. *etc.*

LXXXII. *Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere, ex reg.* 199. *ff. non potest dolo carere, qui imperio magistratus,* seu legi *non paruit.* Sic monasterium, vel parochus percipiens decimas in aliena parochia, praesumitur id agere mala fide; quia contra jura mercatur. Idem dic de illo, qui investituram recipit ex manu laici, qui dat temporale pro spirituali *Can.* 14. *siquis* 16. *q.* 7. et qui emit adscriptitium line gleba, *l.* 7. *C. de agricolt. et censit. in* 11. nam talis, vel scit similia a jure prohiberi, vel non scit? si scit, agendo contra jura, mala fide agit: si non scit, ignorantia juris parit in eo malam fidem juridicam, seu civilem.

LXXXIII. *Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur, ex reg.* 57. *ff. bona fides non patitur, ut his idem exigatur.* Regula ista procedit maxime in concursu plurium actionum: nam si per unam tuum consecutus es, non debes per alteram idem petere: et si Titius tibi solvit loco Caii, istum molestare non debes.

LXXXIV. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Regula ista procedit in iis, quae alicui simpliciter, et in se prohibentur, et cons. omnes viae ad illud, v. g. Praelato prohibetur alienatio, et donatio sine solemnitatibus Canonicis, ergo et pignoratio, compromissum, et alii modi, quibus pervenitur ad alienationem. Item vendidisti ancillam cum pa-

Digitized by Google

cto, ut fieret libera, si emptor eam prostitueret; quo casu emptor nec per se, nec per cauponem potest eam prostituere, secus evadet libera, *l. fin. C. si mancip. ita venier.* At si res ipsa non prohibeatur, sed tantum certus modus, poterit quis alio modo, seu alia via ad illam pervenire. Sic Episcopus, non via electionis, sed postulationis venire potest ad aliam Ecclesiam, et irregularis via dispensationis ad ordines, et beneficia etc.

LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, ex reg.* 23. *ff.* ibi: *Hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit.* Nomine *legis* venit hic *lex privata*, seu pactum contractui appositum; quod quidem est praeter leges communes, non tamen contra bonos mores, v. g. in deposito juxta jus com. praestanda est culpa lata: si convenit, ut praestaretur etiam culpa levis, aut levissima, id servandum est; quia contractus hanc legem dedit. Sic a contrahentibus lex imponi potest, ut praestetur casus fortuitus, ut venditor in se suscipiat periculum rei venditae, aut emptor periculum evictionis etc. lex tamen contra bonos mores apponi nequit, cum invitet, aut obliget ad malum, v. g. ut dolus non praestetur, ut ancilla prostituatur etc. *cit. reg.* 23.

LXXXVI. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare, ex reg.* 203. *ff. quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* Sic clericus sibi imputet, quod negligat beneficium vacans petere, *cap.* 11. de *praebend. in* 6. Similiter puella sponte consentiens in sui deflorationem, procurator negligenter agens in judicio, vel tutor in administratione rerum pupillarium, licet damnum incurrant, tamen non intelliguntur damnum sentire.

LXXXVII. *Infamibus portae non pateant dignitatum, ex l.* 2. *C. de dignitat. in* 12. *Neque famosis, et notatis, et quos scelus, aut vitae turpitudo inquinat, et quos infamia ab honestorum coetu segregat, dignitatis portae patebunt.* Et quidem *infamia juris*, quae a jure, vel per sententiam judicis ob crimen famosum introducta est, perpetuo removet a dignitatibus, ut ab officio judicis, advocati, praelati etc. nisi a principe tollatur: at *infamia facti*, quae ex vita inhonesta oritur, est temporalis, donec mores corrigantur in melius, Exempla infamium copiosa habes *tit. ff. de his, qui not. infam. et tot. C. ex quib. caus. infam. irrog. Can.* 1. *et seq.* 3. *q.* 7.

LXXXVII. *Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*, hoc est, qui legem secundum litteram observat, sed contra voluntatem legislatoris, v. g. praetor in albo posuit interdictum, et poenam, ne quis album corrumperet, aut deleret: Titius agglutinando chartam, ne scriptura legi posset, verba quidem observat, sed contra mentem praetoris, *l.* 7. *ff. de. jurisd.* Sic usurarius, non in pecunia, sed in mercibus, vestibus, aut obsequiis usuras percipiens, agit contra mentem legis, *Can.* 3. *plerique* 14. *q.* 3. sic etiam Episcopus, et parochus,

quibus praecipitur residentia, contra mentem Sacr. Canonum ageret, si corpore domi residerent, et officium suum non administrarent etc. In hac regula finitur jus Can. Quia vero quaedam regulae ex jure civili frequenter sunt in usu, eas hic compendio transcribam.

Regulae usitatiores ex Digestis.

Foeminae ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotae sunt, exceptis illustribus, ut reginis, §. 1. *Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstineri*, *regul.* 2.

Ejus est non nolle, qui potest velle. Reg. 3. hoc est, qui habet liberam facultatem positive volendi, et imperandi, seu approbandi, v. g. ut filius scholam frequentet, etiam habet liberam facultatem id permittendi, seu tacite approbandi: nam *non nolle* is dicitur, qui sciens patitur, et tacite approbat: *velle* vero is dicitur, qui expressim jubet, seu expresse approbat, Gothofr. Alii legunt: *ejus est nolle*, seu *non velle*, *cujus est velle*; hoc est, ille habet liberam facultatem omittendi, qui habet liberam facultatem agendi.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini reg. 4. exceptis maleficiis.

Paganus, seu non-miles, *non potest partim testatus, partim intestatus decedere, ex reg.* 7.

Jura sanguinis nullo jure civ. dividi possunt, reg. 8. puta quoad honestatem in matrimoniis, reverentiam, et pietatem: at quoad qualitates civiles mutari possunt; ut si quis ex nobili fiat ignobilis.

Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, reg. 11. sufficit ficta traditio: imo vi dominii alti, vel in poenam delicti res nostrae in alium transferri possunt.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretamur, reg. 12. quia ultimae voluntates sunt favorabiles.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur; reg. 14. hoc est: statim a tempore contractus; civiliter tamen intra competens intervallum, ne creditor eodem momento cum sacco veniat pro pecunia.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, reg. 15. sed contra; *minus est actionem habere, quam rem, reg.* 204.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus, reg. 19. Hinc imputet sibi, qui contrahit cum pupillo, minore, religioso, si ex contractu nihil recipiat.

In personam servilem nulla cadit obligatio, reg. 22. Valet pro religiosis in praejudicium monasterii, quia velle non habent.

Quatenus cujus intersit, seu interesse *in facto, non in jure consistit, reg.* 24. adeoque probari debet.

Plus cautionis in re est, quam in persona, reg. 25.

Qui potest invitis alienare, multo magis, et ignorantibus, et absentibus potest, reg. 26. Valet in libera facultate agendi.

Digitized by Google

Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur, non tamen et jure naturali, reg. 32. *et - servitutem mortalitati fere comparamus, reg.* 209. quia servi ob maximam capitis diminutionem, seu amissam libertatem civiliter mortui sunt. Idem et religiosis applicatur, si monasterio expediat. Contra: *libertas inaestimabilis res est, reg.* 106. *et libertas omnibus rebus favorabilior est, reg.* 122.

Semper in contractibus id sequimur, quod actum, vel quod in regione receptum est, vel minimum, regula 34.

Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est, reg. 40. Hic furiosus, et juridice prodigus aequiparantur, neuterque cum effectu contrahere potest.

Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una quis experiri debet, reg. 43. *§. un.* Sed contra: *nunquam actiones, praesertim poenales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit, reg.* 130. Intellige: si actiones prorsus in idem tendunt, una quis experiri debet; sed si in altera sit excessus, potest et altera intentari, non quoad totum, sed quoad excessum, ut illud plus obtineatur, quod per priorem actionem non est obtentum.

Privatorum conventio juri publico non derogat, reg. 45. *§. un. ex l.* 38. *ff. de pact. jus publicum privatorum pactis mutari non potest:* sed praeter jus commune pactum, seu lex adjici potest contractui, ut supra *reg.* 85. *in* 6.

Socii mei socius, meus socius non est reg. 47. §. 1. ut si Titius aliam societatem ineat mecum, quam inierit cum Cajo.

Quidquid in calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse. Haec regula non procedit in delictis momentaneis, quae statim mala sunt, sed refertur ad eventum futurum, qui ex aliquo facto non potest plene conjici, ut patet ab exemplo ibi adjecto: *ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur.*

Alterius circumventio alii non praebet actionem, reg. 49. nisi alius per hoc laederetur.

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est, reg. 53. Si solvisti cogitans te debere, solutum condicere, seu repetere potes condictione indebiti: si vero solvisti sciens te non debere, censeris donasse.

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, reg. 55.

Ea, quae raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur, reg. 64. nam rara non sunt sub lege.

Invito beneficium non datur, reg. 69. si tamen beneficium alterius personam, vel publicum bonum concernat, dari potest invito. Sic pro debitore invito recte solvitur, *pr. Inst. quib. mod. tollitur oblig.* et clerico etiam invito datur privilegium fori, *cap.* 12. *de for. compet.*

Quo tutela rediit, eo haereditas pervenit, nisi cum foeminae haeredes intercedunt, reg. 73. quia ubi onus, ibi commodum.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur, reg. 82.

Digitized by Google

Is natura debet, quem jure gentium, seu naturali, *dare oportet, cujus fidem secuti sumus, reg.* 84. §. 1.

In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est, reg. 90. si tamen jus rigorosum sit clarum non licet praetori ab eo recedere, *l.* 2. §. 1. *ff. qui, et a quib. manumiss.*

Non solent, quae abundant, vitiare scripturam, reg. 94. quia cautela abundans non nocet.

Nemo de domo sua extrahi debet reg. 103.

Fere in omnibus poenalibus judiciis, et aetati, et imprudentiae succurritur, reg. 108.

Pupillus pati non posse non intelligitur, reg. 110. §. 2. quia nec contractu a se, nec a tutore inito laedi debet.

Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse, seu aliquid accepisse. *reg.* 115.

Nihil consensui tam contrarium est, quam vis, atque metus reg. 116. *pr. et* §. 2. *nam videntur, qui errant, consentire.* Vis absoluta, seu coactiva plene impedit consensum, uti et error, aut dolus substantialis: at vis compulsiva, seu metus, et error accidentalis, regulariter relinquunt actum mero jure validum, utpote simpliciter voluntarium, licet rescindibilem actione *metus,* aut doli.

Non alienat, qui dumtaxat omittit possessionem regul. 119.

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est, regul. 121. Proditur hic duplex fictio, qua non faciens, fingitur facere, et faciens, fingitur non facere.

Nemo praedo est, qui pretium numeravit reg. 126.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit reg. 129. *pr.* valet etiam in compensatione occulta servatis servandis.

Imperitia culpae adnumeratur reg. 132.

Melior conditio nostra per servos fieri potest: deterior fieri non potest reg. 133. Fallit in delictis, et damnis per servos datis, ubi dominus tenetur vel damnum reparare, vel servum noxae dare, *tit. Inst. de noxal. action. et reg.* 149. *ff.*

Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, reg. 134. §. *un.*

Bona fides tantundem possidenti praestat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est, reg. 136. si lex impedit, est mala fides juridica, seu civilis, quae impedit usucapionem.

Qui auctore judice comparavit, bonae fidei possessor est, reg. 137.

Omnes actiones, quae morte, aut tempore pereunt, semel inclusae judicio salvae permanent, reg. 139. nam in judicio quasi contrahitur; contractus autem transeunt ad haeredes.

Uni duo pro solido haeredes esse non possunt, regul. 141. §. *un.*

Non omne, quod licet, seu permittitur *honestum est, reg.* 144.

Ex qua persona quis lucrum capit,

ejus factum praestare debet, reg. 149.

Factum cuique suum, non adversario nocere debet, reg. 155.

Invitus nemo rem cogitur defendere, reg. 156.

Aliud est vendere, aliud renditioni consentire, reg. 160. *pr. et* §. 1. *refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem.*

Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest, reg. 174. *in fin.*

Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, reg. 176. non facienda per judicem, fieri nequeunt per privatos.

Si nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est, reg. 183. Valet quoad solemnitates accidentales, raro quoad substantiales.

Vani timoris justa excusatio non est, reg. 184.

Quae jure naturali *prohibentur, nulla lege confirmata sunt, reg.* 188. §. *un.* multa tamen permittuntur per leges, et aliqua a praeceptis naturalibus subducuntur, ut in usucapionibus etc.

Quod evincitur, in bonis non est, reg. 190.

Expressa nocent, non expressa non nocent, reg. 195. Exemplum est in *reg.* 77. *ff.* ubi actus legitimi vitiantur per conditionem expressam, non vero tacitam. Unde saepius *major est vis expressi: quam taciti* per hanc *reg.* et rursum: *eadem est vis taciti, ac expressi,* et expressio taciti nihil novi operatur *l.* 3. *ff. de R. C. et l.* 99. *ff. de condition. et demonstr.* Interdum *major est vis taciti, quam expressi:* sic enim clericus sine auctoritate Superioris tacite renunciare potest beneficio, v. g. assumendo statum conjugalem, vel religiosum; non tamen expresse, ut dictum *tit. de renunt.*

Omnis definitio in jure periculosa est: parum est enim, ut non subverti possit, reg. 202. hoc est omnis locutio universalis in jure, non in sensu absoluto, sed accomodo, prout materia patitur, intelligenda est: alioquin, cum casus particulares sint diversissimi, facile regula generalis falsificatur, vel potius non extenditur ad illum casum.

Res judicata pro veritate accipitur, reg. 207. puta in foro externo; nisi sententia notorie esset injusta; quia tunc cessaret praesumptio justitiae pro judice: at in foro interno praesumptio cedit veritati.

Hoc Jus Canonicum doctrinali methodo concinnatum humillime subjicio infallibili sanctae Sedis Apostolicae judicio, et Sapientum correctioni, paratus emendare, quidquid perperam a me dictum fuerit: et cum hac protestatione exiguum laborem istum ad Deum, ut finem ultimum, Sanctorumque Caelitum honorem relatum volo.

ELENCHUS

Consuetudinum Abrogatarum

Ex Libris Gregorii Papae IX. Sexto, Clementinis, et Extravagantibus.

I. Consuetudo habendi dictum populi pro sententia in causis Ecclesiasticis, hancque latam a judice non suo pro valida recipiendi; abrogata est cap. Ad nostram 3. de consuetud.

II. Item exercendi a clerico non Episcopo ea, quae sunt reservata ordini Episcopali cap. 4. Quanto 4. *eod. tit.*

III. Item celebrandi divina alta voce, et pulsatis campanis, exclusis interdictis, et excommunicatis, durante interdicto cap. Cum inter 5. *eod. tit,*

IV. Item dimittendi dignitates Ecclesiasticas sine Superioris licentia, easque administrandi sine ejusdem confirmatione cap. Cum venerabilis 7. *eod. tit.*

V. Item alienandi pro libito bona uxoris a marito vitio suo, aut quocumque alio casu in paupertatem redacto cap. Ex parte 10. *eod. tit.*

VI. Item acquirendi ab uxore adultera medietatem bonorum mariti eod. cap. *et tit.*

VII. Item retinendi simul duo beneficia incompatibilia absque legitima d'spensatione cap. Consuetudinem 1. eod. tit. de consuetud. in 6. Vide Elenco II. num. LXVIII. part. I. Vol. II. pag. 31.

VIII. Item appellandi a Vicario generali ad Episcopum cap. Non putamus 2. eod. tit. et lib. Vide in Auctore part. I. n. 6. Vol. II. pag. 243.

IX. Item gradatim optandi ab antiquioribus Canonicis praebendas vacantes apud Sedem Apostolicam cap. Cum in tua 4. eod. *tit. et lib.*

X. Item rejiciendi Legatos S. Sedis non petitos, et de consensu non missos cap. unic. Super gentes eod. tit. de consuetud. in Extravag. commun.

XI. Item abrogata est consuetudo aut tollendi, aut restringendi libertatem eligentium in electione Praelati Ecclesiastici cap. Cum terra 14. de electione Vide notata infra n. LXIX. de consuetudinibus abrogatis a Const. Apost.

XII. Item eligendi non professos ad regimen regularis Ecclesiae contra disposita in cap. Cum in magistrum 49. h. eod. tit. de eleciton. cap. Cum causam 27. dicto titulo.

XIII. Item eligendi Episcopum a laicis una cum Canonicis cap. Messana 56. *h. eod. tit.*

XIV. Item conferendi sacros ordines extra statuta tempora cap. Sanc. 2. de temporib. ordinat.

XV. Item promovendi ad ordines latinos a graecis, et graecos a latinos cap. Cum secundum 9. *h. eod. tit.*

XVI. Item ordinandi a graeco Episcopo graecum subjectum Episcopo latino sine hujus licentia cap. Quod de translatione 11. *h. eod. tit.* Vide Additiones meas part. I. Vol. II. pag. 218. post. n. 16.

XVII. Item projiciendi in terram, et inter spinas Sanctorum imagines tempore cessationis a divinis cap. Si Canonici 2. de offic. jud. ord. in 6.

XVIII. Item angustandi probationis facultatem cap. Debent. 1. in Extravag. com. *h. eod. tit.*

XIX. Item inducendi gravamen Ecclesiao cap. Dilecti filii 13. de majorit. et obed. Vide infra n. LXIX.

XX. Item judicandi clericorum causas juxta laicorum consuetudines, et non juxta sacros Canones cap. Quod clericus 9. de foro compet.

XXI. Item prohibendi clericis, ne praestent juramentum calumniae cap. Ceterum 5. de juram. calum.

XXII. Item exigendi juramentum ultra plenam probationem cap. Sicuti 2. de probationib.

XXIII. Item permittendi juramentum reo ad suam probandam innocentiam, quoties habetur, vel haberi potest probatio de ipsius delicto cap. Ad nostram 12. eod. tit. Alias pravas consuetudines purgandi vide infra n. XXXVIII.

XXIV. Item praescribendi absque bona fide c. Quoniam 20. de praescription.

XXV. Item esigendi a judicibus Ecclesiasticis praeter expensas victualium decimam, vel aliam partem litis, conventione facta cum partibus litigantibus cap. Cum ab omni 10. de vita, et honest. cleric.

XXVI. Item exercendi in Ecclesia ludos theatrales tam a laicis, quam a clericis cap. Cum decorem 12. eod. tit.

XXVII. Item non dandi a patronis, aliisque congruam portionem rectoribus Ecclesiarum cap. Extirpandae 30. de praebenb. Vide Trident sess. XXV. cap. 9. §. Patroni, et c. 10. de ref. et infr. n. XXIX.

XXVIII. Item admittendi solos nobiles ad quarundam Ecclesiarum beneficia cap. Venerabilis 37. h. eod. tit. Hodie tamen haec consuetudo aliquibus in locis pro legitima habetur: sed vide in Auctore part. I. Vol. II. pag. 224. n. 4.

XXIX. Item abrogata est consuetudo reservandi sibi a patronis Ecclesiarum tam exemptis, quam non exemptis, aliisque quibuscumque etiam Regularibus in praesentatione rectorum earumdem Ecclesiarum tantum de illarum redditibus, ut de residuo iidem rectores non possent commode sustentari cap. Suscepti 1. h. eod. tit. in 6. Vide supra n. XXVII.

XXX. Item instituendi ad beneficia sine consensu Episcopi cap. Ex frequentibus 3. de institutionib. Haec tamen abrogatio intelligenda est, cum agitur de beneficiis, quae pleno jure ab aliis non conferuntur.

XXXI. Item abrogata est consuetudo, quo minus monasteria monialium non exceptarum visitentur singulis annis a locorum Ordinariis; sicuti et exemptarum tanquam a delegatis Sedis Apostolicae cap. Ascendentes 2. de statu monachor. in Clem.

XXXII. Item consuetudo rescindendi

penitus testamentum confectum in ultima voluntate, nisi factum fuerit cum subscriptione septem, vel quinque testium cap. Cum esses 10. de testamen. Vide par. II. Vol. III. pag. 170 n. 13. et Gonzalez, *h. eod. cap.*

XXXIII. Item exigendi pecuniam pro sepultura cap. Abolendae 13. de sepultur. Juncto Can. Quaesta 12. caus. 13. q. 2. Vide a me notata post cap. Abolendae 13. in summariis part. I. Vol. I. pag. 354.

XXXIV. Item reconciliandi Ecclesiam pollutam (quae prius erat consecrata) per simplices sacerdotes de mandato Episcopi aqua ab ipso benedicta cap. Aqua 9. de consecratione Ecclesiae Vide hac part. II. Vol. III. pag. 290. n. 16.

XXXV. Item ferendi judicium, hospitiumque sibi vindicandi a judice seculari, vel ejus officialibus in domibus Ecclesiarum c. Ut in domibus 1. de immunitat.

XXXVI. Item celebrandi matrimonium intra gradus prohibitos c. Quod super 5. de consanguinit.

XXXVII. Item exigendi pecuniam pro danda licentia docendi cap. Quoniam 1. et c. Quando 3. de magistris.

XXXVIII. Item abrogata est consuetudo compellendi reum duellum inire, et ferri igniti judicium subire ad purgandum se insontem, e quibus si illaesus non evasisset, civili poena afficiebatur cap. Cura, et duobus seqq. de purgat. vulgar. Vide supra n. *XXIII.*

XXXIX. Item compellendi ad faciendum homagium pro spiritualibus, idest ad praestandum juramentum fidelitatis cap. Indignum 11. de regul. jur. Gregor. Verum vide discrimen inter homagium, et juramentum fidelitatis in Gonz. in c. Ex diligenti 16. de Simonia.

Aliae consuetudine abrogatae ex Decreto Gratiani.

XL. Abrogata est consuetudo se disponendi ad quadragesimalis jejunii observationem immoderato carnium esu Dist. V. Can. Denique 6.

XLI. Item celebrandi dies festos Martyrum commessationibus, et ebrietatibus Dist. 44. Can. Commessationes 1.

XLII. Item exigendi aliquid pro rebus spiritualibus; sive prius, sive post illarum collationem causa I. qu. 3. Can. Si quis 15.

XLIII. Item convellendi parochias cuique Ecclesiae deputatas causa XVI. qu. 4. Can. Licet. 5.

XLIV. Item usurpandi propria auctoritate praedia, quae a Rector. Ecclesiarum ad se pertinere putabantur, more fiscali, titulos, (idest vexilla, aut alia signa) illi imprimendo, ead. caus. XVI. quaest. 5. Can. Consuetudo 1.

XLV. Item faciendi publicam confessionem peccatorum, de poenitentia Dist. I. Can. Quamvis 89.

XLVI. Item invigilandi saltationibus, e turpibus canticis in Sanctorum solemnitatibus, de conscer. Dist. III. Can. Irreligiosa 2.

Huc referendae essent aliae consuetudines abrogatae a Sac. Concilio Tridentino; verum cum fere omnes pertineant ad easdem materias, circa quas idem Concil. abrogavit privilegia, le-

ctorem remitto ad Elenchum V. in quo haec privilegia abrogata enumerantur par. I. Vol. III. pag. 58. ad 62. Videri tamen poterunt ulterius circa paucas alias materias ibidem non expressas, quarum consuetudo abrogatur, sess. IV. in Decreto de editione, et usu sacr. Libr.-sess. V. cap. II. de refor. - sess. VII. cap. XIII. sess. XXI. cap. III. - sess. XXII. cap. VII. et IX. -- sess. XXIII. cap. IX. - sess. XXIV. cap. I. II. IV. XIII. et XIV. ac tandem sess. XXV. c. XIX. de refor. Legi etiam poterunt abrogationes factae ab eodem Concilio enumeratae a Bened. XIV. et a me relatae par. I. Vol. II. pag. 463. e seqq.

Cum autem Concilium in aliquibus ex his abrogatis consuetudinibus utatur clausula etiam immemorabilem, in aliquibus simplici clausula. Consuetudinem, ideo pro regula in praxi a Tribunalibus servanda, attendenda sunt firmata a nostro Auctore part. I. Vol. I. pag. 541. n. 11. Quae regula etiam attendenda in sequentibus abrogation. ubi enim non legitur clausula immemorabilis, ibi agitur de simplici consuetudine.

Aliae quam plurimae consuetudines abrogatae sunt a Constit. Apost. in Bullario romano contentis extra corpus juris Canonici, quarum fere omnes sanctiones, sive ordinatoriae, sive prohibitoriae continent clausulam consuetudinum in contrarium abrogatoriam. Ex quibus aliquae tantum specialiores, et ad res usitatiores spectantes hic subduntur.

XLVII. Abrogata est consuetudo, quae vigebat in Regno Brittanniae occupandi a laica potestate universa mobilia, decedentibus marito, vel uxore, ab Honorio II. Constitut. Charissimus 20. Maii 1150.

XLVIII. Item usurpandi a Fisco omnium naufragantium bona, etiam quae in littore post naufragium inventa erant, ab eodem cit. Constit. Circa hoc vide etiam Constitutiones Julii II. Romanus Pontifex 24. Feb. 1509. Pauli III. Accepimus 13. Mart. 1545. S. Pii V. Cum nobis 24. April. 1566. Pauli V. Pastoralis 8. Apr. 1610. §. 4. et postremo Bullam in die Coenae Domini legi solitam c. 4.

XLIX. Item non residendi a rectoribus Ecclesiarum parochialium, a S. Pio V. Constit. Cupientes 25. Julii 1568.

L. Item creandi, alienandi, et redimendi annuos census contra formam praescriptam ab eodem Pio Constit. Cum onus 19. Jan. 1569.

LI. Item testandi, et quovis modo disponendi de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis, aliisque proprio labore partis, aut patrimonialibus ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum; ac insuper eosdem illegitimos habilitandi ad successionem in dictis bonis, aut rebus feudalibus, et emphyteuticis a piis locis profectis, ab eodem S. Pio Constit. Quae Ordini 27. Jan. 1571.

LII. Item audiendi confessiones secullarium a lectoribus, et theologis quorumcumque Ordinum regularium sine praevia Episcopi approbatione, ab eodem Constit. Romani Pontificis 6. Aug. 1571.

LIII. Item non visitandi ab Episcopis Ecclesias parochiales militum S. Joannis Hierosolymit. quoad animarum

curam, et sacramentorum administrationem, ab eod. Const. Exposcit. 22. Sept. 1571.

LIV. Item non applicandi Camerae Apostolicae spolia Regularium decedentium extra claustra a Greg. XIII. Constit. Officii nostri 21. Jan. 1577.

LV. Item eligendi Abbatissam, aliamque monialium praefectam in Italia, et utroque Siciliae Regno ultra triennium, ab eod. Const. Exposcit 1. Jan. 1583.

LVI. Item ineundi contractus societatis securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter usurariam pravitatem continentes a Sixto V. Constit. Detestabilis 21. Octobr. 1586.

LVII. Item consuetudo etiam longissimi temporis faciendi sponsiones super vita, morte, et futura electione Papae: ac super promotionibus Cardinalium a Greg. XIV. Constit. Cogit. nos 21. Mart. 1591.

LVIII. Item attendendi in omnibus status Ecclesiastici Tribunalibus alias nullitates, quam jurisdictionis, citationis, et mandati a Clem. VIII. Litium 9. Febr. 1593.

LIX. Item largiendi munera a Regularibus utriusque sexus, et respective recipiendi, ac retinendi, ab eodem Constit. Religiosae 19. Julii 1594.

LX. Item consuetudo, quominus Regulares Episcopo non subjecti extra claustra notorie delinquentes puniantur ab eodem Episcopo juxta praescriptum Tridentini sess. 25. cap. 14. de Regul. ab eodem Constit. Suscepti 15. Feb. 1596.

LXI. Item non servandi Caeremoniale Episcoporum ad divina officia rite celebranda, aliasque functiones juxta reformationem factam ab eodem Clem. Constit. Cum novissime 14. Jul. 1600.

LXII. Item cognoscendi a superioribus quorumcumque Ordinum regul. causas suorum subditorum ad officium S. Inquisitionis quomodolibet pertinentes, a Paul. V. Const. Romanus 1. Sept. 1606.

LXIII. Item consuetudo etiam immemorabilis exemptionis ab Episcoporum jurisdictione circa disposita a Greg. XV. Inscrutabilis 5. Feb. 1622. ut in Elencho VI. n. XCIV. par. I. Vol. II. pag. 105.

LXIV. Item consuetudo etiam immemorabilis non exequendi a Superioribus regularibus praescripta circa apostatas, et ejectos, ab Urbano VIII. Constit. Sacrae Congregatio 21. Sept. 1624.

LXV. Item consuetudo etiam immemorabilis circa praescripta quoad celebrationem, et reductionem missarum, earumdem onera perpetua suscipienda, augendumque Religiosorum numerum ultra vires redditum, et consuetarum eleemosynarum monasteriorum, ab eod. Const. Cum saepe 21. Jun. 1625.

LXVI. Item consuetudo etiam immemorabilis dandi in feudum, vel emphyteusim, et ultra triennium locandi bona jurisdictionalia ad Ecclesias, et loca pia spectantia, concessionesque Hujusmodi renovandi, seu prorogandi, ab eod. Const. Humanae 1. Nov. 1625.

LXVII. Item non degradandi, ac non tradendi brachio seculari clericum respective, et laicum minorem vigintiquinque annis, si ad presbyteratum non promotus, sacramentales confessiones

audierit, et missam celebraverit, ab eod. Const. Apostolatus 28. Mar. 1628.

LXVIII. Item emittendi professionem religiosam, non facto novitiatu in locis designatis per Clem. VIII. ab eodem Urbano Constit. Religiosus 2. Apr. 1631.

LXIX. Item quaecumque consuetudines immemorabiles, etiam cum asserta forma privilegii Apostolici militantes contra libertatem Ecclesiasticam, et Ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis, earumquo bonis praejudiciales, ex Constit. Urbani VIII. Romanus Pontifex 5. Jun. 1641. cui concordat Bulla in die Coenae Domini legi solita, et auth. Cassa de Sacr. Ecclesiis, quamque per partes optime expendit Fagn. lib. I. c. Consuetudines 1. de consuetud. a. n. 58. ad 81.

LXX. Item consuetudo etiam longissimi temporis non servandi numerum dierum festorum praescriptum a dicto Urbano Constit. Universa Idib. Sept. 1642.

LXXI. Item consuetudo etiam immemorabilis recedendi a S. R. E. Cardinalibus e statu Ecclesiastico absque licentia summi Pontificis, ab Innoc. X. Constit. Cum juxta 19. Febr. 1646.

LXXII. Item consuetudo etiam immemorabilis erigendi a Regularibus in Italia, et Insulis adjacentibus nova loca absque expressa licentia Sedis Apostolicae, cum praevio examine Congregationis Episcoporum, et Regularium, ab Innoc. Const. Instaurandae id Octobr. 1652.

LXXIII. Item consuetudo etiam immemorabilis locandi consanguineis, vel affinibus rectorum, aut administratorum Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum urbis Romae, ab Alex. VII. Constit. In suprema 23. April. 1656.

LXXIV. Item abrogata est consuetudo etiam immemorabilis, seu contrarius usus dandi, vel promittendi aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam ex Constit. ejusdem Alexandri Inter gravissimas 2. Maii 1656. innovata ab Innoc. XII. Const. Sacerdotalem 29. Jan. 1699. reprobante non usum dictae Alexandrinae sanctionis.

LXXV. Item consuetudo etiam immemor. ingrediendi a Superioribus regularibus, et confessariis intra septa monasterii monialium iisdem Regul. subjectarum praeter modum, et tempus praescriptum ab Alex. VII. Const. Filici 1. Novemb. 1664.

LXXVI. Item consuetudo etiam immemorabilis exercendi sub quocumque praetextu mercaturam a Regularibus quorumcumque Ordinum a Clemente IX. Constit. Solicitudo 17. Jun. 1669.

LXXVII. Item consuetudo etiam centenaria, et immemorabilis exercendi a Cardinalibus Ordinum regul. protectoribus ultra praescripta in Constit. Innoc. XII. Christifidelium 16. Febr. 1694.

LXXVIII. Item consuetudo ordinandi alienus subditos, non servatis conditionibus praescriptis in Constit. ejusdem Innocent. XII. Speculatores 4. Novembr. 1694. quas Vide Elenco VI. n. XXVIII. par. I. Vol. II. pag. 75.

LXXIX. Item consuetudo etiam immemorabilis contra disposita a Conc.

Trid. et a S. Pio V. incollatione beneficiorum ex Const. ejusd. Innoc. Ecclesiae 22. Sept. 1695. Vide Elenc. VI. nu. LXXII. et LXXIII. par. I. Vol. II. pag. 95.

LXXX. Item abrogatae sunt consuetudines etiam immemorabiles adversus praescripta in Coeremoniali Episcoporum, Rituali Romano, vel Rubricis missalis, et breviarii servanda in Ecclesiis tam secularibus, quam regularibus ex Concilio Romano sub Benedict. XIII. tit. XV. c. 1. de celeb. miss. etc. prout etiam abrogaverat S. Rituum Cong. approbante Urb. VIII. et Innocent. XIII. Const. Apostolici 13. Maii 1723.

LXXXI. Item consuetudo etiam immemorabilis non explicandi Evangelium a parochis diebus dominicis, et festis, etiam praetextu, quod in aliis Ecclesiis dictis diebus habeantur conciones ad populum, Bened. XIII. Constitut. In supremo 23. Sept. 1724.

LXXXII. Item consuetudo etiam immemorabil. de non solvenda quarta funerali a Regul. ex Const. ejus Ben. XIII. Romanus 4. Kal. Maji 1725. in terminis relat. Elenc. VI. n. CXIII. par. I. Vol. II. pag. 112.

LXXXIII. Item consuetudo etiam immemorabilis de non solvenda a beneficiatis media annata favore fabricae metropolitanarum, cathedralium, et collegiatarum Ecclesiarum ex Constit. ejusdem. Bened. Pius 4. idus Maii 1725. ut Elencho VI. n. LXXIII. p. I. Vol. II. pag. 95.

LXXXIV. Item consuetudo etiam, immemorabilis de non deferendo a clericis beneficiatis habitu illis congruente, ex Constitut. ejusd. Catholicae Ecclesiae 6. non Maii 1725. in terminis relat. Elencho VI. n. XXIII. par. I. Vol. II. pag. 72.

LXXXV. Item consuetudo etiam immemorabilis non petendae benedictionis episcopalis ab Abbatibus perpetuis, ex Const. d. Bened. Commissi pridie Non. Maii 1725. in terminis, ut in Additionibus meis par. I. Vol. II. pag. 208. n. VII.

LXXXVI. Item consuetudo contraria, etiam immemorabilis circa institutionem praenendae theologalis, et Canonici poenitentiarii, ex Constit. ejusdem Pastoralis 14. Kal. Jun. 1725. in terminis ut in Elenc. VI. n. III. par. I. Vol. II. pag. 63.

LXXXVII. Item consuetudo exigendi a reo in criminalibus juramentum, ex Concilio Romano ejusd. Bened. anno 1725. ut in Addit. p. I. Vol. II. pag. 551. post n. 6.

LXXXVIII. Item consuetudo etiam immemorabilis contra non observantiam clausurae monialium ex Constitutionibus, quas vide Elenc. VI. n. LXXXVII. et seqq. par. I. Vol. II. pag. 101.

LXXXIX. Item consuetudo etiam immemorabilis contra non observantiam clausurae monasteriorum virorum regularium, ex Constit. Bened. XIV. quam vide in Additionibus meis par. II. post n. 10. Vol. III. pag. 265.

XC. Item consuetudo etiam immemorabilis admittendi appellationem in casibus relatis in Const. ejusd. ut in Addit. meis par. I. Vol. II. pag. 463. post num. 9.

XCI. Item consuetudo de non psallendo a choro addictis una cum aliis, ex Constit. ejusdem Bened. quam vide

in Addit. meis par. II. Vol. III. pag. 15. post n. 8 Vide etiam Fagnan. de praeben. c. Licet 24.

XCII. Item consuetudo etiam immemorabilis non applicandi a parochis missam diebus festis pro populo, et missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere ex Const. ejusd. Ben. ut V. Elenc. VI. n. XLIII. par. I. Vol. II. pag. 84.

Aliae consuetudines abrogatae ex decretis SS. Congregationum juxta seriem annorum emanatis.

XCIII. Abrogata est consuetudo etiam immemorabilis non residendi in cathedralibus, et collegiatis insignibus, ex decr. Cong. Conc. approbato a Gregor. XIII. an. 1573. relat. in hac part. II. Vol. III. pag. 14. post. n. 6.

XCIV. Item non asservandi Eucharistiam in Ecclesiis parochialibus, ex decr. ejusd. Cong. 2. April. 1585.

XCV. Item deferendi crucem more Archiepiscoporum ante Superiorem monasterii, libet habentem jurisdictionem spiritualem, et temporalem, ex decr. Congr. Rituum in Carropoliten. Nullius 4. Martii 1606.

XCVI. Item faciendi processionem cum SS. Sacram. de nocte feria V. et VI. majoris hebdom. ex decr. d. Con. 8. Aug. 1609.

XCVII. Item consuetudo etiam immemorabilis concedendi licentiam in casibus necessariis pro ingressu in septa monialium regularibus subjectarum a solis eorum regularibus Superioribus, et non simul a locorum Ordinariis, ex decr. Cong. Conc. jussu Urbani VIII. 13. Nov. 1620. ut Elenc. VI. n. 89. par. I. Vol. II pag. 201.

XCVIII. Item inserviendi a canonicis diaconis Episcopo de bugia, seu candela, ex decr. Cong. Rituum in Ragusina 16. Martii 1628.

XCIX. Item non subjacendi poenis inflictis contra non interessentes choro etiam per primum nocturnum; et in diebus ferialibus per sex psalmos, ex decr. Cong. Conc. 24. Maii 1674. relato hac par. II. Vol. III. pag. 17. post n. 14.

C. Item recipiendi a parocho sudariolum, ac vas, aut discum, quod paratur ab infirmo occasione recipiendi sacramentum extremae unctionis, super quo collocatur vasculum olei sancti, ex taxa Innoc. XI. 1. Oct. an. 1628. et die 8. d. mens. et an. typis data de mandato d. Pontificis a Cong. Conc. ac per litteras circulares locorum Ordinariis transmissa, quae etiam refertur in folio ejusd. Cong. in Albanen. 20 Feb. 1725.

CI. Item applicandi missam pro se ipsis, vel aliis, etiam sine, vel cum receptione eleemosynae illis diebus, in quibus ex aliqua rationabili causa capellani obligati quotidie celebrare per se ipsos juxta mentem fundatorum, vacant ab hujusmodi celebratione, ex Decret. Cong. Conc. in Colleu. 18. Septem. 1683. ad III. et IV. dub.

CII. Item abrogatur consuetudo etiam immemorabilis recipiendi aliquid ab Episcopo, ejusque officialibus tam in visitatione, quam extra pro decretis,

seu judicatura executionis testamentorum, piarum voluntatum, aut piorum legatorum, excepto moderato salario dando notariis pro scriptura, ac illorum labore, ex Decr. ejusdem Cong. in Vicen. 16. Sept. 1645. et 18. Maii 1686.

CIII. Item recipiendi a parocho sudariolum, quo teguntur manus defuncti com parva cruce supra illius pectus, quae a parocho datur, ex Decr. ejusdem Cong. in Tudertina funer. 13. Aug. 1718. et fol. d. Cong. in Albanen. 20. Feb. 1723.

CIV. Item consuetudo etiam immemorabilis cogendi Canonicum noviter electum ad parandum convivia aliis Canonicis ex Decr. ejusdem Congr, in Burgen. 3. Sept. 1729. et in Leodien. 1. Sept. 1731. ac 18. Jul. 1733.

CV. Item consuetudo etiam centenaria, vel immemorab. non solvendi cathedraticum ex Decr. d. Cong. in Perusina cathedratici 19. Nov. 1735. aliisque relat. part. I. Vol. II. pag. 260. post n. 14. et Conc. Dom. 1725. tit. 8. cap. 4.

Digitized by Google

ELENCHUS

Legum Juris Civilis a Jure Canonico correctarum in iis, quae, vel forent peccatum, vel illius periculum involvunt.

I. Gregorius IX. declarans in c. Cum tanto 11. de consuet. consuetudinem non derogare juri naturali, seu divino, neque positivo, nisi sit rationabilis, et praescripta, derogavit l. de quibus §. 1. tit. de legib. illimitate statuenti consuetudinem juri scripto praejudicare.

II. Concilium Carthaginese I. relatum in cap. Antigonus 1. de Pactis, praecipiens pacta quantumcumque nuda esse servanda, derogavit l. juris gentium §. sed cum 4. *ff.* de pact. concedenti ex nudo pacto exceptionem, non actionem.

III. Bonif. VIII. in cap. Quamvis 2. *eod. tit. in* 6. statuens servandum esse pactum juratum factum patri a filia nupti tradenda, quod dote contenta, nullum sit habitura regressum ad bona paterna, abrogavit l. pactum dotale C. de collat. decernentem non ideo filiam prohiberi, ne intestato patri succedat.

IV. Innoc. III. in cap. Ex litteris 4. de in integr. restit. statuens in causa matrimonii sententiam latam impugnari posse, etiam semiplene probata fraude per juramentum, derogavit l. 1. C. sententiam rescindi non posse et l. 1. C. de appell. generaliter decernentibus, neminem esse audiendum adversus sententiam latam, si transierit in rem judicatam.

V. Idem in cap. Per tuas 9. de arbit. declarans juramentum obligare jurantem, derogavit l. ut jusjurand. in prin. *ff.* de operis libertorum, et l. si quis pro eo *ff.* de fidejussoribus decernentibus regulariter non inducere obligationem.

VI. Alex. III. in cap. Et si clerici 4. de judic. juncto toto tit. de foro compet. statuens judicem secularem non posse cognoscere contra clericum causam communem inter ipsum, et laicum, abrogavit l. omnes, qui absque, Auth. subjuncta C. de Episc. et cleric. permittentem clericos, et monachos conveniri coram Praetore, et Provinciarum Rectoribus. Ista tamem lex correcta jam fuerat a Justiniano novel. 79. 81. et 123. remittente clericum ad Praelatos Ecclesiasticos, sed in causis tantum civilibus: quamvis postea haec remissio extensa etiam fuerit ad causas criminales ex Constit. Friderici II. quam vide apud Gothof. in Cod. fol. mihi 744. §. Item statuimus.

VII. Innoc. III. in cap. Qualiter 17. eod. tit. statuens non esse supplendam a judice seculari negligentiam Praelatorum in causis spiritualibus, abrogavit Novel. Ut clerici apud pro-

prios judices 83. prin. §. 1. Sic decernentem. Si vero aut propter causae naturam, aut propter quamdam forte difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse et ad civiles judices pergere.

VIII. Bonif. VIII. in cap. Si annum 3. eod. tit. in 6. decernens filium, etiam sub patria potestate existentem absque illius consensu agere posse causam spiritualem, et beneficialem, aliamque causam a dictis materiis dependentem derogavit l. Cum non solum 8. prin. C. de bon. quae liberis, regulariter id deneganti filio famil. absque patris consensu

IX. Innoc. III. in cap. Si diligenti 12. de for. compet. prohibens clerico etiam jurato, fori privilegio renuntiare, abrogavit l. Si quis C. de Pactis definientem omnes cujuscumque dignitatis sint, etiam sacerdotes obligari ex pacto, quo suo privilegio renuntiaverunt, ut coram alio judice non Ecclesiastico conveniantur.

X. Lucius III. in c. Ceterum 3. de juram. calum. statuens clericum ex justa causa teneri praestare juramentum calunniae, abrogavit l. Cum clericis §. memorati C. de Episc. et Cleric. id ei prohibentem.

XI. Honorius III. in cap. Tuam 3. de ord. cognit. et Alex. III. in cap. Causam 4. et cap. Lator. 5. qui filii sint legit. interdicentes judici seculari cognoscere, etiam incidenter, de causa spirituali, abrogaverunt l. Cui jurisdictio ff. de jurisdict. omn. judic. et l. Quoties C. de judiciis id permittentes.

XII. Eugenius III. in cap. Si qui 8. de testib. juncta Glos. verb. valetudinarii, et Can. Quisquis 80. caus. 16. q. 3. declarans, quemcumque etiam invitum, sic senes, et valetudinarios, cogi posse, ad testimonium ferendum causa detegendi peccatum proximi, abrogavit l. Invit. de testib. decernentem cogi non posse publicanos, absentes, exercitui praefectos, ac pupillos.

XIII. Alex. III. in cap. Super eo 22. eod. tit. statuens admittendum esse dictum, etiam solius matris, deponentis de impedimento matrimonii contrahendi, idque ad evitandum periculum nullitatis, si subesset aliquod impedimentum dirimens, derogavit l. Juris jurandi §. 1. C. de testib. decernenti testimonium unius, quantumvis magnae auctoritatis, non esse admittendum in quacumque causa.

XIV. Idem in cap. Illud quoque 11. de praesumpt. juncto Can. Aliter 1. caus. 30. q. 5. statuens ex diuturna cohabitatione viri cum muliere, non concurrentibus aliis adminiculis, non probari matrimonium, sed ex authentico instrumento solemnitatis ejusdem, abrogavit l. In liberae mulieris ff. de ritu nuptiar. illud admittentem ex sola praesumptione diuturnae cohabitationis.

XV. Innoc. III. in cap. Litteras 13. eod. tit. juncto Can. Si audieris 33. caus. 23. q. 5. statuens, fratrem accusare posse, et debere fratrem de crimine haeresis, derogavit. L. C. Qui

accusare non possunt non admittenti accusationem fratris in fratrem de capitali crimine; imo accusatorem exilio plectenti.

XVI. Innoc III. in cap. Etsi 26. eod. tit. statuens licitum esse juramentum etiam religiosis ex justa causa, abrogavit l. Cum clericis §. Memorati c. de Epis. et Cleric. illud in iis inhibentem.

XVII. Idem in cap. Cum contingat 28. et Bonifac. VIII. in cap. Licet mulieres 2. in 6. eod. tit. decernentes mulierem teneri servare juramentum de non veniendo contra alienationem rei dotalis, abrogarunt l. 7. §. 16. ff. de pact. et l. Non dubium c. de leg. contrarium disponentes.

XVIII. Alex. III. in cap. Vigilanti 5. et Innoc. III. in capp. Si diligenti 17. Veniens 19. et Quoniam 20. de praescript. statuentes necessariam esse bonam fidem continuam ad praescribendum, abrogarunt l. unic. c. de Usucap. transferend. decernentem satis esse bonam fidem ab initio tantum habitam, et l. Sicut, et l. Omnes, et l. Cum novissimi C. de praescript. 30. vel 40. annor. statuentes possessorem malae fidei praescribere res sic possessas tempore longissimo.

XIX. Idem in cap. Lator. 7. et et Clement. III. in capp. Tenor 10. et Consanguinei 11. de sentent. et re judic. ac Lucius III. in cap. Fraternitatis 6. de frigid. et malefic. statuentes sententiam latam contra matrimonium nunquam transire in rem judicatam, ita ut revocari semper possit, detecto errore defectus, derogarunt, C. de exequt. rei judic. decernenti sententiam definitivam semper transire in rem judicatam, ne matrimonii quidem causa excepta.

XX. Idem Alex. III. in cap. Praeterea 22. et Innoc. III. in cap. Pastoralis 53. de appellat. statuentes non suspendi excommunicationem per appellationem, abrogarunt l. 1. §. 14. ff. ad Senat. Consult. Torpell. decernentem appellationis remedio extingui condemnationis pronuntiationem.

XXI. Concilium Arvernense relatum In cap. Qui res 2. de reb. Eccl. non alien. interdicens Principi seculari Ecclesiastica bona alienare, et statuens ea recipientem teneri ad restitutionem, abrogavit l. Omnes. et l. Bene a Zenone C. de Quatrien. praescriptione declarantes ementem a fisco rem alienam, non teneri ad restitutionem.

XXII. Innoc. III. in cap. Per tuas 6. de donat. prohibens, ne Ecclesia in actibus suis fraudem aliquam adhibeat, abrogavit l. Item si pretio ff. locati et l. in causa ff. de minor. admittentes licitum esse contrahentibus invicem se decipere usque ad dimidium justi pretii. Vide Joann. Baptist. a S. Blasio contrariet. 105.

XXIII. Alex. III. in cap. Verum 2. et c. Publico 7. §. Sane de convers. conjug. juncto Can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2. statuens matrimonium tantum ratum dissolvi posse per possessionem religiosam, abrogavit novel. 22. de Nupt. cap. Distrahuntur decernentem dissolvi posse etiam con-

summatum, altero conjugum continentiam vovente.

XXIV. Urbanus IV. in cap. Ad haec 3. de religios. domib. declarans, illum tantum esse locum religiosum, qui ad cultum religionis Episcopi auctoritate destinatus est, abrogavit l. Locum, et l. Cum in diversis ff. de relig. et sumpt. fun. ac. l. 6. ff. de rer. divis. l. 2. ff. de re legat. habentes pro religioso locum, ubi homo mortuus sepultus est.

XXV. Concilium Lateran. III. sub Alex. III. relat. in capp. Non minus 4. et Adversus 6. de immunit. eccles. juncta Clement. unic. Quoniam eod. tit. statuens imponi non posse Ecclesiis, ac personis ecclesiasticis collectas sine apostolica concessione, abrogavit l. Nemini C. de sacrosant. Episc. hanc facultatem Imperatori tribuentem.

XXVI. Innoc. III. in cap. Inter alia 6. eod. tit. statuens non extrahendum ab Ecclesia, nisi publicum latronem, vel nocturnum agrorum depopulatorem, derogavit Auth. de mandat. Princip. cap. 5. et 7. excipienti etiam homicidas, adulteros, et raptores virginum. Vide hac part. II. pag. 15. a n. 16. e seqq. una cum Additionib. meis ibidem.

XXVII. Alex. III. in cap. Praeterea 2. de spons. et matrim. et cap. De illis 9. de despons. impub. juncto Can. Desponsatas 46. caus. 27. q. 2. prohibens desponsatam alicui renuntiare posse, et alteri nubere sine sponsi consensu, abrogavit l. 1. Cod. de sponsalib. id permittentem.

XXVIII. Idem in c. Cum locum 14. de sponsal. etc. Significavit 2. de eo, qui duxit et Horsmirdas in cap. Tua fraternitas 1. de desponsat. impub. declarantes filiam invitam, et repugnantem cogi non posse ad nubendum abrogarunt l. Sed quae patris ff. de sponsal. statuentem cogi posse, dummodo sponsus a patre electus, non sit indignus, et turpis.

XXIX. Idem in cit. c. Cum locum, et c. Veniens 15. eod. tit. de sponsal. et matrim. declarans nullum matrimonium contractum metu cadente in constantem virum abrogavit l. Si patre 22. tit. de ritu nupt. statuentem Si patre cogente, ducet uxorem filius, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos contrahitur licet Gotefr. verba illa Si patre cogente, interpretetur suadente, hortante, admodum urgente.

XXX. Clem. III. in c. praesentia 19. eod. tit. et Caelest. III. in c. Dominus 2. de secund. nupt. interdicentes uxori transitum ad secunda vota, si non sit certior facta de morte viri, ab ea longo tempore absentis, abrogarunt Novell. 22. admittentem hujusmodi transitum, si elapso quinquennio, non constet alterum conjugem, qui causa captivitatis, vel peregrinationis diutius abfuit, adhuc esse superstitem.

XXXI. Innoc. III. in c. Cum apud 23. de sponsalib. junctis Can. Sufficiat 2. caus. 27. q. 2. ac Can. Hoc sanctum 16. caus. 32. q. 3. et Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. matrim. statuens ad valorem matrimoni non

requiri parentum consensum, abrogavit l. Nuptiae 2. ff. de ritu nupt. l. Nec filium C. de nupt. et princ. Inst. eod. decernentes necessario requiri.

Nec crederem, audiendos esse Cujacium in lib. 35. Pauli ad edictum ad l. 2. et 10. de ritu nupt. nec Dionysium Gotefridum in l. filius ff. de ritu nupt. sentientes contra Vinnium ad lib. 1. Instit. tit. 10. aliosque eruditos Jurisconsultos, a dictis legibus nuptias sine parentum consensu contractas non irritas, sed solum illicitas declarari, fisos fortasse auctoritate Pauli jurisconsulti lib. 2. sent. tit. 14. ita asserentis. Eorum, qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur. Quae auctoritas, cum aperte contradicat laudatis legibus a Justiniano ex sententia ejusdem Pauli insertis Corpori Juris a se promulgati, merito juxta Juvenin. tract. de sacram diss. 1. q. 5. art. 2. cum DD. ibi cit. credi potest, non esse Pauli, sed cujusdam Aniani, a quo tempore Alarici Gothorum Regis Theodosianus Codex notis illustratus est.

Ceterum easdem civiles leges infringentes matrimonia tam servorum, quam filiorum familias solo eorumdem consensu inita, quondam etiam ratas habuit Ecclesia, ut ex pluribus canonibus fuse, et eruditissime demonstrat Benedictus XIV. de synod. diaec. edit. an. 1755. lib. IX. c. XI. n. 3. et seqq.

XXXII. Celest. III. in c. Cum haberet 5. §. solicitudinis de eo, qui duxit etc. praecipiens a parentibus alendos esse filios, etiam spurios, seu ex damnato coitu procreatos, abrogavit Auth. ex complexu l. de incest. et aut. licet patri Cod. de natural. liber. id negantes.

XXXIII. Adrianus in c. Dignum 1. et Alex. III. in c. Proposuit 2. de conjug. servor. statuentes matrimonium inter mancipia, et inter servum, et liberam validum esse, dummodo abfuerit error, abrogarunt l. Cum ancillis C. de incestis illud nullum declarantes. Vide supra n. XXXI.

XXXIV. Innoc. III. in c. Non debet 8. de consang. et affin. definiens invalidum matrimonium contractum intra quartum consanguinitatis gradum, abrogavit l. Celebrandis C. de Nupt. et §. Duorum fratrum Instit. eod. validum declarantes matrimonium inter consobrinos.

XXXV. Idem cit. c. Non debet auferens impedimentum secundi, et tertii generis affinitatis una cum impedimento publicae honestatis iis annexo ad finem contrahendi matrimonium, ut inter vitricum, et uxorem privigni, abrogavit l. Uxorem 15. de ritu nupt. prohibentem, ut inhonestum matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni.

Ad tramites dictae Decretalis, discusso articulo in Cong. Conc. in Bojanen matrimonii die 3. Aug. 1720. cum voto quatuor theologorum, decisum fuit ab eadem Congreg. 8. Martii 1721. contrahi posse matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni ut in

Thes. resol. tom. 1. pag. 350. et tom. 2. pag. 26. ubi etiam annexae leguntur adnotationes Benedicti XIV. tunc d. Cong. secret., ex jure desumptae circa eamdem quaestionem.

XXXVI. Alex. III. in cap. Cum inter 2. et Innoc. III. in cap. Ex tenore 14. Qui filii sint. legit. declarantes legitimam esse prolem ortam ex matrimonio bona fide ex parte utriusque, vel ex parte alterius ex conjugibus in facie Ecclesiae contracto, et nullo ob aliquod occultum impedimentum postea declarato, abrogavit l. 3. C. Soluto matrim. statuentem spurios esse ingenuos natos ex libera, et ex eo, qui servus erat, qui tamen existimabatur liber.

XXXVII. Idem in cap. Tanta 6. eod. tit. interdicens concubinatum, et quemcumque coitum extra matrimonium, abrogavit l. 1. §. 1. 3. l. 3. et l. 5. ff. de concubin. cum aliquibus permittentes.

XXXVIII. Urbanus III. in c. Super illa 3. et Innoc. III. in c. Cum secundum 5. de secund. nupt. permittentes viduae libere nubere posse intra annum luctus sine poena infamiae, derogarunt l. 1. et seqq. C. de secund. nupt. id prohibentibus sub dicta poena.

XXXIX. Item edicentes in citt. capp. ex Apostolo, liberum esse mulieri nubere cui voluerit, abrogarunt juxta DD. ad dicta capp. C. De interd. matrim. contract. inter pupil. et tut. et C. de rubro, et nigro prohibentes matrimonium inter tutorem, vel filium ejus, et pupillam, vel adultam, cujus ille gesserat tutelam, et curam Joan. Bapta S. Blas. contrariet. 25.

XL. Bonifac. VIII. in cap. Ut inquisitoribus 18. de Haeret. interdicens judici seculari de haeresi cognoscere, derogavit l. Quicumque cap. de Haeret. id permittenti.

XLI. Gregorius Magnus relatus in c. In ordinando 1. de simonia, juncto Can. Sicut Episcopum 4. caus. 1. q. 2. prohibens, ne quid temporale in ordinibus conferendis exigatur ab Episcopo, vel ministris, vel notariis, abrogavit Novel. 123. de Sanctis Episc. cap. Si quis 3. collect. 9. adstringentes ordinandos ad aliquid offerendum Episcopo ordinanti, et notario.

XLII. Alex. III. in c. Super 4. de usur. juncta Clem. unic. Ex gravi cod. tit. declarans sub gravissimis poenis usuras prohibitas esse, et puniendum esse velut haereticnm pertinaciter asserentem, non esse peccatum eas exercere, abrogavit l. 1. tit. ult. lib. 2. C. Cod. Theodosin. l. 26. C. de usur. l. 1. ff. de usur. ita illas admittentes ibi. Placuit licitas usuras peti posse, juncta l. eos, qui C. eod.

XLIII. Pius Papa in Can. Si quis 10. juncto Can. Considera. 8. caus. 22. q. 1. prohibens jurare per creaturas, derogavit L. non erit ratum ff. de jur. jurando juncta Auth. Ut non luxuriantur homines, et §. et quoniam l. Qui per salutem ff. eod. decernentibus licitum esse jurare per creaturas, dummodo non juretur per capillos Dei, vel per caput ejus, neque aliis verbis blasphemis.

XLIV. Nicol. Papa in Can. Inter haec 6. caus 33. q. 2. execrans homicidium uxoris deprehensae a marito in adulterio, abrogavit leges id permittentes, ut refert Aulus Gellius lib. noct. et tit. 10. c. 23. et Julius Clarus lib. 2. sent. tit. 27.

Quod scelus ita etiam execrata semper est catholica Ecclesia, ut Alex. VII. die 7. Septemb. 1665. damnaverit hanc propositionem - Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

XLV. Idem abrogavit l. marito ff. ad leg. Juliam de adulteriis, et l. Gracchus C. eod. tit. facultatem concedentes eidem marito occidendi adulterum turpiter cum uxore agentem in domo propria comprehensum.

XLVI. Item abrogavit l. quod ait. l. nihil interest l. nec in ea l. Patri et tres seqq. ff. ad leg. Jul. de adulter. permittentes patri interficere filiam in sua potestate existentem in sua domo, vel generis, in adulterio deprehensam; dummodo una cum illa adulterum quoque occideret.

XLVII. Nicol. Papa in Can. Cum gravia 17. ad consulta Bulgarorum c. 99. caus. 13. q. 2. et Concil. Moguntinum 1. in Can. Nullus 18. ibid. Fidelium mortuorum corpora in Ecclesia sepeliri sinentes, derogarunt l. mortuorum de relig. et sumpt. funer ea prohibenti sepeliri etiam intra civitatem.

XLVIII Joann. Papa VIII. in Can. Quisquis 21 §. similiter caus. 17. q. 4. definiens, sacrilegium committi non solum si res sacra e loco sacro, sed etiam si res sacra e loco non sacro, vel non sacra, e loco sacro auferatur, derogavit l. Divi 5. ff. ad leg. Jul. de peculat. decernenti esse tantum furtum, et non sacrilegium, si res non sacra auferretur e loco sacro.

XLIX. Innoc. Papa ep. 3. ad Exuperium Episcopum cap. 4. relata in Can. Christiana 23. caus. 32. q. 5. junctis Can. Nemo 4. qui est Ambrosii, caus. 32. q. 4. Can. Puto 16. qui est. Augustini, et Can. Apud nos 20. qui est Hieronymi eadem caus. 32. q. 5. declarans - adulterium in utroque sexu pari ratione condemnari, derogavit. l. 6. §. ff. ad L. Juliam de adulteriis, et l. 2. eod. tit. statuentibus uxorem tantum adulteram adulterii judicio teneri.

L. Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum Can. Quidquid 22. junctis Can. Praecipit 18. et Apud nos 20. qui sunt Hieronymi, ac Can. Praeceptum 21. qui est Concil. Tolet. XII. c. 8. relatis caus. 32. q. 5. statuens non licere marito uxorem dimittere quoad thorum, et cohabitationem, nisi ex causa fornicationis, derogavit l. consensus 8. §. 3. C. de repud. et tit. ff. et C. de divort. et repud. divortium admittentibus ob alias plurimas causas. Quod quidem minoris mali est, quam novatorum error, qui matrimonium e numero sacramentorum excludentes januam conjugibus aperuerunt etiam ad secundas nuptias.

Hactenus de correctione legum juris civilis, quae peccatum, aut illius periculum involvunt. Aliae quamplurimae differentiae inter utrumque jus. tam circa res ecclesiasticas. spiritua-

Digitized by Google

les, et profanas, quam circa processum judiciarium, poenasque delinquentibus debitas, legi poterunt numero CLXXXIV. apud Bartolum inter Tractatus varios. Tract. de differ. inter jus Can. et Civil. CC. apud. D. Joann. Baptistam a S. Blasio Patavinum *in Tract. insigni, et raro Contradictionum juris canonici cum jur. civil. inserto Tom. 1. Tractatus juris universi eisdem auctoris pag.* 185. *Venetiis.* 1584. LIV. apud Henricum Canisium; CCL. apud Joann. Streinium Societatis Jesu, ac L. apud Anacletum Reiffenstuel. in Juris Canon. Proemio Tom. 1. §. 11.

Finis V. IV. P. II.

Digitized by Google

MONITA AD LECTOREM

I. **P**raestantia hujus Operis in lucem editi Znoymae in Germania anno MDCCXXXV. quae causa fuit, cui ipsomet Auctore vivente (Clarissimo Theologo, aeque ac Canonista,) ne unum quidem exemplar publicae commoditati superfuerit, eadem me impulit, ut illud iterum typis darem. Cum vero animadverterim, eam Auctoris fuisse mentem, ut Juris Canonici studiosis adjumento esset ad assequendum hujus theoriam non minus, quam forensem usum; ideo operae pretium duxi aliquot additamenta adnectere ex pluribus Apostolicis sanctionibus, ac sacrarum Congregationum Decretis posterius editis congesta, quae ad utrumque finem assequendum faciliorem aperirent viam. Habes itaque, Lector, ante initum hujus primae Partis addita usque ad Vol. I. pag. 314.

II. Summaria omnium Decretalium in corpore totius Juris Canonici contentarum: ideo potissimum relata, ut cum non omnes, qui huic facultati student, Textu in promptu habere possint, universam, compendio saltem, notionem assequantur eorum, quae in unaquaque earumdem Decretalium statuuntur: quo certe fiet, ut horum summariorum aliquoties repetita lectione, facilius in iis sancita memoriae mandentur. Qua de causa sub unoquoque Titulo Decretalium Gregorii Papae IX. unita referuntur summaria capitulorum contentorum in Titulis, qui repetuntur in libro sexto Bonifacii VIII. Clementinis, et Extravantibus, tum Joan. XXII. tum communibus.

III. Cum vero jus Decretalium in pluribus hodie immutatum sit, ne in earumdem summariis perlegendis quis decipiatur, additae sunt notae, quarum ope quid, et a contraria consuetudine, et a posterioribus Decretalibus, tum etiam a sacro Tridentino Concilio, summorumque Pontificum sanctionibus ad annum usque MDCCLVI. statutum sit, indicatur.

IV. Immutationes autem leges tum in notis post summaria adjectis, tum in sex Elenchis in fine eorumdem summariorum digestis: quorum,

I. Decretalium correctarum a posterioribus Decretalibus Vol. II. pag. 3.

II. Decretalium correctarum Vol. II. pag 18.

III. Decretalium ampliatarum Vol. II. pag. 45.

IV. Decretalium speciatim innovatarum Vol. II. pag. 54.

V. Privilegiorum abrogatorum Vol. II. pag. 58.

(II.–V.: A Sacro Concilio Tridentino)

VI. Apostolicarum Constitutionum, quae accesserunt Decretis ejusdem Concilii, Vol. II. pag. 62.

V. Accedunt praeterea quamplurima, et quidem novissima, sacrarum Congregationum Decreta, quaeque universalis legis vim habent, tum in Elen-

Digitized by Google

chis, tum in corpore Operis suis adjecta locis; quorum quanta sit auctoritas pro peculiarium quaestionum decisione, ostendit Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. in Institutionibus ecclesiasticis latinae editionis, *Inst.* 107. §. *Si quis* de sacra Congregatione Concilii, quod pari modo dici potest de omnibus aliis sacris Congregationibus, ibi: *Primo nam, Scriptores de quaestionibus verba faciunt: illas autem sacra Congregatio dissolvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus plerumque sit, summi Pontifices sacram Congregationem ejusdem Synodi solam interpretem statuerunt. Tertio, impudentissimus esset, qui contenderit, majoris ponderis habendum esse privatum hominem, qui suae tantum mentis lumine ducitur, quam sententia praeclarissimi Caetus, quem amplissimi Cardinales ecclesiasticae disciplinae, et Sacrorum Canonum peritissimi constituunt. Quarto, quia privati Scriptores nullam indicere legem possunt: quae sane auctoritas a summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur, ut Ecclesiae disciplinam per universum orbem amplificet.*

VI. Ne autem opponas, Lector. nullam his Decretis fidem adhibendam esse, propterea quod non constet de ipsorum evulgatione per authenticum testimonium manu Secretarii signatum, et sigillo Cardinalis Praefecti earumdem Congregationum munitum, secundum Urbani VIII. Decretum sub die 2. Augusti an. 1641. consulto ea tantum adjecta sunt, quae a probatissimis Auctoribus referuntur; quorum fidei nihil detrahit Urbani Decretum, cum dumtaxat locum habeat in causis contentiosis. Et quod spectat ad Decreta Congregationis Concilii horum quamplurima relata sunt ab eodem BENEDICTO XIV. partim in laudatis Institutionibus, partim in tractatu *de Synodo Dioecesana* editionis Rom. an. 1755. cujus quam numeris omnibus absoluta sit in his, sicuti et in ceteris facultatibus scientia, nemo ignorat: reliqua vero *in Thesauro resolutionum* ejusdem Congregationis, quae pro authenticis apud omnes habentur, cum typis data fuerit una cum causarum discussarum summario; et non nisi de approbatione Secretarii praedictae Congregationis.

VII. Videbis etiam in fine secundae Partis duos alios Elenchos, quorum unus pravas, diversasque alias consuetudines, alter quamplures civiles leges a Decretalibus abrogatas enumerat.

VIII. Tandem duos Indices, priorem Titulorum Juris Canonici, qui in dicta Parte explanantur, alphabetico ordine digestorum (contentos enim in hac prima reperies Vol. II. pag. 479.) posteriorem rerum omnium, quae in utraque continentur.

IX. Additiones extra corpus hujus Operis habes Vol. I. a pag. 207. usque ad Vol. II. pag. 117. quas vero in corpore leges, tibi indicabit typus italicus

X. Quod si ex his, et Elenchis satis plenam notionem hodierni, receptique, quo vivimus, juris, haurire nequiveris (quod nos primum intendi-

mus) pleniorem fortasse habebis in supplemento, quod me quamprimum, si Deus dederit, in lucem editurum confido: cum ceteroquin ob tantam legum varietatem vix cuiquam sit integrum omnia referre.

XI. Interim omnia haec mea additamenta, et sensa, si quid in iis pro humanae mentis imbecillitate erratum sit, Salomonis monito edoctus *Proverbiorum* c. 3. neminem inniti debere prudentiae suae, quod repetitum lego a D. Hieronymo in c. *Ne innitaris* 5. *de Constitutionibus*, sanctae Romanae Sedis judicio humiliter, demisseque subjicio.

XII. Specimen additamentorum jam habes. Si quid commodi ad tua studia derivare ex his posse videas, utere: sin minus, laborem hunc meum benigno excipias animo.

Digitized by Google

INDEX

RUBRICARUM, SEU TITOLORUM III. ET IV. ET V. LIBRI DECRETALIUM IN HAC SECUNDA PARTE CONTENTORUM ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

D

E

F

H

I

L

M

N

O

P

Q

R.

Digitized by Google

INDEX RERUM

QUAE IN HISCE QUATUOR INSTITUTIONUM CANONICARUM
TOMIS CONTINENTUR.

Res enim contentas in Institutionibus Juris Civilis habes Parte I. Pagina 203.

Numerus Romanus I. II. III et IV. Tomum A. et B. Columnam; Numerus arabicus paginam designant.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

E

Digitized by Google

Digitized by Google

F

Digitized by Google

Digitized by Google

G

H

Digitized by Google

I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

O

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

T

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FINIS.

5682142

Digitized by Google

Digitized by Google